




CASPARIS BARLÆI
Antverpiani

POEMATA.

EDITIO IV,


Altera plus parte auctior.

PARS I.

HEROICORUM.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM BLAEV.
MDCXLV.





NOBILISSIMO VIRO,

CONSTANTINO HVGENIO,

EQVITI, ZVLECHEMI & ZEELHEMI Domino, CELSISSIMO ARAVSIONENSIVM PRINCIPI à consiliis & secretis.

QVi toties me hoc scribendi genere lacessivisti, Nobilissime HVGENI, *& carminis tui desiderio erexisti, jam, quæ mea vel ultio est vel grati animi significatio, Carminibus vicissim meis, vel ad nauseam, satiare, & pro Momentis tuis desultoriis, longos Sermones refer. Etenim valde studiis differimus. Tu impetu omnia & saltim agis, uti solent illi, qui non suo, sed aliorum & quidem Principum arbitrio, vivunt. Ego, quia minus*

anxiè temporis tributo attineor, traho carmen & avium more parturio longiore incubitu. Viscosi sum & lenti ingenii, ideoque cogor extendere & ductare poëmatium, uti fila sua plumbea trahit vitriarius & aurifaber in immensam bracteam tundit auri atomum. Tu, friabilis magis ingenii, acuta brevitate absolvis cœpta. Vti in Mathesi puncta differunt à lineis, in Physicis τὸ νῦν à tempore, in Arithmeticis unitas à numero, nos meditatione discrepamus. Tu in carmine acumina & cuspides amas, hoc est puncta, & momenta. ego lineas, tempora & numeros. tu saltus breves & succinctos iteras, ego testudineo gradu emetior mea spatia. Vtrumq; vectat Pegasus. sed tuus tolutim incedit, meus succussor est. Credunt philosophi spiritus imperceptibili tempore moveri, corpora morâ. accidit idem vatibus, quorum alii pneumatici magis sunt, alii ὑλικοί. Vehimur

ambo

ambo curribus. Sed ego equorum opera, tu velorum. qualis iste Principis tui est, in littore. Inter Poetas Curtii sunt & Longini, uti inter capillatos. Mercantium alii verbo vendunt totam Orientis messem, quos tu refers, alii fastidiosè & ad indignationem usque onerant emtorem licitando, ut ego. Quod pugni est & palmæ discrimen, ascaridum & anguillæ, pedis & decempedæ, idem & nostrorum carminum. Quare cum mea leges, cave sine viatico accedas, nam diverticulis opus & respiratione. Cum tua lego, ubique domi sum, & in limine positus tango posticam. Ne tamen oneri Tibi sit prolixitas mea, constrinxi in non magnam libri molem hoc Heroicorum opus, ut Nobilitati Tuæ illud tradam, & in Famæ tuæ theatro, populo ostentem. Claudo similis sum, cui scipione opus. Pauperi, qui in publicum proditurus, aliorum honoratiore pallio indui cupit. Infanti,

 qui

qui, ne pronus labet, fasciis librari eget. Ludiones puerulos humeris attollunt, ut spectatorem speciosa ostentatione alliciant. Eodem instituto Heroica hæc Tibi nuncupo, ut Heroum aulis, unde argumentum habent, ubi vivis quotidie & loqueris, me ingeras, & sublatum humo, & gratia tua amictum, tibiq; innixum, sistas aliquando Iovi & Superis, ne à scarabeis & vespis pungar. Et audeo profecto hoc à te petere, ob validam amicitiam, qua tibi alligor, litteris, colloquiis, versibus, seriis, jocosis, etiam cum res sinunt, Cerere & erectiore Liberi patris succo. quem Pegasi ungulam vocare soleo, qua percussi, non montes, fabulosum hoc, sed poëtarum vertices ac frontes, insaniunt doctius, & manant uberius. Meminimus probè, quanta suavitate, quàm annuentibus Apolline & Musis, ego loquentem te, tu me non semel audiveris. Nec erat sermo noster alie-

nus

nus à studiis & hoc litterarum genere. rarus admodum de Ottomannica porta, aut Septentrionalium litibus. de Tapuiis ac Nigritis rarissimus. Sæpè fabulam fecit, benè aut màlè nobis natum carmen. sæpius secundarum nuptiarum (hoc enim ad nos pertinet) anceps alea, & exercitati mulierum vultus & frontes Sophisticæ. Quàm volupe fuit, subinde mentiri rivalitatem, ne deesset argumentum scenæ. Quantis motibus tu mihi aliquando exprobrasti ὑδροφοβίαν, ego tibi Neptuni & maris Deorum contemptum. Quàm non malis artibus, me cum maximo Senatore commisisti, cum de capellarum tuarum precio lis esset & comparatio. E castris reduci gratulatus fui incolumi & vegeto, licet in Principum tentoriis consiliarios periclitari, negent sapientiores. Cum in turri Argentoratensi annexam fastigio fasciam, plus quàm poëtica audacia, attigisses, habui quod epigram-

mate reprehenderem. Nec poteras excusari, nisi Parnassi illic te apices reperturum putavisti. Est ubi præficam tecum ago ad aliorum tumulos; ubi ægrotanti medelam quæro ab ipso Phœbo & carmine; ubi novercæ vapulant, inter pictos liberorum tuorum vultus. Reperies alibi, ubi publica Aularum & Templorum incendia tota Aganippe restinximus. Quoties ædificas, domi forisque, adsum testis. Vbi cùm præstantissima Virgine Vltrajectina loqueris, interloquor. Cum Sponsus thalamum scandis, præfero facem. Cum viduus à secundis thalamis tibi caves, metu trium L. L. L. librorum, liberorum & libertatis, annuo prudenti. Cum dies tuos operasque exigis ad normam viri boni & sapientis, volo aulam tuam subire, quotquot pii esse volent. Cum organizas, concino. Cum vir factus es & duumvir, & Triumvir, & plus, prædico felicitatem tuam, & utiles Vniverso,

non

non culinæ, titulos. Cum serò potiris filiola, voto adsum, Ne soror aut fiat Castoris aut Hecuba. *Alicubi in viduarũ laudibus moror, quas tecum sacro horrore veneror, nondum depereo. Ita scribere volentibus nunquam deest argumentum, quod pari aviditate videmur captare, qua culices hirundo. Vtique patet nobis ad carmen omnis mundi machina, & quæcunque illa complexu suo tenet. Quin & cognatione quadam & occulto nexu cœlos attingimus, unde ea suggeruntur, quæ nunquam venere in mentem. Vnde araneis suppetant tot telæ, vix dixerim. nec hoc, unde poëtis sua commenta. Ea efferunt, quæ nunquam audita aut lecta fuere, sive illa Anima mundi dictet, sive intelligentia & mens illa assistens Averrois, sive sublimior Deus. Dum meditamur, trahit versus versum, uti in fodinis vena venam, aut magnes cohærentes cuspide acus. Excidunt meditatio-*

 nes

nes, velut contuberniis & manipulis, uti imbres guttis succedaneis labuntur, aves turmatim volant, annuli catenatim nectuntur, aut pontem transire volenti pecori pecus longa serie instat. Nec tantus est pangendi carminis labor, cum absque impedimentis & organis edolari possit. Architectus sine cœmentariis non ædificat. opus illi serra, amussi, malleo. Nec textor texere quiverit sine radio. militi vallis, gladiis, balista, ligonibus opus, ut oppida expugnet. nautæ ventis, velis, anchora, ut naviget. pictori penicillo, tabula, coloribus, ut pingat. Poëta ædificat, pingit, texit, absque utensilibus, & instrumentis. Officina operũ mens est. faber mens est. famula mens. auditor & spectator mens. materies operis in mente est, ubi ideæ & universi species stabulantur. operæ precium sibi eadem mens est, quæ nato feliciter carmine, non minus gaudet,

gaudet, quam edito partu puerpera: infeliciter nato, ſibi dolet. Non opus obſtetrice, ſola parit. nec nutrice, cum fetus ſibi ſufficiat, & eodem vultu perſeveret. Si ſuſceptrix eſſe velit fama, excitatur ſtudium. ſi nolit, ſuſque deque contemtum habet autor. Si arrodat Zoilus, emendatius exigit & promittit. Et quia ſolius mentis hæ ſunt partes, vagamur, uti illa vaga eſt, nec uni glebæ affixa. Nunc in Occidente carmen faciunt Barbari & barbarorum dux Naſſovius. modò in Occidentem delatus Moluccas & Iavas loquor. Ad Septentrionem cum urſis luctor. Ad Auſtrum Mauri & Nigritæ verſum implent. Cum domi ſum, expugnatis maximis urbibus, Veſalia, Sylva-Ducis, Trajecto ad Moſam & Breda, murali corona cingo Auriacum. Navalibus præliis adſum vates, & Iſabellam ratibus exuo ad Tolam, Philippum claſſe, ſub Britanniæ

tanniæ littoribus. In Germaniam raptus, Guſtavi tumulum lachrymis rigo: Saxoniæ Duci Bernardo victam Briſacum, & injectos Rheno compedes gratulor, Cæſari non armis ſed Scazontibus adverſus. At, ne videar cruentus ſemper & ferox, nuptias frequento Regum, Principum, amicorum, & bella narro nunquam matribus deteſtata piis. Mox ut à geniali voluptate ad ſeveritatem meam redeam, nænias & leſſos ſingultio totuſque funeſtus & atratus ſum. Ita quocunque mens agit vatem, ſequor, modo amicorum juſſibus, modo modeſtæ petitioni, modo animo meo obſecutus. Hæc cauſa eſt, quod dum ubique ſum & grandem mundi aream pererro, in tantum cumulum excreverint Epicorum libri, ut brevitatis ſtudioſo lectori graves ſint. Eos nomini tuo inſcribo, Vir Maxime, quia paginas in hoc opere imples plurimas, deinde, quia Heroi-

cum

cum metrum & cothurnum amas. præterquam, quod partem maximam Auriacus ſibi vendicet, cujus heroicis geſtis, bellis ac triumphis liber ſecundus decurrit. Auriacus inquam, qui dum te illuſtrem facit merito tuo, me honeſtè habet beneficio ſuo & tuo. Vterque Principem tangimus propius. Tu conſiliis & chartis publicis, ego poematiis; tu quotidianis officiis, ego rarioribus; tu oculis, ego ſola è longinquo veneratione. Non poteram inſcribere Superis, Marti, Libitinæ, Veneri, quia tabellariis careo, qui deferant, & quia vivunt nullibi. Nolui Inferis conſecrare, Plutoni, Proſerpinæ, Megæræ, quia metuo chartis meis à Cocyti flammis. Et cum hominum pauci Philomuſi ſint, plures ἄμουσοι, ad hos ire timui, ne pro munere grunnitu exciperer & morſu. Quare munus conveniens offero, ac ſi Iovi aquilam, Mavorti gladium, Veneri pectinem,

ctinem, Apollini citharam darem. Vti hi hæc ipsa neglectius non habent, nec mea hæc, quæ vates vati consecro, habe, nec me. Vale vir Nobilissime. & in castris inter tubas &

Tympana, tranquillæ relegas
commenta Minervæ.

Amstelod. XVI. *Sept.*
cIɔ Iɔ c XLV.

Nobil. tuæ

observantissimus
cultor

C. BARLÆUS.

PERI.

PERIOCHE

LIB. I.

HEROICORVM.

Hymnus in Christum. pag. 1
Britannia triumphans, ad Regem Carolum. 27
Tumulus Gustavi Regis. 41
Venus Cimbrica. 73
Manes Bavari. 89
Adlocutio ad Remp. Venetam. 95
Carmen Eucharisticum ad Penbrociæ Comitem. 100
Panegyris dicta Bernardo Saxoniæ Duci. 105
Panegyris de laudibus Cardinalis Richelii. 127
Gratulatio in adventum Mariæ Britanniæ & Hiberniæ Reginæ. 153
Gallia plorans, sive in obitum Richelii. 157
In effigiem ejusdem. 171
In insignia ejusdem. 172
Ad Principem Elizabetham, Regis Bohem. Filiam. ibid.
In effigiem ejusdem. 176

LIB.

LIB. II.

qui AVRIACVS inſcribitur.

MAnes Auriaci. 179
Panegyricus dictus Frederico Arauſiorum Principi. 190
Argo Batava. 200
Veſalia capta. 211
Sylva-Ducis capta. 216
Olinda capta. 244
Trophæum Arauſionenſe victa claſſe ad Tholam. 250
Triumphus Feder. Belgii capta Trajecto ad Moſam. 258
Rheno-Berca capta. 275
In Ducatum Limburgicum victum. 282
Venus Britannica, ſive in nuptias celſiſſimi Principis Guilielmi, &c. 288
Auriacus triumphans victa Hiſpanorum claſſe in Freto Britannico. 304
In Nuptias Ill. Principis Ennonis Friſiæ Orientalis Comitis. 319
Gratulatio ad Principem Guilielmum cæſo Cantelmo. 321
Laurus Flandrica in expugnationem Cataractæ (vulgò Saſſæ) Gandavenſis. 326
Mauritius è Braſilia redux. 333
In Grollam victam. 340
Epiſtola Ameliæ ad Principem maritum. 341

In recuperatam Schenckii arcem. 346
In receptam Bredam. 347
In infantem Principem Auriaco natum. ibid.
In victam Gennapii arcem. 348
In spectacula exhibita Amstelodami ad adventum Mariæ de Medicis, &c. 349
In spectacula exhibita ibidem in adventum Reginæ Britanniarum. 355

LIB. III.

Epithalamium Domini de Mathenes, &c. 361
Equus Haestrechtii. 369
In obitum Rutgersii. 374
In Nuptias Constantini Hugenii. 383
Propempticon ad Fratres Cigan. 390
Ad C. Hugenium Febricitantem. 394
Carmen votivum pro restituta ipsi valetudine. 397
Laudatio Hortuli. 401
In rectoratum Academicum Petri Cunæi. 408
Operum Vossii Panegyris. 412
In obitum Snellii. 418
Ad Overbeeckium Hamburgi morantem. 422
In Nuptias Adr. Blyenburgii. 425
Venus ἀναδυομένη, in Nuptias Realii. 432
Ad Ill. Dominicum Molinum. 438

Pro-

Propempticon ad Foppium ab Aiſſema. 442
In Moſen Nomoclaſten Honerdi. 445
Ad Annam Mariam à Schuurmans. 446
Ad Iacobum Volmarium Artium Magiſtrum. 448
Ad Gerardum Thibautium, de Gladii uſu. 454
Querela Lucretiæ. 457
Oratio Scævolæ. 459
Oratio Veturiæ. 461
Oratio Catilinæ. 463
In Nuptias Petri Hoofdii. 466
Propemticon ad Ioannem Scoterbos. 470
Ad Winandum Rutgerſium. 474
In obitum Mariæ de Ionge, uxoris L. Kinſchotii. 477
Ad Cardinalem Richelium. 480
In Nuptias Theodori Gravii. 482
In Nuptias ſecundas L. Kinſchotii. 484
In inaugurationem illuſtris Gymnaſii Amſtelodamenſium. 488
Lachrymæ in obitum Iacobi vander Strateu. 498
Schaga ſive in Nuptias Domini de Schagen. 501
Amor Sapiens, ſive in Nuptias Cornelii Gravii. 507
In libros Poëmatum Iacobi Catſii. 512
In Nuptias ſecundas Frederici Alevvini. 517
Ad D. Adrianum Pauvv Eq. &c. 521

In

In Nuptias Illust. viri Iohannis Polyandri, &c. 523
Propempticum ad D. Iacobum vander Burch. 529
Manes Pallasii. 533
Venus transmarina, sive in Nuptias N. viri Danielis Schonckii. 538
Epicedium in obitum Simonis Episcopii, &c. 542
In Nuptias Iohannis vander Meyde, &c. 546
Visurgis lachrymans, sive in obitum Nicol. à Rheden, &c. 550
Ad Ill. Dominum, Comitem de Chavigni, &c. 553

LIB. IV.

Paradisus, sive Nuptiæ primorum parentum. 557
Faces Sacræ, sive Hymnus Salomonis. 581
Pharmaceutria, sive Nuptiæ Cyri & Aspasiæ. 606
Damon sive lib. secundus Nupt. Cyri & Aspasiæ. 624
Cynismus, sive Nuptiæ Cratis & Hipparchiæ. 642
Rhadamanthus mollior. 658
Cheiromantis. 673

Virgo ἀνδροφόρος, sive Nuptiæ Eginardi & Emmæ. 692
Amphitruo Tholosanus, sive Pseudomartini Guerræ historia. 711
Ad Ill. Comitem Vlricum Frisiæ Orientalis Com. 730
Epistola Cardinalis Richelii. 732



C. BARLÆI
POEMATVM
HEROICORVM
LIB. I.

Invictissimo, Potentissimoque Regi

LODOVICO XIII, IVSTO,

Henrici Magni filio, Galliarum & Navarræ Regi Christianissimo.

Regia Borbonii soboles, qua sospite dudum
Belga sibi facilem credidit esse Deum;
Sceptriferis illustris avis, illustrior armis,
Et rarum Astræa judice nomen habens;
Quam celebrat Bellona ducem, Pax laudat inermem,
Et cui tot terræ, tòt famulantur aquæ:
Non tibi barbaricum potantia vellera succum,
Aut mea Sidonias pagina donat opes.
Non, Indus quod mittit, ebur, quod Dalmata marmor,
Quæque gravem placant mascula thura Iovem.
Non bellatrices aquilas, captivaque bello
Oppida, non victo carbasa rapta mari.
Nos Christum, *Lodovice*, damus, Regemq; Ducemq;,
Nomina nominibus non aliena tuis.
Maxima dum cupio tibi mittere, maxime Regum,
Quo nequeo majus mittere, mitto Deum.

HYMNVS
IN CHRISTVM.



HRISTE, *patris magni soboles; quem nulla creavit*
Dextra Deum, potuitque Deus genuisse, sed æqua
Majestate parem; tunc, cum flammantia nondum
Lumina labentem veherent mortalibus annum,
Et Chaos, innumeros avidum confundere vultus,
Displicuit deforme sibi, tenebrisque profundum
Horruit, & spissa latuit caligine Nereus:
Erige me, dum siderei spatia invia mundi,
Lucentemque globum Lunæ, suspensaque celsis
Atria fornicibus, nulli calcanda profanis
Templa supergradior pedibus. Tu prime salutis
Inventor, patriique Deus monstrator Olympi,
Adsis, ô Rex magne, favens. sequar optime ductor,
Quò vatem tua fata trahent: sive æthere in alto
Imperii consors habitas; & grande Creator
Naturæ moderaris opus: seu jussa Parentis
Exequeris veneranda tui, nostraque Redemptor
Valle sedes, miserisque paras vadimonia terris:
Seu totum Phlegethonta domas, ipsosque furentis
Irruis in Ditis thalamos, & Tartara magno
Ostentas captiva Patri: seu digna laborum
Præmia, & antiqui repetens fastigia regni,
Aëreos supra tractus, & nubila, vastum
Consiliis latè fulcis sapientibus orbem.
Magne Deus, tu cuncta unus primordia rerum
Antevenis; tu secla, dies, ac tempora nescis,
Seclorum venerande parens. non terminus ævi,
Principiumque tui est. tu magno à lumine lumen
Descendis, de patre Deus. nec honoribus illi,

Nec regni splendore minor. tibi nulla coruscum
Obscurat caligo decus: nec fracta fatiscit
Fatorum natura minis. tibi fœta bonorum,
Parturit hæc eadem, bonitas: animumque perennem
Vis immensa subit. tibi rerum præscia mentis
Illustrat mens ipsa jubar, diffusa per omnes
Temporis articulos, & quæ longinqua trahentur
Ætatum spatia, & venientum facta nepotum.
Tu numen cœleste, potens, venerabile, sanctum,
Virtutis mensura tuæ, divortia mundo
Magna facis, cœlumque colis, dignosque penates
Terrarum rectore tenes; ubi clara potestas
Emicat, & geminos princeps dimissus in axes
Tot passim delubra vides, sacrataque sanctis
Atria nominibus. tantis sed sedibus olim
Ipse prior, vasto fueras Deus unus inani,
Nondum operi discrete tuo. tibi sola beato
Sufficiens tunc vita fuit, non indiga nostri,
Non opis externæ cupiens. tu solus ubique,
Soli aderas, immense, tibi; Deus undique, & unus,
Sed nondum tunc rector, eras. Iam cuncta salutis
Volvebas momenta meæ, mundique labores:
Quò ruerem peccator homo, quo gratia staret
Fixa gradu, quantis ruerent primæva periclis
Federa, quæ tantam repararent funera cladem,
Placaret quæ cura Deum. tu victima terris,
Tunc vindex decretus eras, & debita fato
Progenies, culpæque meæ præcognitus obses.
Iam tum supplicium sceleri, ultoresque parabat
Flagitiis mens ista dies. jam cultor honesti
Prævia divini capit argumenta favoris,
Et placuit donanda Fides; crimenque piandum,
Et ventura salus à te suspenditur uno.
Tunc poteras fecisse aliquid, quod velle voluntas
Noluit, imperioque stetit frenata potestas,
Arbitriique modus; donec se fudit in actus
Libertas

Libertas spatiosa Dei, grandemque per orbem
Explicuit varios rerum Sapientia vultus,
Lætaque præclaris Bonitas eluxit in ausis.
Principio terras, suspensaque mœnia mundi,
Æterno cum Patre, creas. tu conditor adstas,
Et jam nascenti das incunabula cœlo,
Immensi consors operis. sublimia surgunt
Atria, cœlicolûmque lares, & regia primùm
Autorem capit ista suum. diducta per omnes
Majestas augusta locos venerabilis illa
Sede habitat, totumque suo fulgore coruscat
Numen, & illustri dictat nova jura theatro.
Ipse chorus Cherubinorum, Seraphinaque latè
Agmina, adorandi circùm subsellia Regis,
Expectant, quò jussa vocent, dominoque ministrans
Obsequio se quisque probat. pars psallere docta
Æterni Genitoris opus, rerumque celebrat
Grande rudimentum: pars, quæ facienda supersunt,
Arcano sermone ferunt: pars cardine in isto,
Pars alio mandata refert. stupet omnis, & horret
Turba Creatorem, pavidosque à lumine vultus
Abdit prona suos. tantis tu testibus atras
Diffindis luci tenebras, caligine flammas
Eximis, & laxo suspendis in aëre terram,
Impavidus quò vergat onus. Tibi fundit ab ortu,
Sed nondum Sol fessus equos, medioque sub axe
Insuetus tantorum operum, cursusque viæque
Occasum præceps metuit. non viderat illum
Tartessus, Gadesque suæ, non laverat undis
Oceanus, gremioque exceperat Amphitrite.
Cynthia nocturnos ducit per signa jugales,
At fratri debere dolet. sua cornua nondum
Senserat, innumerasque vices. nec tramite certo
Phœbæos illi tellus inviderat ignes,
Aut umbris cessere faces. non lumine pleno
Æquorei tumuere sinus, Tethysque remisso

Detumuit, littusque procul post terga reliquit.
Tunc quoque distinctam stellis radiantibus æthram,
Errantesque Deos, & tot tibi numina subdis,
Sed nondum tunc astra Deos. stant sidera castris
Quæque suis, nusquam gelido propiora Bootæ
Ulla meant, nec Spica humilem deflexit ad Austrum.
Non regit Argolicas Helice conspecta carinas,
Non Tyrias Cynosura rates. non vespere claro
Hesperus auratæ Veneris præsederat aulæ,
Aut thalamis genialis erat. mox pontus & æquor
Incubuit terræ gremio; dominumque tridentis
Oceanumque patrem, tempestatesque sonoras
Pertimuisse aliquis poterat, ni rector aquarum
Objectis pelagi rabiem frenasset arenis,
Et sibi præscripto Triton adsuesceret alveo.
Ante oculos tunc phoca tuos immania stravit
Corpora, & in mediis vituli lusere marini
Fluctibus; & quaquaversum sua flecteret ora,
Audacem nusquam pistrix innoxia Tiphyn
Vidit, & intrepidam dentes defixit in Argo.
Tunc magni patuere sinus. ubi Persa superbas
Vectat opes, ubi Erythræas scrutatur arenas
Dives Arabs, rapidusque ingentia flumina Ganges
Evomit; aut multo sitiens se proluit auro
Indus, & ardentes Carteïa separat Afros,
Et Calpen Abylæ divellit montibus unda.
Ionii latrant fluctus. adversa Charybdi
Scylla fremit, tumidis Aquilonibus Adria surgens
Verberat Ausonii latus implacabile dorsi.
Concrescit Scythicus glaciali sidere pontus,
Caspia stagna jacent, Ægæo murmure Thracum
Regna sonant, Helle Euxinum sese abdit in æquor,
Bosphorus in Tanain. vastas longinqua paludes
Mæotis bibit, & Boreales Balthica fines
Littora, conclusumque alibi Scritofinnia potat
Oceanum, & longis damnatus Lappo tenebris.

Irrigat

Irrigat Assyrios Euphrates fertilis agros,
Armeniam Tigris, Cyproque adversus Orontes
A Libano deducit aquas. Memphitica tellus
Accipit undanti turgentem gurgite Nilum,
Et septemgeminis crocodilum faucibus edit,
Venturum populo numen. Tu fontibus Istrum
Excis, Christe, tuis, & per spaciosa vagantem
Pannonii rapis arva soli. nec jussa morantur
Vistula, Volga, Nicer, Rhenus placidusque Visurgis,
Sequana, piscosusque Liger, rapidusque Garumna,
Nec tunc Romulidûm Mavortia mœnia scindens
Albula, nec pontem tunc indignatus Araxes,
Ausoniosque Duces, nec adhuc Phaëthonta misertus
Eridanus, nec Tellao tunc cognitus Indus.
Ipsa Arethusa novas subterlabentia terras
Flumina Sicanus aperit, propriisque reflexis
Occurrit Mæander aquis. O quanta laboris
Cernere das monumenta tui, fastigia cœlo
Æmula, nubiferas Alpes, & Pelion altum,
Riphaeosque apices, & qui suffulciat Atlas
Sidera, Pyrenesque jugum, & frondentis Olympi
Culmina, & aërii nemorosa cacumina Pindi,
Et nondum Enceladi fumantem afflatibus Ætnam.
Federa cum Superis tellus facit. æthera Vesta
Conciliat robusta manus. nova bella perenni
Corpora pace gerunt. coeunt æterna caducis,
Inque vices mors, vita fluunt. genuisse, perisse est,
Et rursus, periisse, salus. Quæ gratia primi
Veris erat, quali luces fulsere sereno,
Cum primum arboribus venit vigor, umbra cupresso
Decidit, occulti nemorum patuere recessus,
Hercynii saltus, cum frondifer Apenninus
Extulit excelsum caput, & sese abdidit astris.
Tu terra latas segetes, glandesque caducas
Elicis, & tenera magnum das cernere in herba
Numen. odoratis Hyblam & fragrantis Hymetti

Iugera conspergis violis. jam prata Sabæis,
Et Cilicum redolent messes, Panchææque rura,
Taygetusque virens. Tibi solo concita nutu
Donat equos, nullo tellus percussa tridente,
Donat apros, vastisque pares elephantibus hydros,
Et Pelusiaco nondum quæ mugiit Isim
Littore. te mandante sui securus aratri
Taurus adest, trepidæque futurus portitor Helles,
Primaque Marmaricis tigris stat mitior agris.
Nec minus insolitis concentibus aëra complet
Aligerum genus, & variis garritibus almos
Personat Auroræ thalamos, dominumque salutant
Vocibus attonitæ volucres, quas stagna Padusæ,
Quas Athesis, quas Arnus alit, quas unda Caystri,
Eridanique fovent ripæ, vel Mincius amne
Excipit. at nusquam viduatus compare turtur
Ingemit ad socia tumulum, non Daulias ales
Plorat Itym, necdum Ledæos vatibus artus
Dissimulans dictavit olor. per nubila vecti
Ostentat se quisque tibi, laudesque creantis
Ingeminant, primosque probant te judice cantus.
Tandem, ubi sexta dies nitido processit ab ortu,
Qui terras, pelagusque regat, rerumque capessat
Imperia, & docto flectat moderamine mundum,
Aspexit natura virum. dat gleba decorum
Maiestate caput. totus cui militet æther,
Adspectat sua regna pater, lateque patentis
Frena soli, fascesque capit. Tu, Christe, stupendum
Magne opifex moliris opus, tu numinis umbram
Humana sub carne tegis, summique refulgens
Exemplar cupis esse Dei. stat clarus in orbe
Terrarum moderator, Homo. quem spiritus unus
Intus alit, cunctosque potens diffusa per artus
Mens agitat, varioque latens se munere pandit.
Non spectata oculis, fatorum erepta periclis,
Interitusque ignara mali; rationis, & æqui,

Virtutumque augusta parens, venerabile cœli
Depositum, cui cœlestes sapientia curas,
Alternasque vices rerum, verique reclusit
Arcanos doctrina sinus. nondum ira rebellis
Spreverat imperium, nondum vesana libido
Traxerat aversam studia in contraria mentem,
Aut suasit pradulce nefas. non causa fefellit
Ingenium, non verba fidem; non luxus honestum
Dispulit, aut fastu studuit calcare minorem
Ambitio. toto pietas proscripserat orbe
Infames scelerum vultus. non horruit insons
Terra Deum. nondum pœnis celebrata Lycurgi
Laus erat, aut spretæ tenebroso carcere leges
Damnavere reum. nondum perjuria Minos
Oderat, aut rigidi clamabant jura Solones.
Ipsa suis constans praerat Prudentia factis,
Et recti connatus amor. non regula vitæ,
Non probitas discenda fuit, non ulla pudoris
Arguerat sontem facies, nocituraque mundo
Probra fuere palàm. tales sperare nepotes
Nec difforme genus poterat, sobolemque parenti
Degenerem. Tu praclaris nova federa pactis,
Magne creator, inis: hominemque affaris amicum,
Municipemque poli. tu vasta palatia cœli,
Nec visas promittis opes. tu mortis, & omne
Parcarum proscribis opus, sine finibus annos,
Perpetuosque dies, æternaque secula donas.
At postquam Superorum odiis incanduit atrox
Dux Erebi, suasitque scelus; librata voluntas
Fasque nefasque inter, vetitos deflectit in actus,
Et tanti, carpsisse, putat. corrumpitur orbis
Ad placitum ferale gula. subvertit honores
Luxuriosa fames, & tanta exorsa fatiscunt
Conjugis imperio. spernit sua fata ruentis
Fortuna fabricator homo, probitasque, fidesque
Exuitur, Stygiaque placent perjuria linguæ,

Et pomi malesanus amor. sua funera versat
Inconsulta manus, manditque sub arbore lethum.
Fatales sub fructu epulas, sub dente sepulchrum.
Quò ruis? & de te nascendum germen eadem
Involvis quoque sorte, patèr? cur noxia non est
Dextera sola tibi? cur nobis quærit iniquos
Libertas nocitura cibos? & culpa parentum
Culpa mea est? cur me sociato crimine raptas
In commune nefas? & rupto fœdere mundi
Arcessis Phlegethonta tuis, mortisque labores?
Et pacem & positas audax dissolvere leges?
Non tibi jam solito subrident sidera vultu,
Nec tibi felices audes promittere Soles.
Corrumpit sacros vesana licentia mores,
Et mala confertim subeunt. metus instat eunti,
Crescit amor, scelerumque labor. discordia, luctus,
Cura, fames, livorque sui vexator & ultor
Ponè premunt miserum. fauces laxantur Averni
Tartareæque domus, caligantesque tenebræ
Exspectant mortale caput. jamque invida terris
Astra nocent, terret flatu nimbosus Orion,
Littora transcendit pelagus, sua munera tellus
Asperat, & lolium sterilesque extrudit avenas.
Ipse inimica suo fundit de corpore serpens
Toxica, & immani noxas intendit hiatu.
Ante oculos stant fata tuos, & stamina rumpens
Atropos ingentes spumis furialibus iras
Colligit. æternæ spes indubitata salutis,
Cælestumque favor justo cessère furori.
Heu nimis ignavæ mentes, & prodiga tanti
Relligio primæva boni, nec docta secundis
Temporibus servare modum. quàm nescit eodem
Stare diu fortuna loco. quàm quicquid in alto est
Labitur, ingentemque trahit sors magna ruinam.
Gaudiaque invitant celeres contempta dolores.
Sic dum jussa prior violas, & pacta resolvis,

Solvunt

Solvunt cuncta fidem : tibi nec debere putavit
Se quicquam natura parens, quem negligit æther,
Et fastiditi refugit clementia cœli.
Hos inter casus, primique incommoda secli
Rursus, Christe, faves, & læto rupta Redemptor
Fœdera promisso reparas, & grande malorum
Fulcis sponsor onus; nec quam sperare salutem
Fas fuerat, sperare jubes; causamque clientis
Induis ipse tui, & pariter cum vindice, jam tunc
Incipis esse reus. cœli pacatoṛ & orbis
Erigis exanimes, & magno languida luctu
Corda levas, lapsisque cupis succurrere rebus.
Tu soboles, tu semen eras, tu debita terris
Progenies, quam castra ciet pallentia contrà
Lurida Tisiphone, quæ post sua funera victrix
Surget, & exuvias ditis spoliabit Averni,
Vmbrarum, lethique potens. Te præscia Christum
Expectant tot vota Patrum, spectantque priorum
Natales cupida ora tuos. fit parvulus Isac
Exemplum ferale tui. quæ ligna puellus
Bajulat, hæc tua sunt, hæc sunt morientis imago
Terrarum Domini. magno tua nota fuere
Sceptra seni, regemque sibi despondet Iüdas.
Adspicit effusas, typici sed sanguinis, undas
Memphis, & innumeras inter solatia mortes
De te certa capit. toties quæ cædibus aræ,
Et centumgeminis fumant altaria tauris,
Supplicii sunt scena tui. cur, magne sacerdos,
Sacra facis? mediique subis penetralia templi?
Cur tibi secretos dirimit cortina recessus?
Cur hac sede latet Seraphim? cur balsama stillant
Vestibus, & rutila gemmarum luce coruscat
Pectus? & illimi toties adspergeris unda?
Hic vir, hic est, quem tota gravi sub lege vetustas
Abdidit, & cæca involvit caligine Moses.
Ille Palæstinis oracula vatibus olim

Prodidit, arcanoque afflavit pectora motu:
Seque, suosque obitus, & dira præmia mortis,
Et genus, & patriam, & tanti miracula partus,
Immensumque reclusit opus. stupet edita cælo
Isacidûm responsa domus. promittitur orbi
Oceani terræque pater, rabidumque Sibyllæ
Pectus & Euboicæ fundunt præsagia Cumæ.
Nec puduit cæli sobolem, mundique parentem
Mortali mox carne tegi. fert pondera mater,
Autorem complexa suum. gestatur in alvo
Materni faber ipse sinus. pars arctior orbis
Numen habet; capiturque loco, qui laxior omni,
Cuncta capit. Deus, ecce Deus, lux maxima mundi
Obscura regione latet, scribitque penates
Mens immensa sibi, & spatioso major Olympo
Iam fit matre minor. cunctis antiquior annis
Nascitur, atque sui primordia supputat ævi.
Immortale coit fragili, cæleste caduco,
Et Deus in membris habitat, visusque creator
Ambulat, & vilis partem augustissima glebæ
Consociat natura sibi. spectatur in uno
Rerum summa viro: vastique extrema theatri,
Hinc cæli, hinc terræ dominum complectitur infans.
Magne puer, tua cælesti cunabula latè
Per populos præcone tument. te prævius anteit
Isacidûm de gente nepos, cui rustica præbent
Mella cibos, & cruda parant alimenta locustæ,
Horridaque agrestes circundant tergora pelles.
Talis mane diem & roseos Hyperionis ignes
Aurea prægreditur roseis Aurora capillis,
Venturumque Deum terris, plenasque remisso
Testatur splendore faces. sic regia jussi
Numina præcedunt famuli, nec fulgida sceptri
Majestas sine teste venit. præludia lecti
Sponsus amat, tædisque præit gavisa juventus.
Te nascente, ferunt supremi ante ora parentis

Angelicos lusisse choros, & carne latentem
Præsensisse Deum. stellataque machina mundi
Proscripsit ferale jubar. micuere secundo
Omine siderea facies; dum pignora cœlum
Tanta sibi promissa putat. sua frigora fulgens
Ægoceros media voluit mitescere bruma,
Et tepuit glacialis hyems. decessit Olympo
Arctophylax, fugit socia cum conjuge Cepheus,
Et Chiron, Perseusque ferox, & Pleias, & ipse
Amphitryoniades; nec toto fabula cœlo
Vlla fuit, vatumque labor. sub Principe tali
Non ultra stricto fulsit nimbosus Orion
Ense ferox, pacisque Duci sua subdidit arma.
Hoc nascente, sui jam tunc præsagus honoris
Intumuit Iordanis aquis. Galilæa futuros
Præcepit mansueta sonos. Bethlemia risit,
Heu luctus ignara sui. melioribus undis
Asphalti fluxere lacus, priscique doloris
Immemores læta latices fudere paludes,
Et fœdos, puer alme, tibi pressere vapores.
At Solymæ montes, & magno sacra Tonanti
Templa, laresque pii, & multo liventia tabo
Limina, Iessæa clarum penetrale tiarâ,
Adventu tremuere tuo. perculsa verendis
Aula puerperiis, & sceptris æmula fasces
Extimuit vesana tuos. Tibi corniger Ammon
Conticuit, fallaxque suæ mendacia linguæ
Dedidicit. pressere leves oracula Delphi,
Nec Lyciæ sortes, insanaque jussa Deorum,
Non Carmenta sagax, non Manto, & Pythia vates,
Deiphobe vivax, Dodoniadesque columbæ
Invenere fidem. proscriptis fraudibus orbis
Hoc veri doctore sapit. Sed Tartara major
Terror habet, subitque atros formido penates,
Et Phlegethontæus domino adventante tyrannus
Horruit, & timidis languens expalluit umbris.

Turbati manes Erebi, gentesque profundæ
Hoc altum siluere die, flagrisque remissis
Eumenides, magno compressa pectora luctu,
Irarum stimulis formidatoque furori
Imposuere modum, laxata licentia pœna est
Sontibus, & nulla miseros strinxere catena.
Sancte Puer, non te facili lætata marito
Conjugii vis blanda dedit. te parturit æther;
Cœlestûmque labor, totòque electa Sione
Virgo decens. tumuere sinus, jam numine pleni,
Felicis Mariæ. sic prisca labe carentem,
Nec jam servantem sceleris vestigia nostri,
Fata dedere piis. toti pax reddita mundo
Adspexit, qui grata suæ feret otia genti,
Æternæ pacis dominum. sub Cæsare natus
Imperium regale capis, bellisque repressis
Bella paras; Stygioque moves nova prælia regi,
Dum Latio Bellona silet, dum Martius horror,
Iræque, insidiæque, & vis scelerata nocendi
Ferratis frendent portis; & vincula mordent.
Sed Vatem jam, Christe, vocas, qua pauperis aulæ
Hospitio contempte jaces. regnator Olympi,
Naturæ pater, & spatiosi gloria mundi
Sperneris, & tugurî congestum cespite culmen
Depositum tam grande fovet. penè exulat orbe
Orbis honos, tenuesque lares & limina servat
Majestas speciosa poli. turgentia fastu,
Et picturatis videas aulæa columnis
Surgere, quæ Pelopi Lydus, vel Persia Xerxi,
Mausolo regina struit, regalia cingunt
Pignora Sidoniæ chlamydes, & lucida gemmis
Surgunt sceptriferis augusta cubilia natis.
Sola ruinosos soboles divina penates,
Paupertasque colunt. Tyrio non murice pallæ,
Fulgentique croco redolent, nec vellera Serum
Involvunt teneros artus. sua munera nescit

Cunctarum donator opum. caret ætheris autor,
Quæ fecit, tribuitque, bonis: & jussa parentis
Dum facit, obsequio regum postponit honores,
Dissimulatque Deum. sed enim cunabula longè
Chaldæi videre senes. Te sensit ab Ortu
Assyrius, Persæque Magi. dant munera Reges,
Et præeunte sagax Babylonius horruit astro.
Uberibus sanctis Mariæ, charoque redemptor
Crescis adoratus gremio. Te sustulit ulnis
Mater, & haud vero porrexit ad oscula patri.
Quin tua cœlestes celebrant natalia turmæ,
Et votis adsunt Superi. ventura potestas
Claruit à pueris, & dum contemptior exis,
Imperii tot signa micant. sit parvula Bethlem,
Sit despecta parens, vili involvaris amictu,
Crederis has inter sordes augustior infans.
Ecce manus juvenum interea, pecorumque magistri
Approperant, quibus insolito splendore comarum
Innocuus collucet apex, & læta futurum
Promulgant oracla Ducem. Tot testibus heros
Nasceris, inque tuis coëunt præconia cunis.
Dictat vota senex: mediis tibi carmina templis
Anna fremit: positumque truci sub lege sacerdos
Vulnerat, & sacris operans agnoscit apellam.
Inclyta progenies, magnum Patris incrementum,
Quò patria tellure fugis? tibi destinat idem
Exilium, vitamque dies. num prævia sorti
Præludunt hæc fata tuæ? cur sceptra gerentem
Sceptra premunt? regumque furor vagitibus instat,
Armorumque minæ? per tot discrimina rerum
Proveheris, magnique patris mandata capessis,
Nec sine lege fugis. quantas Bethlemia clades
Spectasti, miserata tuæ tot funera gentis,
Insontesque animas, quæsitaque corpora letho,
Insertosque truces jugulis puerilibus enses!
At tu, nate Deo, medios elapse per hostes

Nilia-

Niliacos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Phari poteras; longisque erroribus actus,
Thariadæ veterumque premis vestigia Patrum.
Non mihi si latices Siloe, si porrigat Hebron
Pocula, si cunctis destillent collibus undæ,
Et vatem Dan ipse riget, tua dicere facta
Sustineam, casusque tuos. En pondere rerum
Obruor, immensæque absorbent carmina laudes.
Vix tibi bissenis ætas defluxerat annis,
Argueret cum cura virum, subsellia mystam,
Attonitasque senum præcox facundia mentes
Duceret, & sacris puerum Iudæa stuperet
Porticibus, moresque tuo decerperet ævo.
Tunc poterat novisse Deum. nec vivida cœli
Vis sufferre moras valuit. responsa daturus
Supplicibus divina venis, populumque labantem
Erigis, & latis recreas affatibus urbes.
Tutaris sermone reos: clementia verbis
Inseritur mansueta tuis: non displicet hostis,
Diligiturque nocens: in nos peccantibus ultrò
Ignovisse doces. semper placabilis adstas
Sontibus: invisæ damnatur subdola linguæ
Gratia, & in segnes proclivia tempora luxus.
Vltoris rabies, & personata notatur
Relligio: plus illa placet, quam candor & insons
Iustitiæ commendat amor: secunda bonorum
Exigitur, non pigra fides. jam templa repurgas
Quæstibus, & patulis inhiantem faucibus auro
Pellis avaritiam: perfusa superbia fuco,
Et levis ambitio, regnique insana libido,
Imperiique furor sancto proscribitur ore.
Ingenium, sed mite, probas: solatia lugens
A te magna capit, nec tali judice cœlo
Paupertas invisa fuit. felicibus inde
Auspiciis duras constans patientia leges
Accipit, & precio gaudet contenta futuro.

Quicquid amat, poscitque levis vesania mundi,
Officiisprevisse tui est: si gaudeat ille,
Vis plorare pios: quod si suspiria ducat
Tristior, hos gaudere mones: quod credit honestum,
Turpe putas; quod turpe, bonum. tibi charior esse
Qui cupiet, suus esse cavet: tunc vita paratur,
Cum praesens neglecta fuit: sapientia, luctus,
Gaudia, divitiae, regnum, pax, bella, triumphi
Iudicibus distant geminis. discrimina recti
Cum Superis natura facit. Te teste beati,
Cum miseris licet esse, sumus; despectaque viles
Colla levant animae, atque inopes aeterna coronant
Praemia, nec longo marcescens laurea seclo.
Has coeli largiris opes, promissaque patris
Asseris intrepidus. paucis haeredibus aether
Scribitur: & quamvis duro certamine constent,
Vis gratis haec dona dari. Furit inde ruitque
In sacrum gens dira caput, dominumque salutis
Despicit inconsulta suae. responsa docentis
Contemnunt cum plebe patres, contraque Tonantem
Coniurant tot sacrae acies. quaesita nocendi
Materies; gravibusque odiis alimenta ministrat,
Quod vinci virtute pudet. Tu nescia veri
Corda doces, charaque doles deliria gentis,
Ostentasque Deum terris. tua dividis aegris
Et miseris benefacta palam, grandesque per actus
Vis divina meat, numenque agnoscitur illis.
Credite jam Solymae, veterumque oracula vatum
Pandite Pontifices, promissaque tempora vestri
Explorate Ducis. Syrias spectate per urbes,
Quae nova portendant Superi, quo robore leges
Dedicat natura suas. Num reddita terris
Corpora? num manes ima tellure sepultos
Cernitis exciri, & trepidum spirare cadaver?
Hic sua per solitos circumfert lumina tractus,
Luminis orba diu. nectunt talaria plantis

Loripe-

Loripedes, & jam multum veracis Iesu
A pedibus documenta petunt. hic auribus adstat
Arrectis, discitque sonos. hic vincula linguæ
Laxat, & insuetas audire & reddere voces
Miratur se posse suis. nova jussa coërcent
Infamis rectorem Erebi, Stygiæque phalanges
Hoc mandante pavent, afflictaque corpora jussæ
Destituunt, mutantque alio sua regna profundo.
Subsidunt maria, & turbata per æquora Cauri
Detumuere truces. nec enim rex Æolus undis
Imperat, hic Deus est, tempestatesque coercens
Ventorum, pelagique pater. Quid Roma stupescis
Sanguine mutatos latices? meliore Lyæo
Insipidæ mutantur aquæ, mensisque resurgunt
Gaudia. quin fractis redeunt vitalia membris
Robora, diffugiunt morbi, luctusque, dolorque,
Datque malis veniam bonitas, miserisque salutem
Officiosa Salus. plenis alimenta canistris
Expediunt inopina viri, & succrescere pastis
Fercla stupent cuncti populis, totoque relictum
Plus superesse sibi. sensit miracula cælum,
Vnda, solum, & magno famulatur machina Christo.
At jam majorum subeunt molimina rerum,
Immensumque aperitur opus. quid in arma furentem
Impulerit Solymam, sacrasque accenderit iras;
Quid clarum pietate virum tot adire labores
Suaserit, ipse Deo quare succensuit æther,
Quæ miseris ventura salus, qualique litandum
Supplicio, priscumque nefas cervice piandum.
Distractos sileat Musarum pagina currus
Hippolyti, miserique truces Ixionis orbes,
Et fixam scopulo Andromedam, pœnasque Promethei,
Aut Tityi ferale jecur. Iam nostra reposcunt
Innocuum peccata caput, venerandaque fines
Evolvunt decreta suos. En proditur orbi
Progenies æterna Patris, preciumque nefandæ
Proditionis

Proditionis habet tanti conviva magistri.
Fit scelerum merx ipse Deus. pars inclyta mundi
Venditur, & toto pignus venerabile cælo,
Totque operum vilescit honor. mercabile Numen
Prostat, & hac audet servus de sorte pacisci.
Cessit avaritiæ pietas, sacroque furori
Relligio. nec jam blandi documenta favoris
Oscula sunt, etiam speciem mentitur amantis
Vultus, & infidis candor complexibus hæret,
Simplicitasque dolum patitur. quid stringis Idume
Insontes à labe manus? quid corpora ductas
Sacrilega captiva manu? cur crimina testis
Congeris? atque emptæ fundis mendacia linguæ,
Et fingis peccasse Deum? summoque Tonanti
Accinis infames templis suadentibus ausus?
Heu, captivus abit, quo solum vindice terris
Libertas ac vita datur; tenebræque datorem
Æternæ jam lucis habent. latet abditus atro
Carcere, & ingrati queritur tot crimina mundi;
Dumque reos toto passim circumspicit orbe,
Se cunctis cupit esse vadem, spondetque redemptor.
Ille Palæstini metuenda palatia regis,
Sacratosque lares, & prisco dissona ritu
Tecta subit, rigidique audit suffragia juris,
Et culpæ momenta suæ; pavidumque tribunal
Dum videt, & trepido damnari judice causam,
Ceu victus, ratione silet; lenique modestus
Quidlibet ingenio subigit, spernitque ferendo.
Nec satis est magnis aulæ rectoribus ipsum
Displicuisse Deum. salibus vesania ludit,
Lascivitque jocis populus, milesque profanus
Ludicra sceptra parat, despectaque purpura Regem
Arguit, & viles commendant regna coronæ.
Intereà indigno crudelis dextra flagello
In miseros artus, damnataque tergora sævit.
Verberat improbitas, petulansque ferocia nudum

Lancinat ; & ne quid sceleris restaret inausum,
Aut ignominia, aut pœna pars ulla vacaret,
Ora manus violat, pulchrosque amentia vultus
Conspuit, & secum scelerata insania certat,
Et nescit vis tanta modum, cumulosque malorum
Congerit, atque suo applaudit Iudæa furori.
Scilicet illa sui magnus Servator amoris
Communes vult esse notas, ut venditus ipse
Nos redimat, vinctusque exolvat corpora vinclis,
Absolvatque reos insons : ut proditus orbem
Fraudibus expediat : ludibria passus, honorum
Feneret ac famæ titulos, æternaque laudum
Nomina ; captivosque, etiam captivus, Olympo
Vindicet : ut nostras regalis adorea frontes
Cingat ovans : regesque sibi, dominosque triumphans
Associet: donet pavidæ solatia menti
Sollicitus: lachrymasque meis abstergat ocellis,
Cui lachrymæ fluxere prius : gemitusque piorum,
Qua gemuit quoque voce, levet : flagrisque repellat
Flagra suis : damnet malesani opprobria mundi
Majestas exposta jocis, tantique doloris
Scena per infandos decurrat lætior actus.
Cernite pendentem fatali ex arbore Christum,
Isacidæ. spectate trabem, qua nobile pendet
Hebræi columen generis, gentisque vetustæ
Vnica spes. spectate virum, quem templa, sacerdos,
Victimaque, & veteris referunt præludia secli.
En, quali moritur mundi consorte Redemptor,
Latrones inter medius. sublimior illis
Tollitur, ut posit credi sceleratior illis.
Stat geminos inter pietas spectata Photinos,
Iustitiaque pater sociis immixtus inerrat
Criminibus ; damnatque locus, pœnaque theatrum,
Quem cœlum peccasse negat. perfrssa trabali
Membra rigent clavo, distentaque brachia signum
Amplexantis habent. peccantem invitat Apellam
Dextera,

Dextera, sed nondum recutitum blandius ad se
Læva vocat populum. facilis clementia cunctos
Allicit, & gestit peritura parcere turbæ.
Quàm capitis subsidit onus, cervixque remissa
Annuit; & prono nobis fert oscula vultu,
Ceu propior laturus opem: quàm vulnera fœdant
Paciferos truculenta pedes: quàm vertice celso
Serta verecundam circundant spinea frontem,
Ludibrium, Iudæe, tuum: quàm mortua numen
Lumina dissimulant, humilique in imagine servi
Mens divina latet: quàm se sinit esse ministrum,
Iamque minor vult esse Deo, quem maximus æther,
Nec fulgens cum Patre parem fastidiet aula.
His decuit fatis, per tot discrimina rerum,
Ad Superos aperire viam. Proh, quisquis Olympi
Summa petis, sectare Ducem, cui pallida mortis
Deturpat faciem facies, horretque cadaver
Supplicio, nudumque latus transverberat hasta.
Qui stillat per membra cruor, quo sanguine tristis
Ara rubet, primi facinus fatale parentis
Expiat, & pellit, quos intulit ille, dolores.
Hic precium, pro thure, datur, placataque reddit
Numina, & adversæ solvit formidine mortis
Pallentes animas. hoc flumine defluit ægris
Æternùm mansura salus, Erebique fugatur
Horror, & æthereus signat nova fœdera rector.
Attica centenis fument altaria tauris,
Aut Agamemnoniæ ferrum crudele puellæ
Sæviat in jugulos; humano sanguine gaudens
Taurica barbaricas deposcat Cynthia cædes;
Absint Tantalidæ fratres, & Iasonis uxor,
Quæque sibi finxit miserorum fata vetustas:
Tu fidei Crux summa meæ es, tu sola labantis
Præsidium, tu certa meis solatia fatis
Sufficis, una meæ requies placidissima mentis.
Tu, veteris medicina mali, tot crimina sospes

Abluis, & rigida damnas suffragia legis,
Et formidatas inferni principis iras,
Cocytumque, Erebumque domas. O funus amicum,
O lethum vitale pius, ô grata dolorum
Commoda, sperataque neces, ô apta medelæ
Vulnera, quique ferent magni nova gaudia luctus,
Exhilaret qui corda dolor, miserosque relaxet
Pœna reos. in qua Superûm clementia victrix,
Iustitiaque rigor coit, & sapientia summi
Regis adorandos aperit consulta recessus.
Atque ea diversa Solymæ dum parte geruntur,
Autoremque Deum, regnatoremque profundi
Præsensit Natura pati, perterrita vultus
Abdidit, & totum tenebris involvit Olympum,
Absolvitque reum. media Sol luce coruscans
Occidit, & subitis mœrens expalluit umbris,
Et Christo moriente suos abscondit honores.
Ipsa etiam vastis tellus tremefacta cavernis
Horruit, & sceleri se dissentire nefando
Esse palam voluit. cernas delubra moveri
Supplicio perculsa Dei, suspensaque celsis
Fornicibus cortina novo discessit hiatu.
Maxime fatorum domitor, semperque vigentis
Imperii, vitæque pater, magne arbiter ævi,
Christe, jaces; vitaque & grati luminis expers,
Hæc quoque supremæ pateris dispendia sortis,
Informesque plagas. jam te mortale sepulchrum,
Et lethi funesta domus, secretaque mundo
Antra tenent, gelidoque rigent tua corpora saxo.
Hic misero concessa quies, hac meta laborum
Parte stetit, pœnæque modus. Tu, squallida quisquis
Tecta times, tacitosque lares, umbrasque silentum,
Hoc tumulo mirare Deum, tantique cadaver
Principis; & tali pudeat differre magistro.
Exstruite aratos obices, advolvite rupes
Improba gens, cingat captos custodia manes,

Sollicitusque

Sollicitusque pavor. circum stet fulgidus ære
Miles, & armato jaceat custode sepultus.
Non patitur murum pietas. cui cuncta creandi
Vis primæva fuit, nec delassata potestas
Edomuit deforme Chaos, vultusque latentes
Eruit, exuti pandit sacraria Ditis,
Perque domos Erebi, per ineluctabile fatum,
Tartareosque lacus, loca nocte silentia latè
Sternit iter. non humanæ molimina dextræ,
Non obices tenuere Ducem. laxata patescunt
Atria, neglectisque patet custodibus æther.
Sic illum periisse juvat. sic profuit orbi
Tot pœnas sensisse vadem. stetit obside in isto
Relligio, terrisque redux dum redditur, unus
Pallentes Stygiis animas emancipat umbris.
Nec jam vana fides redivivi vulnera Christi
Adspicit, aut tali dubitat se credere vati:
Qui post tot casus, post tot dispendia, cædes,
Flagra, neces, diræque crucis crudele theatrum
Exolvit se morte sua, rursusque resurgens
Publica jam parta dedit argumenta salutis.
Succubuit mors victa Deo, damnataque lethi
Causa fuit; cessit titulo Lex dura minaci,
Et didicit peccata pati, morituraque tandem
Corpora tam grandi sperant sub vindice vitam.
Quàm felix fuit illa dies, quàm lætior astris,
Et circumfusa liber caligine latè
Emicuit populis Titan, dominoque potenti
Assurrexit ovans. decuit cum Sole renasci
Iustitiæ jubar, & magno de lumine lumen
Fas fuit hos ipsos luci donasse triumphos.
Hæc regni lux prima fuit. nec proxima solito
Adventu nituere Dei; sed totus abactis
Nubibus exuitur Libanus, Iudæa renidet,
Insolitosque Sion radios Davidica vibrat.
Nec tumulos res tanta latet. turbata cientur

Tartara, & imperium non dedignata sepultos
Terra dedit, priscaque objecit corpora luci,
Et Solem desueta pati rediere sub auras.
Vos testes estote nurus, paribusque sorores
Vocibus, & quotquot portatum balsama matres
Venistis, myrrhamque piis aspergere membris.
Vos fractos tetigisse obices, semotaque saxa,
Et vacuum stupuisse locum, sine corpore sedem,
Credimus, & tanti famam vexisse laboris.
Per vos exanimi rursum data gaudia mundo,
Et solamen habent populi. Vos cœlica prima
Nuncia, & æthereo raparatam vindice cladem
Diditis in terras. vestri dispendia sexus
Sensimus; & peccans fatalia tempora mater
Prima tulit, tetricosque dies. nunc munere vestro
In melius gaudent iterum se vertere fata,
Feminaque ut mortis, sic altera nuncia vitæ est.
Transmittunt seclis vatum commenta futuris
Femineæ virtutis opus, quod præscia fati,
Suaserit imperium Tanaquil, trajecerit undas
Clœlia, tot cupidos uxor castissima sola
Traxerit arte procos, Latiis Cornelia portis
Vexerit illustres armis spoliisque superbos
Scipiadas: vobis debet præconibus ætas
Postera, vos sacros inter facundia cœtus
Tollet, & æternis donabunt carmina fastis.
At nunc humanos humili de pectore sensus
Excute mens, terræque satur, Christique malorum,
Sidera, & æthereis habitatas mentibus arces
Concipe. quid cessas vili secedere mundo?
Te sequor, asserta gentis decus, & tua fixis
Ponè preme, qua summa patent, vestigia plantis.
Fastiditur humus, magnisque illustrior æther
Annuit auguriis, & dum tibi sceptra parantur,
Christe, & adorandus toti decerneris orbi,
Eveheris, terrasque super, sublimior astris

Tolleris, & dudum promissum ordiris honorem.
Regna tibi, sed prisca, patent; regisque capessis,
Æterno sed jure, decus. spectate triumphum
Christigenæ, qualisque redux conscendat Olympum
Victor, & exuti spoliis Acherontis onustus,
Occupet augustam titulis regalibus æthram.
Officii partes dirimunt tellusque polusque.
Obsequii locus illa prior, sed dignior ille
Imperii decorisque fuit. quem spreverat illa,
Ille capit. nec jam lachrymis perfusa madescunt
Lumina, non lachrymis gemitus, non luctus inerrat
Vocibus, aut nostræ præstat vadimonia culpæ.
At clarum novus ambit honos, & fulgida cœli
Gloria, & Angelicis speciosum cœtibus agmen
Irradiat splendore virum. fremuere leones
Romulidis, sociisque Ducem traxere lupatis:
Hunc supplex natura vehit, nubesque ministrat
Tot rerum officiosa parens. sedet ille, ruitque,
Qua surgit Tarpeia domus; sed sidera tranat
Alter, & inferius positos sibi subjicit axes,
Et quicquid mortale fuit. captiva per urbem
Agmina barbarico videas infrendere vultu,
Totque catenatos lentè procedere Reges.
Hic Regem, dominumq; Erebi, & Phlegethontis avari,
Criminaque, & sævo minitantia fata flagello,
Quæque obitus Superûmque truces lex nunciat iras,
Post sua terga trahit. cingunt victricia lauri
Tempora, vel querni ludunt in frontibus orbes,
Quæque triumphatis nectuntur gramina rostris.
Huic orbis pro sorte datur, sunt præmia cœli,
Terrarumque plagæ; tituli Regumque Ducumque,
Laus laudi cognata patris. dat munera rector
Ausonius, numeratque suis sestertia castris.
At nos æternæ solantur munera vitæ,
Et merces datur ipse Deus. pax, regna, voluptas,
Gloria, libertas domino donantur in illo.

 Agno-

Agnoſciſne tuos, Princeps venerande, penates?
Hi ſunt, quos toties odiis vexatus acerbis
Patre tuo monſtrante petis. penetralibus iſtis
Sors nobis promiſſa latet, tot vota tuorum
Excipis, & quamvis celſa regione locatus,
Afflictæ tamen uſque cupis miſereſcere gentis.
Hîc tua difficilem vitiis clementia patrem
Lenit, & ingentes orando mitigat iras.
Hîc Regem te, Chriſte, geris; præfracta tyrannis
Colla domas, ſceptroque potens ultore coërces.
Hîc ſapiens fluctus, tempeſtateſque futuras,
Et populi tot fata tui moderaris, & inter-
Claſsica, bellorumque minas, regumque furores
Conficis electæ tranquilla ſilentia turbæ,
Alcyonumque dies. illinc perculſa tuorum
Pectora, & ingenti fractas formidine mentes
Afflaſti propiore Deo. nova reddita ab alto
Vis animis, ſacraque piis præcordia flamma
Incaluere viris. fundit facundia voces,
Muta prius, diſcitque loqui. timor exulat omnis,
Seque paludatis infert fiducia tectis,
Præſidii ſecura ſui. biſſena per orbem
Corpora ſub gemino latè dum Sole vagantur,
Innocuum virtutis iter, cæloque recludunt
Delitias, tenebriſque inſuetam affundere lucem
Occipiunt, cunctiſque ferunt tua nomina templis.
Tot circum delubra ſilent, nec credulus error
Tercentum tonat ore Deos, Hecatenque, Iovemque,
Stultaque tergeminæ veneratur ſaxa Dianæ.
Diſplicet improbitas, gaudet cæleſtibus auſis
Pro te quiſque mori. pudor eſt plus pendere vitam,
Quam fidei decreta tuæ: laus unica ſperni eſt,
Nec placuiſſe ſibi: laus altera, ſpernere, quicquid
Deſipiens expoſcit amor, vel turgida faſtu
Ambitio, vel quod rimatur fraudibus aurum
Dira fames. ſic tota tuis natura renaſci

Imperiis

Imperiis studiisque potest, & numine plena
Imbibit æthereas mortali in corpore curas.
Salve siderei proles æquæva parentis,
Et tandem, rediture, redi. da cernere vultus
Posse tuos, nubesque inter libratus & axes
Extremum hunc, Rex magne, tuis concede laborem.
Vltima decrepito dicta suffragia mundo,
Et scelerum formas, vitasque, & crimina disce.
Tot Iudex discerne reos. clementia partes
Et peragat mens justa suas. sapientia totum
Flectat opus. vasti cieat spatia undique mundi
Dextra potens. reddat pelagus, quos abdidit undis;
Funereasque domos & cæca habitacula pandat
Terra parens. coëant clari cum paupere fasces,
Cum fullone togæ. subsidant arma potentum,
Tot pateant fraudum portæ. tua vulnera spectent,
Qui fecere, rei. timeant oracula, quotquot
Hic sprevere prius. sic tanti scena theatri
In partes abeat geminas, vitæque necisque
Arbiter æternis claudas hos finibus actus.
Interea decreta tibi dum tempora differs,
Respice, quæ mediis tua jam jactatur in undis,
Christe, ratis. compesce Notos, infestaque transtris
Æquora. tu nobis tanta caligine rerum
Pro Polluce mica, nobis pro Castore fulge;
Vt per noctivagos errans tua cymbula tractus,
Scyllæos inter scopulos, interque Charybdin,
Rectum servet iter. divulsa aplustria puppis
Collige, distractosque duces concordibus uni
Ingeniis. pacem dona rectoribus orbis,
Et quos non thalami, placent tua vulnera, Iesu,
Et mortis sors dura tuæ. sociata perennent
Lilia mixta Rosis, æternaque fœdera jungant
Terrarumque marisque Deos. Tu flectere Reges,
Tu solus lenire potes, tu mitibus iras
Consiliis dictisque domas. Hæc vota Redemptor,

Has audi, Deus alme, preces; magnique tiaris
Borbonii, *Regisque tuo de nomine dicti,*
Prospera compositis decurrant secula bellis.

Sereniss. Potentiss. Invictiss.
Principi,

CAROLO I,

DEI GRATIA

Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ
Regi, Fidei Defensori, &c.

QVem paci servant Superi, Mars commodat armis,
Et belli studiis vult Soror esse pium:
Quem regni præcepta Parens, exempla Vetustas
Edocet, ac cœlo destinat alma Fides;
Accipe regales, *Princeps Auguste,* triumphos,
Et facilis Musas sublevet aura meas.
Cum legis effusos in publica vota Britannos,
Hæc eadem Belgas dicere crede tuos.
In Batavis pudor est, Regem Dominumque creari.
At fas in Batavis sceptra Deosque cani.

BRITANNIA TRIVMPHANS,

Sive in Inaugurationem Serenissimi ac Invictissimi Principis CAROLI I, Dei Gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regis, Fidei Defensoris, &c.

ANglia, quæ triplici distinctum murice Regem,
Nec simplex veneraris ebur; cui mitis Ierna
Exuit agrestes animos, & regia Nerei
Arctois famulatur aquis, medioque natantes
Orcades Oceano, & gelidi confinia mundi:
Si qua tuis unquam respondit purpura votis,
Aut meruit diadema coli, placataque terris
Expandit faciles Divûm clementia vultus,
Hunc sacrum tibi crede diem, quem fundit ab Ortu
Lætior & lentis Tyrois producit habenis,
Nec cupiat mersisse mari, tristique serenum
Tempestate tegi; quem cum subduceret astris,
Destinat augustis rerum Natura triumphis.
Non Regum jam busta queror, Tamesisque dolores
Suggerit, aut nigros perculsa palatia peplos,
Mœstaque ferales deposcunt limina taxos.
Sat faciles fulsere faces, nec læva Britannis
Astra meant. damnat patrios Saturnius ignes,
Et soliis fatale jubar. Tibi pronus Erichtheus
Annuit, & sociâ fulgens cum conjuge Cepheus,
Atque Ariadneæ radiant ad sceptra coronæ.
Num chelæ posuere minas? num sævus Orion
Porrigit audacem cœptis ingentibus ensem,
Et munit regale latus? num Mænalis ursa
Antiquo custode caret? Regique recenti
Militat Arctophylax, & tardi cura Bootæ?
In plausus coiere poli: quaque adspicit Austrum
Albion, aut Scythicos Thule timet ultima fluctus,
Horridaque arcanis se Scotia saltibus abdit,

Ingeminant sua vota Dii. divulsaque cœlo
Sit licet, & medium Tellus disterminet axem,
Cum superis gaudere cupit: nec sola Deorum
Gaudia tanta putat. potius sibi debita credit,
Quæ Caroli *sibi Numen habet; tantoque triumphans*
Esse studet potior, quanto est vicinior ostro.
Quis mihi magnorum penetralia pandere vatum
Audeat, & sacra perculsum Mænade pectus
In furias Thymbræus aget? quis torrida dudum
Labra Caballinis dabit immersisse fluentis,
Et solitas promittet aquas? dum personat aulas
Irrequieta chelys, fidibusque aptata Latinis
Barbita trans vastos fundunt sua murmura fluctus;
Et concors sociis arridens Belgica *terris*
Præsumit me vate loqui, regemque creari
Virtutum sine teste vetat. Non abnuit amnes
Calliope, cum docta canunt commenta Serenam,
Et Telusiaca turgent Stilicone Camœnæ,
Et Latii cantatur apex, aut templa futuro
Assurgunt Tiberina Duci: seu Mallius annum
Consul init, Geticisque insignis Honorius armis
Grandiloquo præcone tumet; vel lætior æther
Adspicit Arcadium, vel magni fata Probini,
Et decantati trabeas miratur Olybri.
Isthmia Thebanos meruerunt gaudia cantus,
Et palmæ laus tanta datur. dum classibus Aulis
Fervet, & imperium geminis concedit Atridis,
Mæonidem furor iste rapit. Spectacla Poëtas,
Cæsareæque cient epulæ, strepitusque theatri,
Et plausus Caveæ, & liventes cæde saburræ.
At Tu, qui Borei flectis moderamina ponti,
Quem Dominum supplex Rutupinum littus adorat,
Quem Scotus Pictusque colunt, & mixta feroci
Saxone gens; cœpto adspira Rex magne labori,
Et Musis da vela meis. sine numine Numen
Cantari cortina vetat, laudesque Deorum

Inceptas

Inceptat favor ipse Deûm. Tibi stemmate longo
Descendit regalis honos, atque ordine fati
Regna meant: semper dignus cum fascibus hæres
Nascitur, & simili lassantur prole curules.
Tot Reges veneraris avos; nec sola paternos
Condecorat fortuna lares. tibi sexus uterque
Continuat tam grande decus, Tyrioque superbit
Murice magna parens, Gothico quæ splendunt ostro,
Et bellatori debet primordia Cimbro.
Inter sceptra puer graderis, dominosque Trionum
Adspectas, quocunque vides: amplexibus hæres
Oceani terræque Ducum. tibi basia fixit
Parrhasii regina poli, te sustulit ulnis
Regum prima soror, regum gratissima terris
Filia, & augusti genitrix, nulli æmula, Regis.
At Pater æternæ ramis insignis olivæ
Emicat, & triplici frontem superinduit auro,
Et nato nova fata parat. glacialis Ierna
Additur imperiis; nec jam Solvæius ultra
Terminus Albionis, fortique exstructa Severo
Mœnia divisi spectant rectoris habenas.
Illum pacis honos, & non violenta potestas,
Et populi secura quies, laudataque regni
Otia & innocui secernunt regibus anni.
Sic placuit defensa salus; nec jura tueri
Armata voluere manus; tunc, commoda juvit
Publica, cum ferrum siluit; dum classica nescit,
Tranquilla se mente videt: cælestia lustrat,
Cui tellus sua visa satis: diffundere verum,
Non fasces, pia cura fuit: venerabilis unâ
Evicit virtute metum: nil debuit hosti,
Nec placuit post bella fides, tutusque cruore
Libertatis amor; quæ duro milite posset
Extorquere ferox, potius tentavit inermis.
Tu fasces ordiris ovans, & posthuma mundo
Sceptra probas, tantoque carens jam Rege Britannus

Vix ſentit mutata ſua moderamina gentis.
Sic ubi librato feſſus ſubduxit Olympo
Brachia, & effœtis tremuit cervicibus Atlas,
Maximus Alcides humeris nutantia fulſit
Pondera, nec cœli ſecurius alta pependit
Machina, nec tremulos expavit Iuppiter axes.
Aut veluti patriis ales Titania buſtis
Naſcitur, & veteris fugientia ſecla ſenectæ,
Membraque vernanti reparat longæva juventâ;
Iam capitis plus fulget apex, jam lætior auri
Tingit colla color, ſelectaque thura Sabæis,
Et Cilicum redolet meſſes. ſtupet obvius omnis,
Et volucrem miratur Arabs. illa ocyus Ortum
Reſpicit, ac Solis thalamos, rurſuſque renaſcens
Inchoat auſpiciis primos melioribus annos.
Talis in auguſti priſcos genitoris honores
Mitteris, & proavûm fœcunda morte favillis
Clarior exſurgis Princeps. exultat Eliſa,
Pulſaque majeſtas Nemetum, magnique propago
Borbonii ſociis adglutinat oſcula ſceptris.
Scilicet in regis pariter blandaſque mariti
Conſpirat fortuna vices, ut regibus orta
Augeat hos iterum ſoboles, æternaque creſcant
Imperia, & ſimili decurrat ſanguine ſanguis.
Illa Tibi patriis reges virtutibus auctos,
Henricoſque dabit, quos Martius excitet ardor,
Heſperiuſque ferox odiis accendet Enyo.
Hi gladios, Rex magne, tuos, atque obſita longo
Arma ſitu, reſideſque acuent in prælia gentes.
Hi ditis vexilla Tagi, Bœtimque ſuperbum,
Cæſareaſque aquilas, ſpoliiſque induta ſuorum
Agmina, Vangionum petulantem faſcibus Iſtrum,
Pannonioſque ad bella cient. cognata rependet
Damna nepos, naſcenſque piis ex oſſibus ultor
Victa Palatina repetet Capitolia terra.
Poſt titulos, gentiſque decus, ſtirpemque Deorum,

Ominibus favêre Dii. tibi Parca futuros
Promisit præsaga thoros, natamque Capeti
Despondit cunis Lachesis. tunc fœdus Iberi,
Et regum simulatus Hymen, fictæque Tonanti
Displicuere faces. risit connubia Clotho
Batica, & Austriacos fatis expunxit amores.
Omnis in augusto depinxit Gratia vultu
Regales veneranda notas, blandumque tueri
Iussit, & innocuo perfudit verba severo.
Adstitit, & teneras socians Concordia dextras
Vnanimes vovit populos. excepit alumnum
Audaci Bellona sinu, suspensaque patri
Arma ferens, strictos placidus pro falcibus enses
Ostendit puero. Cattorum è littore missa
Libertas Batavûm, Hesperiis erepta triumphis,
Accendit Martis rabiem. pro pignore tanto
Explicuit cunctos belli Sapientia casus,
Et lituis præcepta dedit. tunc sanguine junctis
Promisit faciles ventura in prælia dextras
Cimber, & in primis acuit vagitibus iras.
Quam tunc læta tuis facies, quæ signa futuræ
Sortis, & inspectis præsagia legit in extis
Augur, & excelsæ cecinit documenta juventæ!
Iam magni præcepta patris, jam jussa modestus
Exequeris, dignumque putas rectoribus orbis
A pueris voluisse regi. mandata daturus,
Ipse capis, quantumque aliis præcellis honore,
Præferri virtute cupis. cui munera vitæ
Et debet natura diem, submittere sese
Gaudet amor, morumque libens concedit habenas.
Non molles fluxere dies, aut marcida luxu
Otia, vel lentos protraxit inertia Soles.
Non te degeneri Manas stipata caterva
Accivit comitem, nec vectus lyncibus Evan
Vicit adorandum populo caput. improba nunquam
Vbera porrexit Circe, nec fœda Calypso

Possedit teneros vitiis regalibus annos.
Ipse per umbrosos saltus & tesqua ferarum
Deduxit juvenem genitor, cum roscida multum
Purpureis Aurora genis praverteret Ortum:
Aut celerem raperent invisa crepuscula Phœbum,
Fessaque Hamadryadum gelidis se conderet antris,
Faunorumque cohors. quoties tibi Delia dextram
Instruxit jaculis, frondosaque Mænala linquens,
Et juga Taygeti, pharetram suspendit & arcus
Ex humeris. quoties docto venabula nisu
Fixit in aversi fugientia tergora cervi.
Mox spumantis equi fodiens calcaribus armos
Antevolas per prata Notos: nunc sistis euntem
Ocyus, & duris inflectis colla lupatis,
Aut gyro properare doces. generosus habenis
Assurgit sonipes, dominique superbus honori
Infremit, atque animos regali à pondere sumit.
Promittit tibi sceptra labor, securaque belli
Tempora venturi quondam praludia Martis,
Et pugnæ simulacra docent. ut torqueat hastam
Consilio librata manus, quâ lege machæram
Stringat, & auratum subnectat pendulus ensem
Balteus, aut clausos defendat ahenea vultus
Cassis, & invictis majestas militet armis.
Sic prope Barbarica Rhodopeïa flumina Thraces
Odrysius desudat ovans, & prima capessit
Bella puer, formatque suum præceptor Achillem
Thessalus, & peltis nascens adsuescit Amazon,
Spartaque primævos gladiis exasperat annos.
Nec minus Aonia tanta se condere gaudent
Mente Deæ, tacitosque aperit doctrina recessus,
Et foliis sua fata legit: quam blanda vacillet
Excelso fortuna loco: quibus occidat ausis
Imperii surgatque decus: quæ tempora paci
Commoda, quæ poscant lituos: quos negligat hostes,
Quos metuat mens cauta Ducum; quæ fœdera solvat,

Quæ credat temerasse nefas; quæ causa rebelles
Armet, & audaces frangat Prudentia motus.
Tota per antiquos solers industria fastos
Ambulat, & claris judex præconia factis
Commodat, at vitium regali vindicat irâ.
Suspicitur mentita virum regina, furorque
Imperii, & magnæ metuenda Semiramis urbi.
Diligitur Cyri probitas, gravibusque decorum
Moribus ingenium. terret sors ultima Lydi
Infaustis arsura rogis, & fœmina nato
Inferias irata parans, utresque cruenti,
Tergoraque injustas circum lіventia sellas.
Persicus ut Danaum ductor subverterit urbes,
Et fugiens sua fata gemat, miraris, & acres
Thermopylas, Grajûmque duces. non emptor Olynthi,
Non Pellæ placuit stomachus, spretorque Deorum
Laomedon. damnas Priami responsa potentis,
Æneamque probas, suppostaque corpora patri,
Et læta pietatis onus. Tibi rapta Sabinus
Pignora conqueritur, violataque jura theatris
Persuadet promissâ fides. quam vilia regnis
Semina monstravit Tanaquil; quæ robora sceptris
Conferat, ac Divûm firmet reverentia fasces,
Egeria secreta docent. civilia mœrens
Bella legis, patrioque undantem sanguine Syllam
Despicis, & lasos parvi Rubiconis ad amnem
Romulidum Latiique Deos. plùs causa Catonis
Arrisit, bellansque gener; Pharsalia quamvis
Vexerit immeritis soceri vexilla triumphis.
Iam Gracchos, Mariosque, & fastidire Cethegos
Incipis, & querula subnixos plebe tribunos:
Sed præclara tenent animos exempla, Camilli,
Scipiadæ, Deciique duo, totque inclyta bello
Nomina, cunctantes Fabii, punitus Iarbas,
Æmilii, Paulique, duces: patiensque laborum
Hannibal, & veteris splendor Germanicus ævi.

 Inde

Inde per annales, atque ultima secula raptus,
Per gentis monumenta tuæ, proavûmque labores,
Romanas aquilas, & formidata Britannis
Arma stupes, magno domitas sub Cæsare gentes,
Et totum signis stratum victricibus æquor.
Adspicis iratam Morinûm de littore Tethyn
Ausonios transferre Deos, Tiberinaque longe
Rostra triumphatis Latium confundere terris.
Adspicis, ut Tuscos peregrino gramine pascat
Cornipedes Italûm ductor, tua scindat aratro
Arva Ligur; victorque tuis det jura Quirinus
Damnoniis: pandat Siculis navalia portus
Iccius, & Latias doleat Sabrina secures.
Quid procul externo bellantem exciverit Albi
Saxona; quæ quondam vicinis gentibus ira;
Quid Scotus Pictique fremant; cur improbus ensis
Tinxerit hostiles civili sanguine dextras,
Indigenasque tuos fallax exegerit hospes:
Vt patriæ vires magni fregere penates:
Vt sero coiere Rosæ, fatalia belli
Symbola & indomitum placarint oscula Martem.
Prisca Caledonios aperit tibi fama recessus,
Et bellatores populos, inimica Garumnæ
Flumina, vicinis erepta palatia Gallis;
Normannique trucis furias, & subruta Cambris
Imperia, & veterum repetentes jura Siluras.
Iam fera Massagetûm soboles, & Concanus atrox
Devictos tibi dictat agros, nec bella furentis
Desmonii facinusque probat. tibi reddit Ibernos
Arthurus, dominosque Senus fastidit Iberos.
Hos ubi per populos æternaque nomina factis
Ire libet, stimulos illinc tibi subdit Ierne
Bellipotens; illinc pugnæ monumenta ministrat
Albion; hinc rigidum Boreæ porrectus in axem
Grampius, audaci quæ sit fiducia Scoto,
Edocet. Omne tuis aliquid virtutibus addit

Exemplum, formatque Ducem prælecta vetustas.
Quod si prisca suos nesciret pagina reges,
Tu regnis præcepta dares; tu prima regendis
Norma fores populis: tu digni Principis artes
Expedias, firmesque novis subsellia jussis.
Despicit æquales regum tua purpura voces,
At cœlo parere cupit; queis flectis habenis
Imperium, subdis Superis, unoque Tonante
Dum minor es, uni titulos submittis Olympo.
Huic regnas, quem regna timent: cui cruda tyrannis
Concedit, pavidique abscondunt ora Nerones.
Nec parere Deo pudor est, cum terra polusque
Parendi sine lege ruant, & tuta peremnet
Regia, quam fulcit pietas, & conscius horror
Numinis, ac sacro supplex reverentia cultu.
Sic cœlo terraque places: & sidera Princeps
Blanda refers, precibusque tuis se accommodat æther,
Et faciles in vota Dii. Tua moribus ætas
Mentitur senium, & pleno spectata theatro
Vita fluit, vulgique legit suffragia virtus.
Præcipit ancipites rerum Prudentia casus,
Fortunam ratione domans, & provida sorti
Nil debere cupit. dictat consulta magister
Usus, & antiqui repetens moderamina secli
Consiliis ordiris opus. Clarissima lux est
Virtutum sub rege novo; nec publica recti
Cura latet. multum teneris sibi spondet ab annis
Vox populi, & primo præsagia sumit ab ostro.
Nec tibi jussa placent, mandataque dura regentum,
Quæ reges fecisse piget. dum legibus orbis
Exigis obsequium, facti s constantibus anteis,
Quoque vocas, rex ipse prais: nec cuncta licere,
Quæ possent libuisse, putas: veniamque nefando
Prætexis sceleri, aut peccans impune tribunal.
Ius populi commune tibi est: devincit honestas
Una Ducem civesque tuos: discrimina solum

Majestas sceptrumque facit. sic jussa capessunt,
Quos gaudes fecisse bonos; dominumque verentur,
Sed recti sibi lege parem. Qua regibus itur,
Ire times: fasque esse putas, ea posse potentes,
Quæ voluisse nefas. socium te destinat astris
Diva Themis; cunctasque ferens velata per urbes
Lumina, sævi expers odii, blandique favoris,
Vltores scelerum districtos porrigit enses,
Librantesque manus. metuit regale vacillans
Curia forum; preciumque refert, & mitia pressus
Sentit rostra cliens. Tuque ô mansueta Deorum
Progenies, rigida damnans suffragia legis,
Quæ deforme chaos, permixtaque fœdera prudens
Distinxti, & placido donasti sidera vultu,
Alternasque neces & mutua prælia rerum
Digeris, ô vasti rectrix clarissima mundi,
Æternique Iovis soboles, Clementia, justo
Quæ distare cupis, violentaque jura moraris,
Hoc miseris sub Rege faves, tranquillaque mœstis
Acceleras responsa reis. non ille rigori
Assentit Torquate tuo; lumenque severo
Exposcat periisse patri. sat longa furori
Dat spatia, ingentesque moras, ne regna ministret
Impetus, aut calidis vilescat regia jussis.
Non avidum pœna, aut diri vindicta cruoris
Accendit præceps animum; non vilibus acer
Succenset vitiis; aut magnis frena relaxat
Gratia criminibus. formidat Principis iram,
Quisquis amat, materque metus reverentia sceptri est,
Nec simulatus amor. debellat dextra superbos,
Subjectis facilis. Sic cum sua murmura produnt,
Et pavidas terrent irata tonitrua gentes,
Obstantes feriunt scopulos, Cyclopea nutant
Saxa, ruunt dura celsis de montibus orni,
Parcitur arbustis, pronoque papavera collo
Tuta latent, magnique exorant arma Tonantis.

Stat jurata fides, sua nec promissa refringit,
Nec differre cupit: totâ dolus exulat aulâ,
Fictaque simplicitas, & quæ scelerata futuris
Imperiis inhiat rabies, nec jura moratur,
Dum regnum sibi fraude paret. quæ spretor Olympi
Dux Libyæ, sacras toties perjurus ad aras,
Suppeditat consulta, fugit, nec signa triumphans
Inferat in patrios tecum Romane penates,
Intentetque truces jugulis civilibus enses
Perfidus, augustoque Deos postponat honori.
Non animo dispar vultus, non dissona fronti
Pectora: blanda gravi residet sermone venustas:
Nec personatis inservit mobile scenis
Ingenium. graditur gressu veneranda modesto
Celsa potestatis species, & splendida fulget
Stipantes inter Proceres. velut æthere in alto
Nocturnos rutilans præcedit Lucifer ignes,
Astrorumque choros; hunc circumfusa sequuntur
Sidera, & à tanto lumen sibi lumine spondent.
Auget cura vigil census, at mascula fœdam
Castrat avaritiam: non mentem effaminat aurum,
Quæ dat jura viris. O quantum judice tali
Doctrina succrescet honos; ô quanta Camœnis
Otia, quæ steriles iterum revirescere lauros,
Parnasso plaudente, dabunt. En clausa sororum
Antra patent, lentumque invitant præmia Phœbum,
Et pigra se tollit humo mens enthea vatum.
Non fera præclaris paupertas incubat ultra
Ingeniis, fœdoque jacet sub pondere virtus
Obruta. Tu Batavum, Princeps auguste, poëtam
In laudes facis ire tuas, stimulumque furori
Subdis, & externo indulges tua nomina Belgæ.
Nec regni spatia ampla tui, nec semina belli
Prima canam. cœpti decurrat carminis ordo
Imperii momenta tui, librataque magnis
Consiliis præcepta ducum. Nam maxima quamvis

Expendas arcana prior, tamen æqua monenti
Auscultas, fidique probas consulta Senatus.
Ille gravis senio, & sceptrorum fata revolvens,
Regni librat onus, regisque negotia secum
Dividit: ille leves cæcæ Rhamnusidis iras
Negligit, ingentes superat: jam classica paci,
Iam pacem præfert lituis. sic flectis habenas,
Sic fati modus in sceptro est. Si numina spernat
Impietas, & sacra Deûm, tu vindice pœnâ
Exigis officium: si credulus occupet error
Incautum, meliora doces. non succubat armis
Aut rigidis mens recta minis, sed vera monenti
Submittit sua sensa fides. Ignobile si te
Vulgus amet, crescis modicè popularibus auris;
Si queritur, sprevisse tuum est. Si bella coactus
Aggrederis, magis illa times; tutissima res est
Bellorum metuisse vices. si debita miles
Æra petat, leni recreas æraria censu,
Nec sordes erectus amas. non pagina fisci
Injustas sibi scribit opes, aut sanguine gaudet
Suppliciisque frui, miseri vel funeris optat
Exuvias servare sibi. generosa putantur,
Quæ dat lucra favor, nec rex vectigal amabis,
Quod plebs mœsta dabit. tecum communia Princeps
Gaudia, communes gemitus & commoda sentit.
Quæ capitis fortuna, sua est; surgitque caditque
Cum rectore suo, atque unâ se sorte tuetur.
Nulla tibi iratæ rabiem Lucretia dextræ
Imputat, aut castæ dissolvit vincula zonæ
Virgo dolens; nunquam sceleri vis præbuit ansam,
Acrisiusque tuo Danaën semovit ab auro,
Regalesque preces timuit. te vindice servat
Iura thorus, thalamusque fidem. nonaria nunquam
Inclyta fallaci subiit palatia gressu,
Aut solium sinus abscondit: non purpura fuco,
Non Veneri innuptæ fasces, non mitra puellis,

Aut

Aut emptis grandes trabeæ cessere capillis.
Salve magna Patris soboles, venerabile sceptris
Exemplar, Tyrio numen sub murice fulgens,
Illustris pietatis apex, cui pectore in uno
Omnia nascentis regalia dona tiaræ,
Virtutumque choros cœlestûm cura recondit.
Scande triumphales, Rex augustissime, currus,
Purpuream que apta chlamydem, prareptaque fratri
Fato sceptra cape, & sacrâ sublime coronâ
Cinge caput; celsam gemmis abscondat Hydaspes
Cæsariem, rutilent virides in fronte smaragdi,
Et ditis spolia Oceani, baccaque nitentes
Intextum radiis vincant fulgentibus aurum.
Vndique concurrunt populi, fervensque viator
Ad Tamesin molitur iter, fremituque secundo
Colligit ipsa suas animosa Britannia voces,
Iamque timet privata loqui. conspersa videres
Strata viris, pulchras alto de culmine passim
Despectare nurus, intentaque matribus ora,
Membraque Erythræos inter speciosa lapillos.
Colligit æquævos aliquis sibi Principis annos,
Et confert juvenile decus, pudibundaque virgo,
Quem veneratur, amat; spernunt exacta loquaces
Secla senes, facilesque colos & pensa sororum
Hunc gaudent nevisse diem, quo prisca Stuarti
Progenies magno decernit frena nepoti,
Tergeminamque uno claudit sub numine gentem.
Exeat hic mundi populis illustrior annus,
Quem regum celebrant thalami, sacraque tiara
Et regni commendat honos. Vix lilia claris
Miscuerat Cytherea rosis, flammisque Tuada,
Et peregre Paphiis exarsit Sequana tædis:
Succedunt Veneri trabeæ, discussaque fasces
Flammea nobilitant, dominasque augusta secures
Arripit, & patrio majestas commodat orbi.
Plausibus accedunt Superi, radiansque corusco

Lumine,

Lumine, Phœbæo jam cum splendore nitorem
Confundit diadema suum. lux clarior astris
Emicat, & totum nebulis absolvit Olympum
Hoc saltem Natura die: dum sceptra parantur,
Cuncta nitent, mæstisque carens jam nubibus aër
Adversos monstrat Rutupino è littore Flandros.
Æolii ponunt fremitus & murmura fratres,
Nec Boreas pro more furit: pacata quiescunt
Æquora, nec parvas Aquilonia flabra flagellant
Hebridas, aut timidæ latus implacabile Thules.
At Tethys toto passim circumflua regno
Cæruleum Tritona vocat; vocat ille natantes
Najadas, & mediis grandævum Nerea poscens
Orcadibus, tremulis mulcet vada cærula caudis,
Rectori gratata suo. Plus sidera spondent,
Et cunctis, Auguste, tibi jam mensibus æther
Annuet, & quamvis obliquo tramite currat,
Dextra tamen facilis promittit Signifer astra.
Inchoat æthereos Aries fulgentior ignes,
Imperii fax prima tui, Phryxæaque purgans
Vellera, dum paribus motum discriminat horis,
Vult omnes parere tibi. cum surgit ab Ortu,
Te Tauri frons læta videt, dorsoque micantes
Pleiades arentes humectant nubibus agros,
Et mœstis dant pocla satis. Cum Castore Pollux
Augurio meliore favent, & gaudia juncti
Adgeminant ventura tibi. ferventia Cancer
Brachia, Phœbæa expandens cum lampade, regni
Expandit decora ampla tui; Solemque moratus,
Successus urgere tuos velocius ardet.
Leniet ipse suas Nemea Leo torridus iras,
At bellis fomenta dabit, nec sævus anhelo
Eludet Cererem latrator Sirius æstu.
Mitius ingenium Themidi est, quæ sedula custos
Justitiæ validis firmabit legibus urbes.
Et credet fraudasse nefas. hæc lancibus æquis

Librabit

Librabit eum jure diem, nocteмque diebus
Exæquans, solo vitium distinguet honesto.
Scorpius innocua littus vitabit Ierna,
Nullus viperea nocuit tui sibilus aura;
Non homines diris lædunt afflatibus hydri;
Lætaque tardigradus perreptat gramina bufo:
Aut mala sublimi suspendit aranea tecto
Dædaleum subtilis opus. Tibi spicula Chiron
Et pharetras arcusque parat, quibus occidat Astur,
Victaque Cantabricæ submittant arma phalanges,
Et domitus mansuescat Iber. quæ stella Decembres
Asperat, & reduci minitatur sidere, tali
Mitescet sub rege Caper; nec Aquarius undas,
Aut in te gelidos armabunt frigora Pisces.
Sic parent Convexa tibi, Superumque favori
Consociat se terra parens. submittit habenas
Scotus ovans, gens clara armis; duramque subactâ
Pauperiem virtute domans, tua milite duro
Et nunquam timidis munit tentoria castris
Bellatrix. geminas alto de vertice gentes,
Quas Boreæ pars una truces, pars altera mites
Adspicit, ad tanta poscit spectacula pompæ
Grampius, & patrii gaudens primordia regni
Commendat, priscumque decus. quique innatat undis
Æbudum populus, totum tibi mancipat æquor,
Pugnacesque manus; & quamvis sæva Trionum
Littora perpetuis damnet natura pruinis,
Dissolvunt tibi triste gelu, laxatque recessus
Vesta suos. veteres Pictus tibi devovet urbes,
Et famulas fert Tina rates, nec Cimbrica rursum
Sceptra petat. sparsos generosa Britannia fasces
Colligit, atque uni gestit submittere regi.
Hic tibi lanigeras videas mutare bidentes
Vellera, & excelsas protendere brachia fagos.
Hic stannum tibi vena vomit, pallensque metallum
Eruit, & terra scrutatur viscera fossor.

Nec fallit, te rege, labor. Tibi Cambria messes
Fœcunda tellure dabit, nec Saxonis ausa
Ore loqui, damnat peregrina verba loquelæ,
Inque tuos prisco plaudit sermone triumphos.
Turgida sed Tamesis vicinis ostrea ripis
Exspuit, & magna velox allabitur urbi.
Scilicet hi pariter te, Constantine, *penates,*
Et Carolum *genuere, Deos: hæc regia mundo*
Intulit Augustos, æquataque nomina cœlo.
Vos quoque, queis Scythicæ prabent cunabula gentes,
Massagetæque truces, animos victusque ferarum
Exuitis, Dominique favens adsuescis Ierna
Mitibus imperiis. illi donaria cervos
Mittis, & aërii cœlestia munera mellis,
Insontis documenta cibi; tu reptile virus
Exuis, & toto proscribis toxica regno,
Ne nocuisse queas. admittit frena tuorum
Occasus, fessusque tuis, Rex magne, sub undis
Occultat Sol pronus equos, qua Virginis ora
Excipit indigenas sub te rectore Britannos.
Te supplex Aurora colit, ditesque Moluccæ,
Quo classes abiere tuæ. sic clara per orbem
Fama volat, geminoque occurrit gloria Phœbo.
Gallia regali conjungens sceptra cubili
In tua concordes aptat præconia voces.
Consentit Tamesi Ligeris, Sabrina Garumnæ,
Invitatque Ararim, Picto gaudente, Tuæda.
Accedit Rhodanus, Dominæque superbus honore
Lætitiæ dat signa suæ, nec Sequana ripis
Contentus rapidis Londinum advolvitur undis.
Te consanguineo venerantur Baltica nexu
Æquora, magnanimusque Getes. tibi Cimbrica Tethys
Vota facit, repetensque tuæ connubia matris,
Cognatasque faces, tecum communia tentat
Pralia, & ad placidum disponit castra Visurgim,
Cæsareasque accidit opes. Iam Rhenus & Albis
Exiliunt

Exiliunt: nondum victi plausere Batavi,
Nassoviique duces, infractaque pectora, Belgæ.
At genitor, tali qui successore, Deorum
Alloquio, & Superûm fruitur felicior aula,
Quam lætus sua regna videt, quam Celtica gaudet
Fœdera firmari thalamis, spretosque hymenæos
Displicuisse Iovi! Fortunatissime Regum,
Terrarum sublime caput, sublimior illis,
Immensi pater Oceani, Tithonia vive
Secula; nulla tuas violet fortuna tiaras,
Sera thorum Lachesis: succrescant regia mundo
Pignora; sceptriferos fundant palatia natos;
Borboniosque duces, bellatoresque Stuartos
Parturiat Regina tibi: solatia Belgis
Suffice: magnanimæ reddas erepta sorori
Imperia: Austriacis finem decerne triumphis:
Atque iterum extremas feriant tua fulmina Gades.

TVMVLVS

Serenissimi, Potentissimi, Invictissimique Regis, GVSTAVI ADOLPHI, D. G. Suecorum, Gothorum, & Vandalorum Regis, Magni Principis Finnoniæ, Ducis Esthoniæ & Careliæ, nec non Ingriæ, Livoniæque, &c. Domini.

Di, quibus imperium est, tuque impavidissime Mavors,
Terra Palatinis per quem Tartessia sceptris
Excidit, & languent aquilis ultricibus iræ,
Nec constant jam Fata sibi; verum ordine nullo
Alternat dubias regum Fortuna coronas:
Desævi, Gradive, parum; & furialibus armis
Da spatium tenuemque moram; dum grande cadaver
Tollimus, & tumulum ingenti decernimus umbra.

Cum

Cum titulis lacryma, cum majestate querela,
Et medias inter surgunt lamenta tiaras.
Pallet ebur, maculisque riget liventibus ostrum,
Dum formidatos bellatrix purpura vultus
Exuit, & nescit se regnatoris imago.
Cui modo terribiles augusto in vertice cristæ,
Et galea fulgebat apex, cui dextera crudis
Cædibus irrubuit, densosque effusa per hostes
Obvia fulmineo diffregit cornua telo;
Occidit, & sese jamnunc miratur inermem.
Arctoum diadema jacet, gemmæque coruscum
Abscondunt, cum Sole, caput. sua damnat Hydaspes
Munera, laurigerisque micans sub crinibus aurum
Marcet, & exanimi squallent sub murice lanæ.
Sic ubi Phœbæas fœda caligine texit
Immitis Dictynna faces, fratrique minatur
Torva suo; totus, radiis languentibus, orbis
Horret & attonito decedunt gaudia mundo.
Cum fera magnanimum mersisset femina Cyrum,
Laxaretque suos Thomyris vesana furores,
Et Scythici fluerent rivis crudelibus utres,
Plorabas tum, Persa, domi. cum Parthica Crassum
Agmina, cum magnum raperet Germania Drusum,
Mœrebas, pia Roma, procul. quin conscia cladis
Lurida fatales flebant Capitolia casus.
Quæ Latio facies! cùm te, Germanice, longè
Audiit exstinctum Tiberis; cum nobile bustum
Vectaret patrias flens Agrippina per undas,
Istaque funestam quaterent spectacula Romam.
Quam Macetûm tremuere foci, quam regia Pella
Atria & Æmathios feralis fama penates
Perculit, & tacitas Grajûm concussit Amyclas,
Pellæo moriente foris. tunc Thessala Tempe,
Tunc omnis Rhodope pallensque cohorruit Hæmus,
Et deploratæ sortem planxere Mycenæ.
Hoc luctus in Rege stupent, causasque dolendi

Orbis

Orbis habet. queriturque uno natura sepulchro
Tot populos gentesque tegi. suspiria Finno
Eludunt Sueonum gemitus; & Lappio flere
Nescius, & passis incusat fata capillis
Vandalus & tali felix rectore Borussus.
Ipse, suo quamvis concretus frigore, Moschus
Ora pharetrato jungit lachrymantia Daco,
Hostiles oblita minas; Gothicosque dolores
Vistula Sarmaticos longè diffundit in agros,
Et, Viadro trepidante, pavet. simul ingemit Albis,
Scuta Ducum frameasque & fortia corpora versans.
Currunt Teutonici lentè vastissima Rheni
Flumina, devictasque sibi plus territat urbes
Mœnus & afflictis Nicri submurmurat undis
Tristior, & socio partitur damna Visurgi.
Parte alia sævus redivivis viribus Ister
Surgit ovans tantisque capit solatia solus
Mambus & Latias jactat securus habenas.
At Gallum implexo post frontem crine ferocem
Luctus habet, Batavusque sui discrimina belli
Aucta putat. pulsa Tamesis formidat Elisa
Austriaca nova lucra domus, & nescia flecti
Pectora semideûm. vicinis æmula sceptris
Vrbs Venetûm, quam sit plus tuta potentia fractis
Hostibus. & modico dominari Cæsare, solers
Percipit & magno vacuam se vindice sentit.
Tunc populi fortuna labat, cum vita dehiscit
Principis. hic animus toto se corpore miscet.
Hoc perstat rectore salus. lux ista Quirites
Irradiat. cunctos peragit mens publica motus,
Atque agitat molem imperii. cervicibus istis
Machina libratur mundi. qui regnat, habena
Se pariter civesque ligat. cum solvitur illa,
Fertur & indomitum laxat respublica corpus,
Nec patitur se turba regi. ceu remige pulso
Fluctuat, & tumidis jactatur cymba procellis.

Anten-

Antennaque gemunt. etiam, Gustave, *potentes*
Percellit tua causa Deos, terrenaque juxta
Cœlestes tangunt hominum dispendia mentes.
Quem tibi porrexit Perseus fulgentior ensem,
Involvit totum nebulis. qui frena ruentis
Bellerophon malè rexit equi, pugnare recusat
Vlterius Martemque fugit. qui proximus Vrsæ
Assidet Arctophylax, spirantia vulnera lambens,
Custodita diu contemnit plaustra Bootes,
Sanguineisque notans glacialia sidera guttis,
Tingit Hyperboreos regali cæde Triones.
Engonasis ferale rubet, domitorque ferarum
Plus, reges domuisse, putat. sed frendet Erichthneus
Arduus & pandis singultit rictibus Arctos
Vtraque. quæ mundi circum tardissima fines
Volvitur, objecto se vellet in æquore mergi,
Riphæisque suos abscondi montibus ignes.
Nec tamen hîc Varum canimus vel capta Cheruscâ
Signa manu, profugoque infames consule Cannas,
Non raptas Parthis aquilas, Persenque triumpho
Incolumem, Romane, tuo. non clare Iugurtham
Captivum tibi, Cæsar, habes. non victor Adolphum
Post currus pronaque trahis cervice quadrigas,
Ferdinande potens. Decium spectate renasci,
Thebanumque Ducem salvis occumbere castris,
Teutones. immoritur partis Victoria lauris,
Et densas acies inter stragemque cadentum
Sternens ense viam, famæ sibi vendicat amplæ
Materiam, & madidas hostili sanguine cristas
Devovet, & media suspendit morte trophæum.
Æterni cineres, non vestro cinnama busto
Aspergam, tenerisque struam de floribus aram,
Pallentesque feram violas, mollesque hyacinthos,
Aut quæ Panchaicis desudant balsama ramis.
Hic Paridi debetur honos. his mœsta parentet
Leandro Citherea suo. nunc alter Achilles

Conditur,

Conditur, Hectoreisque illustrior ossibus urna
Poscitur. exequias Pyrrho, fortique paramus
Scipiadæ. tumulum circa lituique tubæque
Funestum Pæana sonent. thoraces aheni,
Umbonum crates rutilæ, frameæque minaces
Concrepitent. sævam quatiens Phorcynida Pallas
Districtos tremulis gladios permisceat hastis.
Forment scuta rogum, compactos baltheus enses
Subliget. hic pharetras, miles, pro thure sarissas,
Ipsaque disruptis adole tentoria velis.
Quæ vivo placuere Duci spectacula, manes
Afficient hæc ipsa pios. fas condier armis,
Omne cui armatis abiit sub messibus ævum.
Adstent terribiles turmæ, & cervicibus altis
Ad pugnam phaleratus equus. qui regia vexit
Corpora, depositis iras insignibus Æthon
Colligat, & domino cupiat parere jacenti.
Incedat solita majestas bellica pompa,
Et socias acies non dedignata potestas
Confundat numero procerum. stringantur in arctum
Agmina, nec leges pudeat servare severas.
Dalmata, da marmor cineri. da Botnia taxum,
Funereasque rotent ad splendida busta cupressos
Hercynius passim sudantia brachia silvis.
Ducant æra manus, patrioque augusta metallo
Ora micent, vultusque gerant, queis belliger hostem
Terruit, & pavidis Duinam pallescere ripis
Vidit, & indomitum tandem mitescere Volgam.
At vos Prutenis plorantia succina cives
Quærite littoribus. toties asserta verendam
Accedant electra pyram, similique cruentos
Pingite corallo stillisque rubentibus artus.
Ipse ego, dum cunctæ coëunt ad publica gentes
Funera, dum trepidam sese devolvit in Arcton
Caucasus, & mundi distincto cardine partes
Miscent unanimes adverso sidere planctus;

Te, Rex magne, canam. vasto licet æquore vatem
Dissocient tot regna tuum, Tethysque procellis
Obstrepat, & querulis adlatrent fluctibus undæ,
Emmus assurgam sceptris; interque potentum
Heroumque graves gemitus, regumque ducumque,
In Batavis pia verba loquar; gelidoque sub axe
Audiet Aonios regnatrix Suecia cantus.
Tuque adeo, seu jam grandis solatia luctus
Expendis, Regina parens, unique Tonanti
Indulges regale caput: seu lurida tristem
Verris humum, & fluida scandis palatia vallâ,
Vt lachrymis secreta vaces: seu maxima belli
Pondera & immensi pariter moderamina regni
Feminea plus sorte subis; thalamique dolores
Celsa premis mulier, casusque abscondis acerbos:
Sive, quod extremum credo fore munus amantis,
Casta maritali defigis basia vultu,
Et cunctis numeras victricia vulnera membris,
Vindictæ fomenta tua: clarissima vati
Diva fave. quamvis Sueonum novus advena portas
Ingrediar, nec sim tantis par conditor actis,
Aut mea victuras ostentent tempora lauros;
Gustavus *mihi carmen erit. qui regibus ortus*
Tot reges veneratur avos, semperque renata
Majestate viret. quem primum gignere solers
Cum cuperet natura, rudi sub pulvere partem
Miscuit indomiti Martis, mentemque Minervæ
Induit, & solido fibras adamante ligavit;
Vt Regem genuisse putes, & vivida cœli
Semina sceptriferis jamtunc hæsisse latebris.
Quid mihi Divorum sobolem grandæva vetustas
Objicis Alciden? quid clarum Thesea bello,
Memnona, Trojanosque duces arcessis ab alto?
Hunc decuit formasse Iovem. plus ille meretur
Esse Deûm pronepos, quam qui Telamone creatus
Occubuit propriis damnatus viribus Ajax.

Horribiles

Horribiles populis Gotthi, dominique Trionum
Continuant seriem gentis, quam prisca celebrant
Secula, quæ victo rapuit diademata mundo,
Exuit Ausoniam titulis & paupere terra
Ivit in imperium magnum, per regna cucurrit
Bætica, per Druidum saltus, per inhospita Mauri
Littora & Arctois Abylam parere coëgit
Jussibus edomuitque suis Atlanta sarissis.
Venturo gens apta Duci. cunabula Tethys
Fluctibus aspergit, primosque exasperat annos
Oceanus, natale solum. sic inter & arma
Sarmaticasque nives & frigora sæva, futura
Virtutis documenta capit, discitque severo
Terrarum pelagique Deos sub sidere nasci.
Creta Panomphaum gaudet fovisse Tonantem,
Odrysium Thrace. nascentis gloria Bacchi
Erigit ingentes Thebas. hac prole superbit
Parrhasis, & gelidus civem sibi vendicat axis.
Tunc sua fatidicis reclusit vocibus ora
Augur & inspecto vates præsagus Olympo
Horruit, & tacitos rabido de pectore sensus
Lappionum docta procul excussere Sibyllæ.
Chaldæi siluere senes, & corniger Ammon
Et Dodona loquax & pulso numine Delphi,
Et raptis olim sapiens Hetruscus in extis.
Pro cunctis Scritofinnus erat, Boreæque peritus
Institor, & scopulis hærens piscator in udis.
Cui canescentes fundunt præsagia barbæ,
Et faciunt arcana fidem, pernixque volatu
Cervus & Æoliæ dictant oracula rupes.
Fama fuit Siculis jam tunc fornacibus ara
Cyclopum properasse manus, fumasse caminis
Ænariam, & diras capulis aptasse secures,
Et mox torquendas in Cimbrica colla macharas.
Tunc Livonas tremuisse ferunt, quæque uvida Francus
Regna colit, Bojosque suis in finibus arcto

Obriguisse metu, Rugoque habitata feroci
Æquora, & audaces spem præsensisse Cheruscos.
Adstitit ad cunas Carolus, *magnumque rotari*
Dum videt hæredem, nec pondus amabile læta
Fastidit tractare manu, vestigia signat
Indolis; & gemino circumvallata profundo
Imperia adspectans, natique in imagine gaudens,
Nascere, ait, soboles. non hæc mea littora votis
Sufficient angusta tuis. sed turbine belli
Mox tua vicinas implebunt classica gentes,
Qua tellus pelagusque patent. procul audiet arma
Bosphorus, & Pharia potator fervidus undæ,
Et vagus Euphrates, tostusque caloribus Afer,
Et dis Auroræ solium. nec deinde relinques
Par decus armorum cuiquam sperare nepotum.
Ipse coruscantem puero pater alligat ensem,
Et rerum ignaros ferrata casside vultus
Abdit, & æratis stringit thoraca catenis.
Pro thyrso gravis hasta fuit, pro deside myrto
Baltheus & pharetra & quondam nocitura bipennis.
Talis inexpertum Peleus formavit Achillem,
Hectora Phillyrides, tales videre Mycenæ
Atridas miseræ fatis præludere Trojæ.
Sic & Bistoniam torsit Mars parvulus hastam,
Duravitque suas glaciali in Strymone plantas,
Brachiaque & digitos primos intendit in arcus.
Iam spumantis equi fodiens calcaribus armos,
Anticipat cursu Boream, currusque volantis
Oenomai. gaudet præruptos scandere montes
Annitique jugis, gelidos torrentibus artus
Abluere, & nimbos inter Caurosque Notosque
Spernere cœlorum rabiem. quos Sparta labores
Sustinuit patiens, subiit generosa juventus
Principis, & canis facies illæsa pruinis
Pertulit adversa mordacia frigora brumæ.
Nec minus & studiis animum florentibus implet,

Ac

Ac sceptris facienda legit. jam Graja vetustas
Excutitur, nunc Roma suos edisserit ausus,
Totque virûm, prisci quos suspexere Quirites,
Ante oculos exempla locat. mutabile regnis
Ingenium sortemque notat: nutare tribunal:
Fulgida suspendi tenui diademata filo;
Inque vices apicem iratos nunc demere nobis,
Nunc aliò transferre Deos. ut summa potestas
Impatiens consortis eat, nec fidere fas sit
Regnantem sociis, claris monitoribus haurit.
Vt populi valeat duros inflectere sensus
Officiis, vitæque modum pro lege ministret,
Prædiscit. tunc jussa pati tractabile vulgus,
Cum facit illa jubens: cum se plus sentit amari,
Quàm metui. solo florere palatia recto,
Et validas niti placidis virtutibus urbes.
Quin cladem sceleri titulos, & fraudibus orbem
Exitium debere suum: pallescere fœdis
Criminibus regale caput: conspectius omne
Esse decus, quoties stabili splendescit honesto.
Nec trabeis aliena putat; præponere semper
Publica privatis: afflictis parcere: civi
Consulere, & tumidos animi compescere motus:
Et pacem donare suis, regnoque quietem.
Iamque paludatis mundi rectoribus audet
Divinum præferre Numam. damnare Quirini
Grassantes quæcunque manus. compendia belli
Improbat in Tullo, & paucis pugnantibus Albæ
Suspendi imperium. Mavortia laudat in Anco
Nomina, magnificasque domos, Tiberimque decorum
Pontibus. Ausoniis Græcas qui miscuit artes,
Miratur vafra subnixum conjuge Priscum.
Nec Servi fortuna placet. nec cœpta ferocis
Tarquinii & tremula decussa papavera virga.
Libertas asserta placet, Brutusque Superbi
Vltor, & illustris Gallorum cæde Camillus,

Et Thuſco oppoſitus Cocles, pauperque ſub armis
Fabricius, pauper Curius, ridenſque favillas
Scævola & ex ipſo raptus Dictator aratro.
Excellens quodcunque probat, mentemque per omnes
Dum verſat veterum faſtos, imitanda reponit,
Et quondam fugienda ſibi. ceu navita primum,
Quem nondum iratæ gnarum fecere procellæ,
Perluſtrat maria ampla domi, Syrteſque vadumque,
Et ſcopulos ac ſaxa legit: magnetica quantum
Hic illic deflectat acus, quo concita vento
Cynthia præcipitet fluctus, ubi fixa Trionum
Sidera, & erecti rigeant Aquilonibus axes.
Sed mox cum ſolidum ſpirarent pectora Martem;
Seriaque erigerent pugnacem claſſica dextram,
Is patri, Guſtave, *comes; bellique labores*
Et regni vis eſſe tuos; unuſque parenti
Imperioque vacas. & jam matura recentem
Accendit Bellona Ducem, lætiſque ruentem
Implicuit furibunda tubis. concurrere turmis
Cominus, & nudis inter fulgentia telis
Agmina, quà globus ille virûm denſiſſimus urget,
Ferro aperire viam, lituis impellere ſegnes,
Hic ſparſas glomerare acies, hic pandere junctas,
Lunata nunc ire manu, nunc ſtare rotunda,
Nunc revocare ſuos, nunc tutis fidere vallis,
Spes omnis votumque fuit. Tibi ſæpe paratæ
Sordebant epulæ, ſomnumque abrupit Enyo,
Aut vigilem clypeo recubantem vidit, & acres
E galea potare nives, aut fonte remotum
Illimi fœdas avidè ſorbere paludes.
Quantus erat ducibus fervor, quæ cura ſequendi
Omnibus, immenſos quoties veherere per agros,
Et circumpoſitis exercitus undique caſtris,
Fulmineoque ſeges ſtaret Mavortia vultu,
Te, Patremque ſtupens. veluti cum Lucifer ardens
Flammifero cum ſole micat, junctuſque Tonanti

Mars

Mars radiat, sociantque suos tot numina gressus.
Sæpius ille tibi stimulos & semina laudum
Virtutique alimenta dabat; cum facta parentum,
Et grandes memoraret avos, ac prisca revolvens
Secla, per Ostrogothos iret, totque tremendos
Europæ Libyæque duces. quæ flamma Valentem
Usserit: ut ruptis Latias penetraverit urbes
Alpibus, & fuso præstans Alaricus Alano,
Fregerit invicta bellacia mœnia Romæ.
Qualis in hunc acer Stilico surrexerit hostem,
Cesserit Arcadius, Gallaque adnexus Ataulphus
Conjugis obsequio longas placaverit iras.
Inde Thorismundos, sacrosque extollit Ericos,
Et Tejas, Vitigesque & formidabile nomen
Audacis Totilæ, debellatumque Timavum,
Ticini Tyberisque Deos, Athesinque Padumque.
Cum propius libet in magnis hæsisse Canutis,
Manant ex illo Stenones. ferrique Suanto
Intrepidus, Ianusque pater. sed dura recensens
Fata Sigismundi, queritur sanctissima sperni
Consilia, & vafris subverti sceptra magistris,
Invadi insontes hostili milite terras,
Vim, noctem, scelus, arma, dolos & funera passas,
Calcari patriæ leges, edicta priorum,
Nec monitis superesse locum. se sanguinis ortu,
Se Procerum jussis, se libertatis amore
Tutarique fidem, & regni defendere partes,
Sic laudes genitor longè transgressus avitas
Te dedit hæredem populis, ac redditus astris
Molem immensam humeris & vix tractabile pondus
Imposuit, voluitque tuis cervicibus Arcton
Inniti & tanto se successore tueri.
Tu vigiles versans per tot discrimina sensus,
Omnia perpendis solers, hinc ardua belli,
Hinc momenta togæ. quantis se Suecia causis
Vindicet & pulso nolit concedere Regi.

Exeat ingentes lux hæc sublimior, in qua
Arma simul trabeasque capis, famæque futuræ
Fundamenta locas. coëunt cum fascibus enses,
Cum castris civile forum cum milite lictor,
Irradiantque togas phaleræ, phalerasque secures.
Te regnante ferunt summo delubra Tonanti
Ingeminasse pias voces; & prospera sacris
Tempora speravisse suis. revirescere lauros
Vidimus, innumerosque tibi spondere triumphos.
Te legum custode sibi solennia scripsit
Omina Libertas; validisque innexa catenis
Frenduit, & servile jugum furiosa Tyrannis
Transtulit in Moschi latebras, Hunnumque ferocem,
Assuetumque Scytham duris. Astræa severos
Leniit æqua patres, & formidata nocentem
Correxit terrore reum. Prudentia factis
Emicuit grandæva tuis; intacta refulsit
Nec temerata Fides. vertit vigilantia quavis
Lumina parte Labor. sublime Modestia culmen
Inflexit; poterasque minor jam rege videri,
Iam titulis regumque omni conspectior ostro.
Non tibi vesanos ignava licentia luxus
Suasit, & incumbens augustis postibus effrons
Improbitas, peccansque exemplis grandibus error.
Proscribis scelerum matres, adversaque recto
Crimina, Tartareis quæ dudum extrusit ab oris
Tisiphone, studiisque tuum Constantia pulchris
Fulcit ebur, nec te patitur mutabile quicquid
Despectumque sequi. lentas Patientia vires
Roborat & totum moderatur mascula regem
Simplicitas, summique decens reverentia cœli.
De te judicium non indignaris haberi,
Vt jam conveniant paribus suffragia plebis
Vocibus, & crescat concordi teste potestas.
Tale micas sidus populis, exemplar honesti,
Virtutum manifesta Pharos, venerabile pignus
Indigenis,

Indigenis, Borei numen præluſtre profundi,
Spes & cura poli. quem cum Sapientia rebus
Præficeret, cuncti rupere ſilentia vates
Certatim & Clariæ cortina remugiit aulæ.
Rectorem te forma facit, ſpecieſque tiaris
Conveniens, dignique iſto moderamine vultus,
Membrorumque vigor. celſi nitor arduus oris
Inceſſuſque Ducem monſtrat. non aſpera vox eſt,
Non frons triſte rigens, tetricuſque in moribus horror;
Sed facili excellens gravitas permiſta ſereno,
Eloquiique lepos & præſtans gratia fandi.
Neſcio quid primum mirer; quod turbida regni
Æquora, & indomitos fluctus, tumidoſque tumultus
Straveris, & placidis curſum direxeris Euris,
Nunc hac nunc illac proram obliquante carina.
Quod nihil in tanta rerum formidine ſceptris
Feceris indignum. quod nunquam publica ceſſit
Cauſa tua. curis agilem te objeceris unum
Pluribus; inveniens vel quod facundia promat,
Vel poſcat patranda manus. quod commoda miſſis
Vndique legatis fueris reſponſa locutus,
Totque tibi cautis ſociaris fœdera pactis,
Externo imperium gaudens offerre favori.
Iam Latium Romamque ſonas, jam Gallia voces
Audit læta ſuas, celereſque imitantia lapſus
Verba probat. jam priſca graves Alemannia coram
Excipit ore ſonos. faris vernacula Ruſſo,
Impavidoque Getæ. loquitur tibi Finnus & ipſe
Lappio. conſocias Batavis orantibus ora,
Et quot verba facis linguis, tot gentibus ortus
Crederis & patrias audire ac reddere voces.
Ipſe tibi praiens dictas conſulta Senator,
Quæ peragas miles. ſcribis facienda cohorti,
Et pelago mandas claſſes, terraque phalanges;
Callidus evitare dolos; decernere, quicquid
Armatæ poſcunt acies, atque indiga rerum

 Militia

Militiæ numerosa domus. quin finibus exis,
Et vicinorum motus & robora gestis
Complecti, atque oculis etiam longinqua tueri:
Quid moveat Ganges, quid sævam terreat Hellen,
Quæ fortuna Tago, quid ripa binominis optet
Danubii, rectorque Savi, quem surgat in hostem
Pannonius, Cimberque ferox, ubi Sarmata bellax
Sacramenta petat, quo noster Belga triumphet
Principe. cur cupiat procul arridere Britannus.
Scis qua norma Italus, qua velox militet arte
Sauromata, ut pavidis Batavorum vinea muris
Adrepat, triplicesque obeant munimina fossæ.
Omnia quæ proprios prudens convertis in usus.
Hæc cum cuncta domi, Princeps, documenta dedisses,
Tecum crevit amor, dominoque tenacius hæsit
Omne solum. flagrans animis concordia vulgi
Pura mente favet. dubium, num flectat habenas
Rex melior, meliorne pater. confunditur aula
Privatis laribus, spretoque palatia fastu
Vulgares sumunt habitus. cum cive laboras
Afflicto, paterisque miser: gaudesque beatus,
Cum tranquillus agit. redeunt artesque Scholæque,
Et studiis nova templa patent. non præmia Musas
Destituunt, sed colla levant contempta Camenæ,
Seque inter scopulos, atque invia saxa, lacusque,
Et Dryadum saltus spectat Doctrina renasci.
Ipse jubes urbes alias & mœnia condi,
Et Gothicas fulcis mansuris legibus arces.
Tu vallos operi, tu propugnacula signas,
Et tutos aperis portus, pulchrisque colonos
Pollicitis placidisque levas commercia jussis.
Sed vatem me bella vocant, patulæque reposcunt
Te galeæ; clypeosque truces attollit in altum
Pugnatura phalanx, & formidabile murmur
Inchoat. insonuere tubæ lituique, feroxque
Parma micat, tolluntque meos furialia cantus

Classica. sanguineis altè subnixa cothurnis
Melpomene, tragico perfundit castra boatu,
Atque atrox meditatur opus. Vos pandite cuncta
Aonides, vos tantarum fastigia rerum
Stringite, & hybernis regem deducite mundi
Partibus, & medio victorem sistite Rheno.
Vixdum florentes conscendit viribus annos
Iam patiens armorum ætas, virtusque juventæ
Incaluit, Rex magne, tibi. interrupta parenti
Arma remoliris ductor, proavûmque labores
Excipis, & primo respersus pulvere campis
Bellipotens tua signa locas, hostemque repellis
Finibus, & propriis arcens incendia terris,
Cimbrorum popularis opes. arsere favillis
Oppida. flagrantes flammis ultricibus agros,
Suppliciumque suum flens Elzenburga tuetur.
Vindicta pars nulla vacat, laxataque ferri
Grassatur latè rabies, cladem que rependit
Cladibus & paribus dispendia diluit ausis.
Nam cum Teutonicis horrerent littora castris,
Codanumque suas in te transfunderet iras
Æquor, & opposita vomerent nova prælia ripæ,
Cum vicina suas armaret Scandia dextras,
Densaque Calmariis hærerent agmina portis:
Tu solamen eras miseris, subitaque levabas
Naufragium commune manu. tu tecta, penates,
Et surrepta suo reddebas rura magistro.
Illic Oceani stagnis excita lacessis
Carbasa, belligerasque rates, & Balthica mergis
Transtra, triumphator pelagi. cogisque tributi
Et vectigalis rigidum mitescere patrem.
Tu quoque non parvum partis fera Russia lauris
Adjungis cumulum. postquam tot barbarus ille
Terribilis spoliis, & tot numerator honorum
Impulerat grandes odiis immanibus urbes
Ferre jugum, dominumque pati. non segnior hosti

Obvius, invita figis tentoria bruma,
Atque hyemes bellare doces, dum sævus Orion
Horret, & immiti radiantia cingula cœlo
Dissolvit, Gustave, *tibi. trepidantia sensit*
Signa Chronus, positisque minis languere Turuntus.
Et qui se longis terrarum flexibus abdit
Volga, cruentatas porrexit ad oscula dextras.
Qui modò captivum vinclis abduxerat agmen,
Et famulas alta gradiens cervice petebat,
Obside dedidicit socios vexare Britanno,
Assuetosque lares & lignea tecta revisit.
Scilicet ille suas jam fastidire maritas
Cœperat, & raptis Livonum gaudere puellis.
Vt Moscho concessa quies, civilia rursus
Bella tonant , aliosque quatit discordia reges,
Cognatosque Duces. liti memorabile nomen
Majestas amissa facit. trux undique Iapyx
Adstitit, & patriam turmis hostilibus implet,
Nunc hic nunc illic variè certamina miscens.
Concurrunt adversæ acies. hæc asserit aras,
Hæc premit. illa focis audax insontibus instat,
Hæc pia defendit. leges pars altera spernit,
Altera juratas urget. sic utraque pugnat,
Nec fato, nec jure pari. dumque agmina densant,
Et spissi coëunt Sueones, arctantque cohortes,
Inclinat ruitura cohors, animisque remissis,
Donat terga fugæ, collisaque quadrupedantum
Corpora, per laxos sternunt sua pondera campos.
Ipse manu metuendus ades, stimulasque tuorum
Cornua, succendisque viros, primusque sub ipsis
Ordinibus, cupidis ostentans tela maniplis,
Exemplo pugnare mones. fiducia causæ
Erigit intrepidum & gliscit successibus ardor.
Tum Venedi timuere sinus, & littore toto
Vrbibus exuitur, rigido sub sidere, Duina.
Non magnam servant Neptunia mœnia Rigam,

Non arces, Dunamunda, tuas. sublime Felinum
Et versis omnis se dedidit Æstius armis.
Imperio nova forma redit, glomeratque triumphos
Præcipiti sors prona gradu. suspensa trophæis
Ordine regna ruunt, fœdisque erepta tenebris
Alma salus alios victis promittit honores,
Et veluti rediviva, oculos in morte jacentes
Lætior attollit, portasque effusa per omnes
Turba serenatis dominum complectitur ulnis.
Quisquis in antiquis defigis lumina fastis,
Et veterum annales, priscosque recolligis actus,
Hic majora stupe. ne tanti Colchida victam,
Aut Macetûm fractas, Paulo pugnante, sarissas
Esse puta, aut celeri compressum Cæsare Gallum.
Cesserit Illyricum, clarisque subacta Metellis
Græcia, & excidio permiscens æra Corinthos.
Succumbant Mario Numidæ, Fabioque minores
Allobroges, Latias aquilas admittat Iberus,
Celtiberique graves. & nunc audite nepotes
Gustavo *favisse Deos. sua sceptra Borussum*
Subdere, mercantes Elbingam pandere portus,
Et Meva Mariæque simul castella teneri.
Quam tunc pulchra suis fluxerunt succina ramis
Æquoreo concreta gelu; quàm larga totondit
Vellera & exuvias facili donavit Adolpho
Dis ovium pecorisque solum. sed Vistula, fortes
Inter Hamaxobios & duræ gentis Alanos,
Distentis vectans Cerealia munera transtris,
Indoluit sisti jussis regalibus amnem,
Et, Gedano indignante, premi; sua classibus angi
Ostia, & armatis lacerari puppibus alnos,
Nec custoditas stipendia solvere merces.
Quid trahor ulterius! tardis succurritur alis,
Et frustra Austriacis se defensoribus addit,
Serica cui ludunt molles per ephippia venti,
Dacorum phalerata manus. ruit acris ab Arcto

 Tempestas,

Tempestas, aliusque furor committere gestit,
Et totos miscere globos. Proh, funera quanta,
Quam multo adspexit rorantes sanguine terras,
Altior Alcides; quam sparsa hastilia sylvis,
Atque intertexto radiantia tegmina bysso,
Vidistis pavida Dryades; dum Prussia cæsos
Supputat & solitis erepta cadavera bustis.
Ille diu miles populus, cui fabula quondam
Facta fuit, spoliumque & lusus & alea mundus,
Bellaces orditur avos. quem semper in armis
Horribilem, vincique gravem sensere priores:
Majorum decus, & veteres exuscitat ignes,
Nec dispar sibi sternit iter. post secula virtus,
Quantumvis sopita, redit, nec semina claræ
Dissimulant generisque sui primordia gentes.
At non una tuas, Regum fortissime, laudes
Terra capit. quamvis spatiis te immanibus æquor
Ambiat, & Scythico durati frigore fluctus,
Et tibi laxa satis distendat plaustra Bootes;
Quamvis Vandalicis volitent insignia campis,
Teque simul Dacus, Cimberque & Moschus adorent:
Plus debent convexa tibi. plus numina spondent;
Plus superest, quod miles agas. præconia, Vates,
Colligite, & magnis secundum impendite pectus
Vocibus. hic ille est Boreæ defensor & Austri,
Pacator Viadri, Rheni calcator & Istri.
Quò, Bellona, ruis? quo me, Germania, fessum,
Quò rapis Arctoum nova per discrimina Regem,
Et mediis augusta locas tentoria Francis?
Dic, Nicer, hos motus; dic, Marcomanne, labores,
Et mecum ingentis causas expendite belli.
Postquam Cæsareos summa ad fastigia fallax
Extulerat Fortuna Duces, celsaque locarat
Austriacos statione Deos; post flebile fatum,
Et cades, Bojame, tuas: post reddita Pragæ
Sceptra, Palatino depulsam culmine regum

Proge-

Progeniem tantasque vices; cum publica possent
Subsidisse odia, atque moris languescere parvis,
Aut aliud suasisse dies: in Caesare crescens
Vis animi, rebusque modum servare secundis
Nescia, pratumidos irarum ventilat aestus,
Iusque suum infamat vitio; mitramque recentem
Inquinat ambitio, & quaesita licentia regno.
Atteritur decus imperii; Comitumque Ducumque
Fama simul titulique ruunt, deductaque priscis
Nomina nominibus, patrumque ab origine fasces,
Stemmataque & trabeae, mutato principe, lugent.
Damnatos repetunt Romana palatia census,
Et sua sacrati cupiunt araria patres
Crescere, pauperiesque ipsi transcribitur aulae.
Vastat agros pernox miles, miserisque tyrannus
Incubat, & cunctis grassatur finibus exlex.
Proscripti fugiunt cives, Sullaeque leguntur
Pluribus atroces tabulae. fert exulis omnis
Effigiem regio. resonant ploratibus urbes,
Templa, foci. solitas ignorant numina sedes,
Dum Superi, dum sacra luunt, dum pellitur aris
Edicto munita Fides. non extera quicquam
Vota precesque valent. potuisti orare, Britanne,
Exorare nihil. Sueonum vexilla lacessit
Improbitas, hostemque facit. cum Saxone sordet
Iustitiae fideique rigor, donataque nuper
Auxilia & crebris pugnans legionibus Albis.
Crimina multiplicat fastus, fastumque superbae
Sors speciosa domus, & nixum sanguine robur,
Et consanguineis debens Hispania sceptris.
Quae dum maesta videt, Gothicum Germania limen
Pulsat, & ut coram supplex stetit: accipe questus,
Et lachrymas, Auguste, *meas, ait. adspice faedum*
Vulneribus taboque caput, discerpta gementis
Membra Deae, laceros odiis civilibus artus,
Et pene extinctum praesenti in funere corpus.

Post

Post domitas Arctos, vel mites federe gentes,
Sis Fabius, Brutusque mihi. tu jura decusque
Redde precor, signisque aquilas victricibus urge.
Omnia mox victoris erunt. te vindice nobis
Imbelles gliscent animi, rursumque jacebunt
Hostibus. huc equitum turmas peditumque catervas,
Huc totum transfer Martem. communia tecum
Fata vicesque sequar. paribus superabimus armis,
Aut paribus res nostra cadet. servire recusat,
Cui non triste, mori. nunquam se vindicat uno
Libertas oppressa modo. peregrina tueri
In rectore pium. miseris succurrere, prima
Relligio est. vim justa satis vindicta repellit,
Propugnat generosa focos; altaria, Divûm
Et cœli non segnis amor. succurre vocanti.
Hoc abavûm poscunt manes. hoc jussa parentis,
Hoc thalamo cognata domus. vix dixerat, & jam
Rex Boreæ molitur iter. cui prospera Gallus
Vota facit, socio procul annuit Adria Scoto,
Belgarumque patres. totum consternitur æquor
Puppibus, & pandæ transvectant castra carinæ,
Et pelago tot regna natant. Ducis impetus undas
Trajecit celeres, alio stant littore classes,
Armatumque suâ peditem vetus excipit orâ
Rugius, & latis sonipes lascivit in agris.
Vndique conveniunt populi, diversaque cultu
Armorum properat pubes. stupet ille ferarum
Exuviis tectum & velatum pellibus ora
Sauromatam. hic parvo metuendum corpore Finnum,
Ac picturata Livones in veste decoros
Designat, Russumque nigrum, facieque cruenta
Samogetam. proprio cataphractum pectora ferro
Hic Gotthum jam Dacus amat, Cimbroque nitentes
Ostentat phaleras. pulchri incessere Britanni,
Et quos dura suis misit Caledonia lucis.
Hos inter ductor graditur tot millibus unus,

Et variam stabili compescuit ordine turbam
Vnius ceu membra domus. nil turpe libido
Ausa fuit, placidis parebant legibus enses,
Intactoque ferox gaudebat turba colono.
Tunc erecta suum mediis Alemannia flammis
Extulit os, cœpitque suæ plus fidere causæ.
Sed pugnare timens. Tu magnis, maxime Regum,
Aggrederis bellum auspiciis. nec prælia lento
Aut trepido Mavorte trahis, sed fulminis instar
Cuncta tenes. numeros præceps Victoria nescit
Confunditque suos, nec te tam vincere posse,
Quàm vicisse, videt; surgitque molestia fastis.
Omne quod Oceanum Grajasque interjacet Alpes,
Vnius incursu tremuit. sine cæde subacta
Prima tuis ultrò occurrit Stralsunda triumphis,
Et faciles aperit portus. Viadrumque minacem
Vrbibus infractis adeò mansuescere cogis,
Vt tua Custrinum, nunc Francofurtia poscat
Fœdera, nec dubitet locuples parere Stetinum,
Non Lansberga potens. nec quæ Colberga profundo
Imminet, & tumidis obstat Gripsvvalda procellis.
Iam sua Cassubius, jam jugera lata Suëvus
Despondent, & ne qua tuis intacta trophæis
Pars foret, æquoreis latè dominaris arenis.
Cæsar, ut adversas videt increbrescere turmas,
Et toto se Marte peti: nutare potentes,
Irasci jam posse Salam; te fervidus hostem
Provocat, & calidis orditur prælia signis.
Stant Sueones, animatque duces Aquilonia virtus,
Perque virûm conferta & densa hastilibus arma
Invenit ense viam. belli furor impulit omnes.
Surrexere jubæ, galeis horrescere flammæ
Incipiunt, conisque rigent; irata metalli
Ora tonant, cieunt acres certamina dextræ,
Et faciunt alterna manus. jamque undique tela
Missa volant, paribusque crepant concursibus hastæ.

Calcant

Calcant & calcantur equi. nunc ordine certo,
Nunc nullo pugnatur. agit violentia quemque,
Et lethi trux ſcena patet. mors ipſa cadentum
Audaces juvat, & rutili fiducia ferri.
Erigit impavidum pulchris hortatibus agmen
Parrhaſius ductor. nunc cornua flectit in hoſtem,
Nunc revocat. qua parte labant, ſuccurritur, & vim
Reſtituit non feſſa phalanx. ipſe inter & enſes
Et cuneos pugnantum & rauca tonitrua, ſcutis
Dum ſtillat cruor, & ſanies generoſa, fatigat
Numina; nec, quantum poſſit fortuna, moratur,
Aut cæca vis ſæva Deæ; ſed, certus Olympi,
Sollicitat, poſcitque Deum, voceſque diſertas
Intendit cœlo ſupplex; Superoſque rogare
Et pugnare docens, pariter cum rege ſacerdos
Militat. & tantæ ſociant ſua munia partes.
Tu Iuli contemne Deos, præpone ſecures
Et trabeas Divûm ſtudiis. calcate Nerones
Pontificum conſulta mali. nil cœlica Pœnus
Iuſſa putet. laxet crudis ſcelus omne tyrannis
Impietas. hîc hîc, Reges, exempla parantur
Optima, regnantemque Iovem bellator adorat.
Hîc pietas vexilla levat, clypeiſque reſulget
Religio, gladioſque regit. procul exulat omnis
Barbaries, moreſque pios Rex ſanctior urget.
Tillius, ut diſpergi acies & robora frangi
Adſpicit, atque ſuis manantia vulnera membris;
Signa trahit fugiens, & Martis inania diſcit,
Et Nemeſin torſiſſe rotam; tot proſpera belli
Vna clade tegi: contemtis aſtra laceſſi
Hoſtibus, & cæſo ſe ferre piacula Bamo.
Sternitur Auſtriacus fuſis exercitus alis,
Et toto victrix graſſatur Suecia campo.
Hîc Italorum acies, hîc Teuto Martius, illic
Procumbit Burgundus eques, Carnuſque, feroxque
Iſtrus, & audaces Myſi, junctuſque Triballo
Dalmata,

Dalmata. victorum paßim nova præmia miles
Colligit infames aquilas, quas accola Dravi,
Illyricusque pedes, Bojaque tulere cohortes.
Tunc omnis patuit tellus, patuere recessus
Hercynii, & faciles castra accepere Thuringi,
Submisitque suas sceptris Erphordia turres.
Magna cadit tripolis, capiturque à Saxone celsus
Romanæ ditionis apex. quo vindice dudum
Res steterant, nunc hoste labant, mutataque tandem
Mens præclara Ducis justa sibi consulit ira.
Sic postquam angustis clausum penetralibus æquor
Hæsit & euripis frænantur grandibus amnes;
Si laxent obices fluctus, dimissaque claustris
Undarum moles nulla se effundat habena:
Una agrique laresque ruunt, atque impete facto
Omnia præsenti involvit vis ista ruina.
Non aliter sese diffudit in intima regni
Viscera Hyperboreæ felix fortuna coronæ.
Et tu, Parthenope, stares, ni læva fuissent
Fata tibi, & sanis patuissent vocibus aures.
Nunc inhonora jaces, tumulusque & triste cadaver,
Et lethi domus & diri Busiridis ara,
Aula Thyestiadum, crudele Lycaonis antrum,
Et deploratis pulsata orchæstra tragœdis.
Quid, Tilli vesane, furis? cur effera quassat
Corda furor! num Getulo te patre leæna
Edidit, horrendæque admorunt ora Medusæ?
Nullum, sæve, nefas perdis. contempta Deorum
Majestas flammis teritur. reverentia lecti
Et sexus pudor omnis abest. non flecteris annis,
Non matrum precibus. pueri innuptæque puellæ
Ante patrum vultus ferro periere vel undis.
Iam tibi collatus Phalaris mansuetior audit,
Iam Sullæ Mariique pii. jam mitior ipse
Scyron & Getici infandum præsepe tyranni.
Inde per attonitos virtus Mavortia Francos,

Et

Et fortunatas annona divite terras
Ivit ovans. trepidans Regi patefecit amicas
Herbipolis portas, docuitque ad regia jussa
Romulidûm sacros submittere colla nepotes.
Idem etiam Mœno surgit labor. illa Visurgis
Sors fuit, & domiti facies gratissima Rheni.
Ite Moguntini, profugo jam præsule, cives,
Et festas adolete faces. conjungite dextras
Vangiones. alius Nicro jam partus Achilles.
Quem vobis, pavido ceu sidus amabile Tiphy,
Submisere Dii; qui vestra certa salutis
Turris erit clypeusque; tibi qui penè ruenti
Optatam tandem reddet, Germania, pacem.
Ultorem ante oculos languens astare tuetur
Catthus, & hoc audet moliri præside bellum.
Iurat Spira fidem, rerumque secunda sequuntur
Vindelici, & tutis tellus se Norica pactis
Servat, & Alsaticæ juxta cessere Tabernæ.
Nec minus attritis torvus contunditur Ister
Cornibus, & captas Augusto mancipat arces.
Ille Lycum Vindamque premit, cæditque Nariscos,
Et Bavarûm pènetrat sedes. stupet Isara gressus
Atque habitus, Scritofinne, tuos, & celsa Monaci
Mœnia posse capi; Lavaroque in flumine pasci
Arcturi glacialis equos. tunc perculit Alpes,
Et juga Rhætorum clangens tuba. dicitur ipse
Et Padus atque aliquid Tyberis metuisse sinistri.
Sic cum Grajugenûm extremos traxisset in Indos
Agmina bis genitus Liber, vel dives Hydaspes
Coram Thessalicas, Pellæo principe, parmas
Cerneret, obstupuit pallentis regia Pori,
Et sua postremi timuerunt funera Sinæ.
Quo me cunque rapit terrarum maximus ordo,
Totque potestatum series, concurrere lauros
Adspicio. parent Lygii, Chaucique, Mosellæ
Hospes & effrenes veniunt ad signa Cherusci,

Treveri-

Trevericaque urbes. Vbios mansueta loquentes
Audimus, flectique minis Borealibus orbem.
Tandem iterum te Saxo vocat, Gustave, *novisque*
Oppida pressa malis, quæ Martius alluit Albis.
Hic alias cædes, alias discordia belli,
Parcarumque latens animus, vel gloria pugnas
Inchoat. ut tardis cœperunt passibus alæ
Adventare, prior loqueris : Mea robora, Finni,
Lappiones, Sueonesque mei, nunc illa refulsit
Exoptata dies, qua terras fama per omnes
Vos pariter regemque vehet, nec sera silebit
Posteritas nostrum facinus. distringite dextras
Ocyus, objectos, socii, perrumpite vallos.
Pugnandum est, dum fata vocant & classica. per vos
Moschorum rubuere nives, rubuitque cruentus
Cimber, & audaces compressit Sarmata voces.
Quæ mihi tot latè populos, tot regna subegit,
Virtus vestra fuit. vos per glacialia mecum
Flumina & hibernos spreta formidine menses
Istis iter durum. non vobis linea Cancri
Torrida & æstivis currens regionibus Æthon
Obstitit, aut longi fregerunt corpora Soles.
State viri, & si prisca manet reverentia nostri,
Hoc perstate loco. celebrata ferocia segnes
Proscribat pellatque metus, & pabula laudum
Subdat gentis honos. non fas a Cæsare vinci,
Natum Marte Getam. vobis pater ille, meique
Arbiter imperii est. istis defluximus oris,
Quas ferri commendat amor, queis pristina vita
Regula, militia est. astris animamur & undis
Acrius, & similes animos afflataque corda
Sideribus gerimus. gladiis arcete pudorem,
Invictum se quisque probet. nos esse pericli
Et pugnæ comites volumus. properabimus una
Ad laudem mortemque via. non præda, sed ipse
Materies belli Deus est. defendere sacra

Qui renuit, moriatur iners. afflicta bonorum
Tutores nos causa facit. ne Suecia clamet
Degeneres, Teuto timidos. quem sæpius ipsi
Vicistis, toties campis fudistis apertis.
Credite, non uno fugietis teste, vel uno
Iudice victores eritis. tot gentibus omnes
Iudiciisque damur. pariter spectamur amicis,
Hostibus & neutris. vasto res nostra theatro,
Censores, quos orbis, habet. decidite litem,
Ancipitesque manu voces. nos inter & hostem
Vindex ensis eat. superet fiducia, si quid
Deficimus numero. fas est advertere, quales,
Non quot bella gerant. una tot prælia luce
Conficite, & ne sit toties pugnare necesse,
Debellate semel. Regi, patriæque Deoque
Vivere præclarum est, illos servasse decorum.
Dixit, & extemplo postquam coiere manipli,
Cæsareum inclinat cornu. simul acta ruebat
Prima acies, non parca fugæ. Rex impiger urget,
Oblitusque sui, veluti se indagine cinctum
Dum videt, & circum stipari tela manusque,
(Ceu leo, qui telis cingentibus undique præsens
Assilit in ferrum) medios agit acer in hostes
Cornipedem, & tanto septus discrimine pugnat
Cominus, & primo percussus vulnere sævit
Acrius; haud magnum censens, ostendere mundo,
Regem posse mori. nec tunc Augustus inultum,
Quod superest de luce, sinit. ictuque secundo
Saucius, adnitentem animam corpusque fatigat
Ictibus, & iustæ non sufficientibus iræ.
Iamque labans languensque suo dum more coruscat,
Et formidatum nequicquam assurgit in ensem,
Corruit, atque iterum telis coëuntibus, Heros
Bellatricem animum patrio largitur Olympo,
Et sese invitis pugnando emancipat armis.
Illum plena cito sequitur Victoria curru,

Et

Et totas acies, & castra ingentia mactat
Inferias, Gradive, tibi. sine principe miles
Dum superesse nefas censet, securius hostem
Insequitur. pudet amisso non vincere rege
Aut certare diu. juvit præsentia vivi,
Plus mortis jam fama juvat. sine corpore credam
Exanguem pugnasse Ducem, mentemque per ipsos
Erravisse simul cuneos, tacitisque furentes
Motibus instigasse viros. sic victor honores,
Et claro innumeras abrupit funere lauros.
Qua dignum Te laude feram, Rex magne, beatis
Proxime Dis. qui cum moreris, plus vivere mundo
Incipis, & plausu passim majore triumphas.
Publica non unquam simili se gratia fudit
Assensu. nunquam Ausonias par gloria portas
Pandit ovans, cum Dentato tot consule Roma
Oppida post currus traheret, cum vincta catenis
Africa monstraret Marios, cùm Pontica Magnus
Littora, cum silvas Arabum Libanumque teneret.
Ostentare tuos si vatum cura labores,
Et populos aliquis tentet narrare subactos;
Certabunt orbis partes. hæc prælia dicet
Gesta Lycaonio sub sidere, quà ferus ardet
Arctophylax, Ursæque micant. Australibus illa
Splendidior spoliis urbes captivaque dicet
Flumina. victricem celebrabit Suecia dextram,
Botnia civiles narrabit carmine laudes.
Hic Alemannorum tollent insignia patres;
Hic aliis Nemetes, aliis hìc vocibus edent
Gesta Quadi, Bromioque etiam gaudente solutæ
Mænades Abnobiis scribent in montibus hymnos.
Distant sideribus fasces, nec parta sub uno
Conclusit natura loco. tua dividis arma
Tot populis, cælique plagis distingueris actor.
Quantum Sævo tuis ingens Meliboce recedit
Vallibus, à flavo Cattorum prata Rutheno.

A Nerva quantum Albis abis, Aquilonibus ipsis
Luppia, vel Duinæ lacubus discerneris Aura:
Tale tenes meriti spatium. tua purpura cunctos,
Et mœstas recreat domitrix clementia terras.
Per te damnata repetunt sua rura Napææ,
Securosque colit dominus tranquillior agros.
Nubila cesserunt, tempestatesque fugasti
Tyndarides. vacuæ profugis cultoribus urbes
Accipiunt civem. pulsis redduntur habenæ
Principibus, summoque vacant delubra Tonanti.
Quisque tibi grates solvit, quod libera rursus
Oppida possideat, quod nil formidet iniquum,
Latius ædificet, domibusque inscribat amœnis
Gustavi titulos & regis amabile nomen.
Cedite Trajani mites, vos cedite Drusi,
Et lenes in verba Titi. mansuetius illis
Di dederant tibi posse loqui. pugnate Camilli,
Irruite in turmas Decii, patriaque vovete
Victuras æternum animas. non segnior istud
Carpsisti moriturus iter. si paupere cœna,
Pavit Alexandrum Libya torrentis arena,
Te voluit sors esse parem. tibi vertice nudo
Excipere insanos imbres, permixtaque nimbis
Fulmina ludus erat. tibi pulvinaria sæpè,
Et virides thalamos, atque udum rore cubile
Stravit humus, rigidaque fuerunt culcitra rupes.
Flammifero quoties flagraret Sirius astro,
Et coqueret siccas cœli inclementia valles,
Dedecus ajebas gelida recubare sub umbra,
Et fato meliore frui. quæ militis, illa
Sors eadem rectoris erat. similesque fuere
Et Dux & vita assuetus veteranus acerba.
A te militiæ leges mandataque castris
Accepit Bellona rudis. tu stringere noras
Cornua, tu laxare eadem; quæ collibus esset,
Conveniens campisque acies. quis fraudibus aptus

Angu-

Angulus, ut silvis pateat latebrisque receptus,
Vt premat incautos nox intempesta, vigilque
Sobrietas, metuensque novi Matuta pericli.
Aggeribus quoties muros, fossisque coronas
Clauderet obsidio; tu propugnacula solers
Scribere, & imbelli poteras signare papyro
Grande rudimentum. quam parvo lignea nisu
Machina procedat, nec lenius impetat hostem,
Inventum dixere tuum. Tu promptus ab omni
Parte aderas, peditemque pedes spectator obibas,
Nunc equitem lustrator eques. campestria verbo,
Vel nutu præcepta dabas. Regisque sciebas
Officium, miscere Numam. Vix classica signum
Ediderant, agili circum tua tempora motu
Ludere cæsariem, crispari in casside conum
Vidimus. ille tuis monitus calcaribus acer
Cyllarus ardebat pugnas, patulæque patebant
Ad rabiem nares, sumabat morsibus aurum,
Discussaque jubæ dispargebantur in armos.
Ipse tibi volucer, quoties res posceret, alas
Bellerophon Perseusque dabant: cum lentior agmen
Ductares, priscum jurabam ducere turmas
Æaciden, vel Niliacis præcedere sistris
Numen adorandum populo. Si viveret, optet
Te Duce Celtiberos contra pugnasse Metellus,
Thermopylas servasse Lacon, domuisse Sicambrum
Claudius, excelsique aquilas junxisse Catones.
Prorogat æternam sospes tibi Suecia palmam,
Vulneribus defensa tuis. inopina reluxit
Germanis, te dante, salus, & prospera porro
In nomen ventura tuum sibi secula spondent.
O quoties victi exuviis Aquilonis onusto
Arrisere tibi regalia sidera, Cepheus,
Et pater Alcides. quoties tibi libera favit
Andromede, misero cum solvi vincla Suevo
Cerneret, Vsipetesque tibi parere volentes.

Quod si longa tuis traxissent stamina bellis
Concordes Superi, poteras immissus in Alpes
Eridano lavisse comam, proavûmque vetusto
Restaurasse decus solio, trans alta vagari
Pyrenes iuga, vel mediis considere Mauris,
Aut iterum antiqui penetrare in viscera Bocchi.
Maxima versabas animo, gnarusque videbas
Singula, quæ peragenda domi, quæ longius essent,
Quid potius pelago, vel sit tellure gerendum,
Quid mercator agat, num sanciat æqua sacerdos,
Num violet scriptas audacior insula leges;
Quid beet agricolam, quo floreat aula decoro,
Iudicii fuit omne tui. quid fabula vatum
Centum oculis Argum soli invigilasse juvencæ
Grande putas? uno lustrantur lumine regna,
Totque simul mens una potest confligere rebus.
Non tibi se regum quisquam jactare priorem,
Vel cupiat conferre parem. collata potestas
Est minor, & tantis vis æmula deficit ausis.
Haud secus, ac puro rutilat cum Phosphorus igne,
Stellarum lux omnis hebet, caligat Orion
Nubilus, obtusis radiis intermicat Hydra,
Sidereæque faces inviso lumine languent.
Inclyte Rex, seu jam Nemeæo insessa Leonis
Astra tenes: seu Gnosiacæ te stella Coronæ
Irradiat: seu Threïcii per fulgida Martis
Limina terribilis graderis; seu celsior ipsum
Attingis solium Iovis, & cum Pallade regnas:
Adspice luctantem claro cum Cæsare Suecum,
Adspice victores etiam post funera Gotthos,
Et nixa Axelii curis prudentibus arma.
Quo jam Parmenione vigent, quo Nestore florent
Res Sueonum, matura capit consulta Senatus,
Et vigil in mediis effulget Curia castris.
Adspice, quàm sese magni prænominis hæres
Hornius ostentet campis, quibus acer in armis

Vimarius ruat, & pallentem territet Istrum.
Hic tuus est Perdicca, tuus Meleager & alter
Antipater, quorum egregiis successibus orbi
Vivis adhuc, geminosque feris virtutibus axes.
Hæc Tumulo suprema loquor, dum regia proles
Crescit, & ipsa inter præstans cunabula Virgo
Provehitur, decoratque tuo diademate crinem.
En, latus accingit gladio, torvamque pererrans
Ægida, & ærata ludens sub casside, quærit:
Num patrio desit tellus vincenda labori.
Tempus erit, quando totam regina Camillam
Induet, armabitque viros in bella virago.
Tunc soboli, Gustave, *tuæ, cum Martia nubes*
Ingruet, inspira roburque animumque virilem.
Sic tua continuis procedant prælia fastis,
Sic ingens Regina suis cataphracta loquatur
Ordinibus, Geticas disponat femina classes,
Masculaque Austriacos contundat filia fastus.

VENVS CIMBRICA,

Sive Nuptiæ Serenissimi Principis, CHRISTIANI, Electi Daniæ & Norvvegiæ Regis, & Serenissimæ Principis, MAGDALENÆ SIBYLLÆ, Serenissimi Ducis Saxoniæ & S. R. I. Electoris Filiæ.

HÆredes regum thalamos, amnexaque claris
Stemmata federibus, populique augusta Trionum
Sidera & accensam tedis genialibus Arcton
Respice, quæ summum toties generosa sagittis
Læsisti, Citherea, Iovem. quid Cypron amasse,
Quid Paphon, Idaliumque nemus, Cretamque Gnidumque,
Flagrantesque à Sole domos miraris? & ipsam

Incaluisse Samum? nihil est, si ferveat Eos,
Si sponsos Aurora suis exuscitet undis,
Aut Gangen suus urat amor, vel tosta procetur
Memnonis aula procul. Iam frigida parturit ignes
Parrhasis & gelidæ coëunt amplexibus Vrsæ,
Præluduntque Duci. glacialia sidera lætus
Mitigat Arctophylax. nec jam nimbosus Orion
Porrigit immanem pacis studiosior ensem,
Sed facilis, sed mollis amat. pars horrida mundi
Mansuescit, Boreique micant cum Principe vultus
Clarius, & tetricos conjux effeminat axes.
Iampridem Paphiis cognata Britannia flammis
Arserat, & dignos Carolo sperare nepotes
Ausa, Caledoniis regalia lilia sceptris
Iunxerat, & Tamesin Ligeri, Rhodanumque Tuadæ
Miscuerant magna sociali fœdere gentes.
Hesperiis quin ipsa potens se Gallia pactis
Strinxerat, & grandis neptim gavisa Philippi
Donarat, Lodovice, tibi. regnator Iberus
Oscula Borboniis defixerat uda labellis,
Austriacoque alibi recubabat Mantua lecto:
Cum sic fata fuit toto circumflua Tethys
Æquore, & his ipsis accendit regia dictis
Pectora, Cimbrorumq; Ducem: quid, Maxime Princeps,
Quem spaciosa manet Gothici fortuna profundi,
Et circumjectis veneratur Cimbria regnis,
Ignavas pateris soli tibi currere noctes,
Et languere faces, & nullis tempora duci
Conjugis illecebris? nec patris amabile nomen,
Nec generis, serique movet te cura nepotis?
Dilexere Deas Superi, dileximus illos,
At thalami sub lege, Deæ. Saturnia charo
Blanditur regina Iovi, Venerique severus
Mulciber. ipsa suum complectitur Amphitrite
Nerea. me Neptunus amat. laxantur Averno
Gaudia, & in Stygiis quæruntur basia regnis,

Et

Et ferrugineum mulcet Proserpina patrem.
Nec dispar sors celsa Ducum est. idemque potentes,
Qui Divos accendit amor, sociataque pulchrè
Majestas Cyprisque fuit. dum subruit urbes
Ninus & insolitis convellit motibus orbem,
Assyrius lascivit apex, partemque furoris
Diluit abjecto pharetrata Semiramis arcu.
Quin & Achameniis surgens Titanius oris
Cyrus & Arsacidas acuens in bella phalanges,
Arsit in Aspasia. quid te Priameïa mater
Commemorem Priamumque patrem? quid Pelea sponsum?
Aut Agamemnonio ferventes igne Mycenas,
Romulidûmque thoros? thalamo sic munit & armis,
Qui regnare cupit. solio cum suppetit hæres,
Audaces peccare timent. tutissima res est
Successor, sobolisque fides. his nixa potestas
Præsidiis secura viget, nec certior unquam
Imperio fortuna manet, quam regia postquam
Sceptriferos auget genitrix fecunda penates.
Namque velut pavidis promittunt prospera terris
Chaldæi Babylonque sagax, cum celsius astra
Cælicolûm per tecta ruunt, summoque coruscant
Vertice, nec radunt humilem declivia Vestam:
Haud aliter postquam populo sublimior omni
Exoritur regum soboles, ac nascitur orbi,
Exultant pariter gentes, & sceptra parentum
Tuta patrocinio vires à sanguine sumunt.
Non ultrà jam tela rubent, pandisque cruorem
Scuta bibunt spatiis, non diro in vertice coni
Terribiles stringunt galeas, vel pulvere belli
Adspersus lambit crudus sua vulnera miles.
Non tua vicinis bellatrix Scandia flammis
Ardet, & adversis Sueonas ulciscitur armis.
Non qui rure suo laxisque paludibus exit
Cimbrus & angustas promovit Vandalus oras,

Romulidûm jam strage calent, & cæde feroces
Ausonias populantur opes. non ense Cheruscus,
Non Marsus Chaucusque rubent. Pax; optima rerum,
Tollit læta caput, mansuetaque numina belli
Proscripsere minas, & formidabile murmur,
Et mundi ferale malum. sunt otia genti
Certa tuæ, cunctasque ligat concordia terras,
Et spondent meliora Dii. cur, maxime, cessas
Ista Dioneæ largiri tempora matri,
Et Veneris vibrare faces? aliosque Canutos
Reddere, vel fortes Stenonas, seriemque tuorum
Nectere tot retrò ducibus. quos inter Heraldi
Et celebres fulgent Olai, victorque Suëno,
Christiernique graves, & nomina nata triumphis,
Errici, Frothoque potens, quos ordine longo
Ad tua derivant geniales secula tedæ.
Expectant à te sobolem dispersa per undas
Imperia, & cupiunt sperato Principe passim
Tot gentes, tot regna frui. sic Funnia fatur,
Hæc circumfusis Selandia murmurat undis,
Nerigon hæc eadem ingeminat, postremaque Thule,
Et qua vasta suos Nidrosia colligit amnes
Vallibus, & toto famulatur Fembria ponto.
Tot votis ordire virum, tot vivere terris
Incipe progenies regum; genituraque reges
Vtilius vixisse velis. pars degener orbis
Creditur, & mundum vix ullo jure tuetur,
Basia qui charæ nunquam sibi conjugis emit
Basiolis, blandoque procans arrisit amori.
Hæc decoris pars prima tui est, genuisse tiaris,
Queis pater imperites; & consudisse benignum
Cum populo prolis nomen; regemque patremque
Regnantis vultum vultu lenire paterno.
Sic clemens regnator eris, minuetque furorem
Conspecta consortis amor. cum publica lassant
Pondera, cum rerum moles glomerata fatigat,

Illa tibi blandis emolliet aspera dictis,
Illa tibi nutu poterit tranquilla mederi,
Vel precibus placare gravem. ceu concita quando
Æquora Neptuni surgunt percussa tridenti,
Et jam terror habet Tiphyn, sociosque ratesque,
Tota procellosos componunt æquora motus,
Me ridente. suo Stilico desæviit æstu,
Conseditque tumens animus, cum voce Serena
Flecteret accensum non indignante maritum.
Leniit Augusti non inconcinna furorem
Livia, & audacis traxit molimina Magni
Iulia, nec generum socero concurrere passa est,
Dum vixit, suasitque viro tunc optima conjunx.
Quid? tua cum matres etiam mandata capessent,
Egregiæque nurus; praeat virtute domoque
Femineo Regina choro, querulasque maritas
Flectat in obsequium similis concordia sexus,
Parque modus fati, nec dispar regula vitæ,
Eloquiique lepos. etiam componitur iste
Orbis ad exemplum Dominæ, gaudetque magistram
Officiosa sequi mulier. quam femina monstrat,
Ad te communis pietas proclivior ibit.
Nonne rubent cœli radiis melioribus ignes,
Cum Phœbo graditur Phœbe comes? aurea fratrem
Illustrat Dictynna, atque illustratur ab illo.
Sic socio cum rege decus venerabile sceptri
Expandit muliebris honos, fulgetque vicissim
Regnorum geminatus apex, conjunctaque terris
Lumina prælucent melius. cum conjuge Cepheus
Rexerat Æthiopas; radiant nunc altius astris
Cassiope Cepheusque simul. cum conjuge rexit
Penelope; Latiæ flexit moderamina Romæ
Gnara gubernandi Tanaquil, nec sola potestas
Tarquinii regisque fuit. solertia felix
Profuit ista viro, & meruit majora virago.
Suspice, qua volucrum pennis sonat arduus æther,

In Venerem natura ruit. Iovis ales amatur,
Et rursum Iovis ales amat; generosaque dictis
Sufficit argumenta meis. genus omne natantum
Vritur. en, grandes, informia corpora, ceti
Me circum tremulis agitant connubia squamis.
Sed ne longa traham per centum exordia causas,
Vna tuis, Princeps, servatur amoribus apta
Magdalis. *hanc dudum ventura provida sortis*
Numina seposuere tibi. scis Cæsare dignum
Stemma, patremque Ducem; qui claris Teutonas armis
Asserit, & veteres VVitikindi exuscitat iras.
In Tiberin Istrique Deos, celebresque ruentis
Exuvias Tilli lauris appendit avitis.
Nec te fama domus Bullataque nomina septem
Electorque latent, &, quem gerit impiger, ensis.
Non malè vexatis olim concessa Britannis
Auxilia, & fusos animoso Saxone Pictos.
Est genus annexum Tamesi, Rhodanoque Padoque,
Et proavis, Lotharinge, tuis. hac stirpe Capetus
Relliquias sprevit Caroli, Druidûmque sagaci
Ingenio possedit ebur. vicere sub istis
Cæsareæ signis aquilæ, Romanaque crevit
Gloria, & Ausonio restans Germania regno.
Inclyta progenies tali se vindicat ortu,
Hoc jactat se patre satam. venerabile nomen
Augusti fecere Lares, & feta triumphis
Nobilitas. sed cuncta decens reverentia morum
Antevenit, sexuque animum sublimius effert;
Vt generet, qui sceptra gerant. sua gratia formæ est.
Et decor in vultu, qualis solet esse Dearum,
Emicat. hanc si Thessalicis vidisset in agris
Errantem Phœbus, Daphnen sprevisset amator,
Liquissetque suam profugus Minoida Theseus.
Triste nihil, nihil innocuam implacabile mentem
Pervertit. nitidæ insedit clementia fronti,
Assuevitque Deo pietas. prudentia dictis

Et gravitas regalis inest, & nescia fraudum
Simplicitas. quoties gemmis splendescit & auro,
Virtutes potiora putat. cum regia spectat
Limina magnificasque trabes, aulaa, penates,
Vult demissa frui. multum nocitura regenti
Luxuries & fastus abest. sunt candida semper
Gaudia, nec peccat pulchro saturata voluptas.
Hanc proavûm matres & tot docuere Sibyllæ
Conjugii servare fidem, docuere severæ
Iura pudicitiæ. tali nascente puella
Fama fuit tumuisse Salam. se laxius Albis
Explicuit, vastos auxit Thuringia saltus,
Hercyniumque latus. maturis fertilis uvis
Vinaria, & patulis arrisit Misnia campis.
Lusit & ad cunas Viadrus, natalibus aquus
Mulda fuit, lambensque soli vicina Visurgis,
Et passim vario scatuit dis vena metallo.
His ubi Nympharum genitrix sermonibus ipsum
Accendit facunda Ducem, & se fassa moveri est
Purpura, jamque vigor solitus spretorque cubilis
Subsidit monitis animus, secretaque sensit
Corda quati Divûm alloquiis : tum protinus illa
Exutum nuper transtris bellacibus Albim
Advocat, & qua se vallis circundat & undis
Dresda potens, paribus laudatam Magdalin, *inquit,*
Ocyus implebis studiis, generosaque sese
Altè virgineis occultet flamma medullis,
Dignaque regali virgo suspiret amori.
Ille procellosa velox mandata capessit
Tethyos, & mœstæ dum præterlabitur urbis
Mœnia, Parthenopesque domos, ac diruta flammis
Tecta laresque Deûm; sævi spectacula Martis,
Et Tilli furias & adhuc à cæde calentes
Despexit portarum obices. dein longius actus
Quà formidatis se turribus altior effert
Dresda, stetit. non tunc rigido barba horrida mento,

Hirsutumque supercilium, non hispidus Albi
Vultus erat, fœdaque comas velaverat alga.
Pronuba forma fuit, faciem distinxerat auro,
Torvaque fulgebat cultu meliore senectus.
Canities, sed compta, suis formosa capillis
Esse videbatur, Tyrium redolentia succum
Pulchra seni ex humeris pendebant pallia pandis.
Insuetus tanti decoris, gestusque procantûm
Incœptum tentabat opus. cum forte decoro
Adventans speciosa gradu se Filia princeps
Obtulit, & patriis errans secretior hortis,
Mitia Saxonicæ sperabat tempora terræ.
Hoc etiam volvens animo, discrimine quanto
Assereret patriam genitor : quam fortibus ausis
Iret in Austriacos : ut libertatis avitæ,
Vt Superûm fideique tenax, hæc bella coactus
Susciperet : quoties sanis hortatibus Istrum
Erigeret : pacemque malis præponeret armis.
Talia sollicita dum versat mente virago
Mascula, sic curas, sic interpellat euntem
Albis & his regum dictis persuadet amorem.
Salve magnanimi proles augusta parentis,
Ingens nata Ducum. cur te Mavortia mitem
Suspensam fortuna tenet? motusque viriles
Lenior expendis virgo? studiisque severis
Exerces imbellem animum? totum excute Martem,
Gradivumque patrem. sunt hæc minus apta puellis
Nomina. quin potius Veneres admitte, facesque,
Quas puer Idalius, quas ventilat alma Dione.
Hæc facilem te cura decet. si busta rogique
Si te fata movent hominum, dispendia belli
Totque obitus mater repara. post funera Regum
Reges gigne alios. nec jam contemptior ultrà
Privatos patiare lares. Borealia sceptra
Exposcunt lecti sociam. diademata crines
Expectant Arctoa tuos. te rector honorat

Vandalus, hæredem Gotiæ tibi destinat æther,
Parrhasiique tuis nunc gliscunt ignibus ignes.
Agnosces famulum, Virgo dignissima, pontum,
Victricesque rates. tota donaberis Arcto.
Dos non unus erit populus, non insula simplex.
Nomen adorabunt plures. tibi prona favebit
Nerigon, ardentem submittet fascibus Heclam
Incola, formabit placidos tibi Cimbria cives,
Te Fiones, agrisque colet circundata pulchris
Hafnia, per medios ibis regina Suevos,
Inque tuo cupiet piscari Iuta profundo,
Et Gothus, antiquique memor Dithmarsus honoris.
Cuncta patent parentque simul. quæ federa necto,
Illa tibi locuples Codanis faucibus aurum,
Vectigalque ferent. spatiis his vivimus omnes,
Et miseris latè terris alimenta petuntur.
Fundat ab Eois fragrantia balsama ramis
Indus, odoriferas Panchaïa jactet arenas,
Astur donet equos, multo nos Gallia Baccho
Proluat, in duro desudet marmore fossor
Dalmata, Prutteno concrescant succina fluctu.
Queis facilè est caruisse bonis. hinc pabula vitæ,
Hinc segetes frugesque bonæ, Cererisque vehuntur
Munera, & immensum ratibus mittuntur in orbem.
O quali socianda viro es, qui regibus ortus
Inter sceptra puer mundique adolevit habenas,
Semideumque domos. quas Delmanhorstia dudum
Vexit & illustri stirps Oldenburgica fama
Misit in imperium magnum. quis clarior illo,
Quis venerabilior sanguis? cui prisca dedere
Semina Christophori, regnatoresque Canuti,
Hemmingique graves, scriptique annalibus Humbli.
Si laudes recitasse velim, prô quanta patebunt
Æquora. destituent fessam præconia mentem,
Non Helicon satis unus erit, non Castalis undis
Sufficiet fecunda suis. vigor inclytus illi

A pueris, tenerisque aliquid fulgebat in annis,
Quod domini regisque foret. spondebat honores
Eloquii clemens gravitas, & fulta juventus
Majestate patris primo se protinus ævo
Obtulit exemplum. jam tunc suffragia gentis
Emeruit plaususque suæ, crevitque potentum
Judiciis, votisque erexit grandibus aulas.
Inde per egregias crescens circumtulit artes
Ingenium, verique modos præceptaque recti
Addidicit, nituitque suis industria donis.
Tunc animus fuit Arctoos evolvere motus,
Ire per annales patrum. quibus arserit armis
Normannus Danusque, quibus Colmaria flammis,
Scrutari, & victæ miseranda incendia Bergæ.
Quis Gothicas acies, Sueonum quis fregerit urbes,
Qualis in adversos Gormo surrexerit hostes,
Classibus incautum Sueno pacaverit Humbrum,
Et mediis steterit veloci Marte Britannis,
Regnantumque vices varias. quid secula dignum
Ediderint exacta, togæ bellique labores.
Omnia quæ proprios rector convertit in usus.
Nec minus Euclidæ numeros, ignotaque quanti
Metitur spatia, & rigidis distincta figuris
Signa legit, Martisque levi spectacla papyro
Exhibet, & veterum disponit more phalanges,
Quaque urbes virtute ruant; qua linea muros,
Quæ feriat directa domos; ut vinea serpat
Tutius, & timidis subrepat machina portis.
Sæpius in stricto lusit vis Martia ferro,
Et gladios vibrare sagax, invenit in armis
Mille nocendi artes, nocituraque vulnera cautè
Intulit, atque hostem ferit secura malorum
Dextera, & attento rabiem mucrone fefellit.
At quoties trepidis fervens in vallibus acri
Gaudet equo, laxisque volat dimissus habenis,
Stat nutu sonipes, spumisque madentia mordet

Frena

Frena ferox. jam sternaci cervice minantem
Flectit, & aripedum doctis premit ora lupatis
Impavidus, spectatque alium jam Castora Cimber.
Illum sæpè pater pugnæ inflammavit amore
Intrepidum, totumque cavo caput abdidit ære.
Non galeæ dirum fulgur tristesque timebat
Castrorum lituos. sævis horrentia telis
Agmina ludus erant. circum tentoria Phœbe
Mirata est errasse ducem, noctisque per umbram
Ducere sollicito vestigia mascula gressu.
Pace fruens aliis animabat pectora votis,
Terribiles inflare tubas, disponere vallos,
Bellonæ calcare vias, diffringere portas,
Obruere hostiles acies, circumdare castra
Fraudibus. hac primas exercuit indole vires,
Cunctaque, dum cessant, doctrina recolligit arma.
Si, quibus ingentes flectet virtutibus urbes,
Scire juvat: poterit solo metuendus amore
Et terrere malos, & præmia reddere justis.
Flectitur, autori quoties damnatur iniquum.
Nec languet, quoties vitiis immanibus horret
Improbitas. non ambigui molimina vulgi
Aut nimium timet aut spernit. sub pectore magno
Spem domat immodicosque metus. non sorte secunda
Diffluit. adversam forti ratione refellit.
Hoc Regis putat esse, Deo submittere fasces,
Non homini. legesque sequi, quas condidit ipse.
Tunc vult officiosa loqui, cum civis amatur.
Tunc vult imperiosa loqui, cum murmurat audax.
Vult licuisse sibi, quicquid permittit honestum.
Nec licuisse sibi, quæ sola licentia clamat
Posse duces. tunc arma probat, cum publica justè
Causa dolet; tunc arma fugit, cum fœdere tuto
Stat secura quies. fines virtute tueri,
Principis officium credit. non poscere bellis,
Quæ levis ambitio & regnandi insana libido

 Suggerit.

Suggerit. Astraa propugnat vindice muros,
Excubiis telisque minus. venalia jura
Strataque muricibus damnat fora. digna merenti
Destinat, indignis gravior, turbantibus acer.
Intemerata fides lingua est, nec, casibus harens,
Rescindit promissa. dolis, sine crimine, gaudet,
Et simulat, sine fraude tamen. noscendaque nunquam
Dissimulat, prudensque premit secreta silendo.
Incubat in famam totus, qua lasa minatur
Regnanti graviter, spondet meliora superstes.
Quarit amicitias, nec cunctis fidit amicis,
Et Pyladem occulto sapiens distinguit ab hoste.
At quoties decernit, amat consulta Senatus
Consiliis sociare suis, proceresque loquentes
Audit, & à cano suffragia Nestore poscit.
Spernere adulantum strepitus vocesque malorum
Exemplo, Trajane, mones. affabilis ut sit,
Vespasiane, tuum est. Augusti Casaris illud;
Neglectas revocasse artes, favisse Camœnis,
Et doctis monstrasse viam. non perdere civem,
Scipiada vox sancta fuit. qua regius hares
Dum facit, à magno meruit pranomina Christo.
Non avida iratas illi malè strangulat arca,
Quas congessit, opes. verùm moderata fruendi
Temperies toti partitur commoda regno.
Providus antevenit, nova cum discrimina Gracchi,
Aut effrons Catilina, movent; facinusque Cethegi
Occupat. interdum lentè facienda moratur,
Et metuit, quicquid peragit violenta potestas.
Cum mala vicinas exercent jurgia terras,
Omnia tuta timet, litique intervenit aequus
Arbiter, indomitosque studet componere fluctus.
His meus officiis Princeps, his moribus audit
Clarior, his curis patrium suffulsiet orbem.
Quare age Germanas inter selecta sorores,
Sceptriferos admitte thoros, & noxia pelle

Otia,

Otia, & ignavi fastidia discute lecti.
Quæ formosa nites, fugientibus utere donis,
Et formam nuptura proba. non illa dedere
Incassum Superi. vultus Lucina serenos
Exigit, & thalamos conscendes pulchrior uxor.
Dixerat hæc, verum solito tunc comptior, Albis,
Matris jussa sua. cum gens pharetrata Diones
Adstitit attonitæ Divûm sermone Sibyllæ,
Et tacitum membris altè inspiravit amorem.
Ex illo absentem Princeps in Magdalin *arsit,*
Rursus in absenti tunc Principe Magdalis *arsit.*
Dumque locis distant, gens intercursat Amorum,
Crebraque per longos commutant basia tractus,
Basia, quæ Zephyri, quæ perturbare verentur
Nubila. quin lachrymæ, gemitus, & quicquid amantum est,
Risus, amor, gratique metus, suspensa voluptas
Hac illac levibus volitant per inania pennis.
Non ita Abydeno quondam placuisse putatur
Sestia, non magis accensa Leander in Hero
Incaluit, quamvis freta per crudelia naret,
Æquoraque à flammis multum interfusa teperent.
Cum celer immiti juvenis decurreret agro
Hippomenes, non sic meta flagrabat in ipsa
Victor, ut à tergo venientem aspexit amicam.
Tum Patribus placuere thori, & connubia sanxit
Iupiter, & claro majorum sanguine fultæ
Convenere domus. genero stirps celsa Georgî
Annuit, & coiit celebri cum Saxone Cimber.
Ipsa Venus frenis agiles adstrinxit olores
Rapta per Idalios colles, Erycinaque templa,
Atque omnem excivit latè Paphon. illa Britannis,
Et consanguineo defert nova nuncia Regi.
Itur in antiquam Hesperiam, quà lampade fessa
Mergitur Occiduis Titan declivior undis.
Audit & Tiberis murmur geniale; proculque

Adria communi junxit sua vota favori.
Austriacæ strepuere fores, Bavarique penates,
Quaque Palatinis longè se collibus abdunt
Atria. semotos genitrix Æneia Dacos
Concussit, Batavûmque patres. simul otia Marti
Imperat. hos nobis, inquit, decurrere lenes,
Odrysi, permitte dies. furialia cessent
Arma. meis aquilas hodie succumbere signis,
Fas erit, & placidis Veneri concedere castris;
Dum sperata diu consummant oscula reges.
Illa manu Sponsam ducit, quæ lumine presso
Leniter, à fluxa sibi virginitate timebat
Pallida; & hac ipsa pro virginitate rubebat,
Nondum gnara rudimenti. dein sacra thorumque
Apparat, & gravibus miscet sua numina Cimbris,
Dissimulatque Deam. gestus, habitusque decusque
Temperat ad ritus Gothicos, & amoribus aulam
Implet & huic uni gestit comes ire marita.
Scilicet illa dies venit, quo regius ipsis
In triviis clamatur Hymen, quo concita gaudent
Oppida, collucent flammis genialibus undæ,
Et tangit res tanta Deos. accurrite vates,
Et Phœbi tripodas, Parnasseosque recessus
Pandite. sidereas afflet vis enthea mentes,
Et quicquid facunda olim cortina remugit,
Promite. per vestros hederæ laurique capillos
Luxurient. hic dictet epos, gratumque verendis
Principibus pertexat opus. qui pollet, ovanti
Decantet sua verba lyra. dithyrambica nuptis
Carmina, vel molles elegos aptate poëtæ.
Hæc si blandiloquus spectasset festa Catullus,
Ambisset festiva loqui, Thetidemque Sibyllam,
Pelea dixisset Sponsum. præ conjuge tali
Persephone vati Thario neglecta fuisset,
Callimachusque suis cecinisset Magdalin *hymnis.*
Vt procul aspexere Duces & fœdera regum

Thym-

Thymbraus pater, & Nysa de collibus Evan.
Mænades hic Nysa, Thymbra movet ille Camœnas,
Alter Bassaridum matres, movet alter ab alto
Pierides. resonant festo clamore Cytheron,
Ismaraque & Grajûm repetens modulamina Phocis.
Omnia læta ferunt gentes. hac vincula quisque
Privatum putat esse bonum. se plurima mater
Hoc jactat peperisse die, sobolemque diemque
In fastos studiosa refert. annosa senectus
Adspicit hac avidè celebris spectacula pompæ,
Et serum solamen habet. sua gaudia tellus
Persentit. redeunt tonsis nova gramina campis,
Nec modò nata trucem metuunt arbusta Booten.
Non gravis afflatu Cerealia rura maligno
Sirius, aut madidi vis noxia verberat Austri.
Aura favet, glebasque levi cum rore maritat
Vespera, perspicuosque bibunt viridaria succos.
Plus solito rubuere rosæ, plus candida cernas
Lilia cum niveo passim certare ligustro.
Quæque pruinosis Ino vaga pascitur herbis,
Vbera tenta gerit, tauroque occurrit amanti,
Et sine vi potitur. recreat fecunda magistros
Spes gregis. æquoreis ovat & bacchatur in undis
Cæruleus Triton, Nymphasque ex æquore toto
Convocat, & ludos pelago molitur in ipso.
Horrida Hyperboreis spirantia monstra procellis
Approperant, circumque tuum nant, Hafnia, littus,
Vastaque mobilibus quatiunt vada cærula caudis.
Involat in phocam Tethys, immania cete
Tergora supponunt Nymphis, Neptunus habena
Lascivum delphina regit, balæna petulcum
Nerea fert, vitulo Glaucus Spathaleque marino
Insedere simul. Galateam fervida pistrix
Spumanti modò tollit aqua, modo corpora mergit
Absconditque salax undis. fera nomina, porci,
Rosmarus & polypi & sinuoso pisce dracones,

Serræ-

Serratæque sua ludunt statione catervæ.
Balthica quæ medias divellunt ostia terras
Lætitiæ dant signa suæ. quæ carbasa vectant
Triptolemum, celsa suspendunt puppe coronas,
Et remis circum feriunt freta. lustrat Huæna
Astrorum cœlique vias, & prospera Sponsis
Tempora præsagit. densis abscondita lucis
Sora, Camenarum sedes & nobilis oti,
Pegaseum tonat ore Deum, vocesque disertas
Colligit Augustis. Me, Felicissime Princeps,
Cui vacat Arctoi jam nunc pars Martia mundi,
In Batavis procul ardor agit, grandisque canendi
Materies rapit in furias, œstroque potenter
Sollicitat vatem. Paphias sacramus ad aras
Vota precesque tibi. propera, Dux magne, nepotes,
Qui leges, qui castra colant, Musasque tubasque
Contineant; seu Martis opus, seu pacis amanda est
Conditio bellique mora. succede parenti
Talis, ut huic alium nos successisse negemus.
Tuque decus populique pater, Rex Maxime, *cujus*
Posthuma perpetuas celebrabunt secula laudes,
Hæredi gratare tuo, celsosque parumper
Dilue regnorum titulos, & seria differ
Iussa senex, dum se fulgenti Magdalis *ostro*
Implicat, & cupido fruitur gavisa marito.
Adspice, qua summa cœli regione perennes
Heroum vivunt animæ, tuus altior inter
Semideos Vldricus *agit, fetumque decoris*
Artibus ingenium, & quicquid sublime sub illo
Pectore condiderant Superi, viresque animumque,
Pallada, Mavortisque decus jam devovet astris,
Custoditque sibi. solum, dum cetera spernit,
Te Fratremque videt, thalamisque adspirat, & omnem
Optat inoffensis regnari civibus Arcton.

MANES BAVARI,

Sive Epicedium in Obitum Serenissimæ Principis ac Dominæ, MAGDALENÆ, natæ Comitis Palatini, Rheni, utriusque BAVARIÆ Ducis, Vxoris Serenissimi Principis VVolfgangi VVilhelmi, Comitis Palatini, Rheni, Bavariæ, Cliviæ, &c.

Illustres obitus, & magni nominis umbram,
Et vacuum consorte thorum, cineresque beatæ
Conjugis, & clara viduos genitrice penates
In Batavis, Dux magne, queror. Tibi tristia mœror
Verba negat, tantique stupent ad busta dolores,
Officiumque suum venerandis manibus alti
Exolvunt gemitus, mutique in funere luctus.
Non loqueris, quem damna premunt. non murmure Divos
Sollicitas, qui fata probas. qui pectore volvis
Quæ Superis placuere, taces; & Principe dignum
Hoc credis, cessisse Deo. quem flere potentem
Majestas trabeaque vetant, contendere cælo
Plus pietas submissa vetat. quin ipsa dolendi
Præscribit tibi causa modum, suetusque virorum
Imperiis tacitis frangis suspiria jussis.
Nos potius memorare tui dispendia lecti
Conveniet, tumuloque procul semotus & aula
Ingentem cantabo animam. Tu præfica tristem
Dicta Melpomene ferali carmine lessum,
Teque paludatis infer mœstissima portis,
Et sparsis miseranda comis, vittisque solutis
Horrida, & atratâ gradiens per compita pallâ
Ad Bavaræ *consiste rogos. En nigra cupressos*
Atria, funereasque adolent palatia taxos,
Fractaque jamdudum longis Germania bellis
Nunc iterum, quod ploret, habet; pergitque malorum
Conge-

Congeriem cumulare sibi, ac laudabile cæli
Depositum iratis queritur succumbere Parcis.
Adspice, feminea lassatum mole feretrum,
Et Domina suffulcit onus, titubatque satiscens
Iulia, *nec tantum Mavortia damna moratur,*
Quam patrii lamenta soli, satisque petitum
Terrarum præluſtre caput. quàm Clivia *vultum*
Verberat, & grandi tundit præcordia planctu;
Nec dubitat, qua sorte cadat, quo pignore rapto
Imperii lux prisca sui, lumenque serenum
Occidat. ipsa suum præsenti in funere funus,
Ipsa suos languens cineres, populique cadaver
Bajulat, & charos inclamat pallida manes.
Largius afflictis destillant Montibus *undæ,*
Rorantesque natant udis in vallibus imbres,
Dum regni subsidit honos, & debita cœlo
Progenies, gentisque suæ delecta voluptas,
Et communis amor moritur. quàm lentior exit
Rhenus, & abstruso sua flumina colligit alveo,
Vt possit plorare magis. non accola Mosa,
Quemque rigat medias diffindens Nursia terras,
Temperet à lachrymis. extinctam longius Albis
Magdalin *ingeminat, funestaque fama Visurgim*
Personat, & mœstos cognato sanguine Bojos.
Ipsa Palatinas conturbant nuncia sedes,
Insertasque plagas titulis. illustrior Ister,
Austriaco victore, dolet, miscetque triumphis
Hos luctus gemitusque suis. quocunque vagata est
Principis egregiæ virtus, percelluit urbes,
Teutonicosque Duces, bullataque nomina septem,
Semideosque patres tanti fortuna sepulchri.
Secula magnanimas celebrant antiqua maritas,
Et vario laudis precium præcone meretur
Femineæ probitatis opus. sic casta perennat
Emeritæ repetens mulier vestigia telæ,
Ignavos exosa procos. Priamëia Phœbas

Vivit adhuc, miseraque canens præsagia Trojæ,
Andino sub vate tumet. Lavinia conjux,
Hectoris Andromache, Latiis movet ora Camœnis,
Et tragicos implet Superûm donata furori
Iphigenia modos. nec tu, sine teste, superstes
Clælia victrices tranas audacior undas.
Porcia magnanimo potuit placuisse Catoni,
Iulia Pompeio. magno Stilicone Serena
Tollitur, & Phario surgit laudata poëta.
At tu, quam canimus, tantis quoque matribus adde
Posteritas. VVolfgange, suis fulgentior omne
Anteit honoratis conjux tua moribus ævum.
Prisca velim leviora putes, vel ficta vel aucta
Vatibus. illa suum transcendit splendida sexum
Stemmate, stemma animis, animos virtutibus, illas
Antevenit pietatis honos. ô maxima rerum
Gloria, sic privata domi, sic claruit orbi.
Nobilitas cui prima fuit, cui stirpis origo
A Bavaris defluxit avis, contemnere fastum
Natalesque suos potuit, voluitque moneri,
Nil titulis, nisi fluxa, dari; proavosque genusque
Ad laudem non esse satis. cui nobile corpus
Texerunt Tyrio saturata murice vestes,
Credidit exuvias, perituraque tegmina ferri,
In mortis documenta sua. quæ limina pressit,
Augustasque domos, Pariisque exstructa columnis
Tecta Ducum, æterno felices numine sedes
Prædidicit, votisque ipsum prævenit Olympum.
Quas fluxas possedit opes, commune putavit
Cum populo miserisque bonum: quas contulit æther
Divitias, nullo vesana superbia luxu
Perdidit. has ipsâ cum majestate tremiscens
Paupertas partita fuit. dum jura ministrat
Civibus, his obedit: mandataque fortius urget,
Dum cunctis probitate prait. non triste loquenti
Eloquium, sed mite fuit, majorque potestas

Officio vult esse minor. reverentia verbis
Mixta fuit, comisque lepor; prudentia, qualem
Vel possent sperasse viri; clementia qualis
Æquat sceptra Deis: non gratia ficta, sed usque
Nativo splendore nitens. damnaverat atram
Invidiam probitas, lenisque modestia fastum.
Trusit avaritiam scelerataque nomina fervens
Relligionis amor. lascivos Cypridis ignes
Edomuit cœli studium. sic aula ducesque
Exemplo potuere regi, mulierque mariti
Perfecit mandata prior. Nec sola regentem
Evexit ratio, & generosi cultus honesti:
Ipsa favens thalamis fecit Lucina parentem,
Indulsitque Ducem populo. qui fascibus hæres
Succedat, trabeasque puer, terrasque capessat,
Nascitur, & tenero fulta est spes tota Philippo.
Hic anceps natura stetit, matrémve patrémve
Redderet ingenio soboles; litemque diremit
Cœlestûm favor, atque uno genitoris imago
Pectore & excelsæ viguit præstantia matris.
Illa virescentis moderatrix docta juventæ
Conjunxit patriis maternas vocibus artes.
Nec molles transire dies, aut tempora luxu
Passa fuit. quanto fatis sublimior ibat,
Acrius instabat monitis. quàm lubrica regnis
Sceptra, sagax docuit: quali discrimine surgant,
Quàm facili mox sorte ruant: quam præstet amari,
Quam pravos terrere metu: quam parcere victis
Eximium: quàm sit diris securior armis
Aurea pax, quàm sit turpis rectoribus orbis
Vilis adulator: prosint admissa bonorum
Consilia, & Procerum voces, & verba monentûm.
Iam proavûm laudes puero, & celebrata parentis
Imperia instillans generosos suscitat ignes
Provida. prudentes miscet sermone Sibyllas,
Guilielmosque duces, & regum fœdera narrat,

Austria-

Austriacæque domus thalamos. hæc omnia mater,
Hæc dixit veneranda parens. sic navita nato
Oceani fluctus, tumidique pericula ponti
Monstrat, & ut fragilem posit subducere puppim
Syrtibus, aut Helicen, fixamque intendat in Arcton
Nocturnos sapiens oculos. Nec conjugis illa
Obsequio vel laude minor. pars digna cubilis
Imperio nunquam, semper certavit amando.
Sit sua Penelope priscis; dilexerit uxor
Alcestis moritura virum; testetur amores
Laodameia suos: Bavaris amplexibus hæsit
Illibata fides, & casti plena pudoris
Femina dissolvit solo cum funere pactum.
Num Superos & fata querar? tantumque reposcam
In vivis superesse caput? proh, irrita fundit
Verba miser, quisquis fatales increpat horas
Nescius, & precibus credat Plutona moveri.
Non moritur, quam vita probat, quam clarus in orbe
Virtutum commendat amor, cui nobile nomen,
Et longæva dabit vivacem gloria famam.
Hanc memores celebrare nurus, hanc dicere pergent
Post obitum egregiæ matres, grandesque maritæ.
Hæ dominam, hæ matrem flebunt, & dulce suorum
Delicium. flebunt pueri, innuptæque puellæ.
Cunctorum dolor unus erit. Cum Luna laborat,
Oppositumque sibi fatali tramite Solem
Adspicit, & pulchri pereunt caligine vultus,
Horret tanta sui tellus dispendia mundi,
Ereptamque facem. defuncta Principe Phœben
Non ultra gens mœsta suam, non grata tuetur
Lumina, magnificumque jubar, licet altera Phœbi
Reflet adhuc mundo facies, civesque serenus
VVolfangi collustret apex. Iam rura colonus
Negligit, & pigro lachrymas adspergit aratro,
Autumnumque gravem queritur. delubra, sacerdos,
Curia, & afflicti trepidant formidine cives.

Harem

Hærent verba seni, sentit sua damna juventus,
Nobilitas, Equitesque, & duri militis ora
Mansuescunt, proptore rogo. Tu maxime Rector
Iuliaci, *qui stemma tuum regalibus unis*
Conjugiis, Bavarumque, & clarum stirpe Sicambrum,
Cæsareumque genus thalamis adjungis avitis,
Funereos inter gemitus, pressósque dolores,
Accipe Battavici, Princeps, solatia vatis,
Quasque prior docto volvisti in pectore voces,
Et nosti, repetentem audi: qui regna tueris;
Humanis majora malis & turbine fati
Corda geris: qui jura tuis legesque ministras,
Cœlicolûm decreta paves: qui gaudia versas
Consorti sperata tua, suspiria damnas;
Totque ferens populis rector mandata, vicissim
Accipis à Superis. cum chari viva Philippi
Ora vides, dignumque isto moderamine pignus:
Hunc, tanta pro matre, vides: partemque parentis,
Hæredem virtutis habes. Tuque, optime Fili,
Desine dilectos votis arcessere manes,
Et cineres plorare pios. miserescere fatis,
Et lugere, tuum est: verum frenare dolorem,
Officium scis esse Ducis. qui sceptra capessis,
Hæc etiam peritura capis. mors æqua tabernas
Regalesque quatit turres. Tu magna tuorum
Factaque fortunasque, & grandia nomina disce.
Consiliisque virum, teneros virtutibus annos,
Et cura præverte senes. hæc audiat absens
Magdalis, *& nostris subscribant numina votis.*

AD-

ADLOCVTIO

Ad Sereniss. Rempublicam VENETAM, cum pro ejus Libertate, adversus SCRVTINII cujusdam auctorem, gravissimè disseruisset Vir Clarissimus, THEODORVS GRASVVINCKEL, in Batavorum Curia Advocatus.

Majestas Venetûm, venerandi filia secli,
Et series Augusta Patrum, quos vindicat ensis,
Iusque datum sceptro, totque inconcussa per annos
Imperii facies & formidabile terris
Nomen & aetherei regnatrix purpura Marci.
Ad laudes assurge tuas; & suspice, quanto
Acta gradu vestri se lux altissima fati
Ostentet latè populis; nec jam Adria fama
Sufficiat, non littus atrox, quod Dalmata saevus
Calcat, & Herculei bellatrix spuma Tarenti.
Hic tibi devictas sublimis dividit Alpes
Rhaetia, & aëriis victricia signa tuorum
Prospectat vicina jugis; ac fulmina Divûm
Nimbosumque Iovem, & quicquid trux parturit aether,
Permiscet titulis. illic dispersa Timavus
Ora vomit fluctusque tuis compescit habenis,
Illyricosque sinus & duri regna Liburni
Ponè trahit. calamis alibi tibi lene susurrat
Mincius, & terrae circum dominantis honori
Assurgit supplex Athesis, sedesque beatas
Eridanus Phaethontais complectitur undis,
Agnoscitque Ducem. quod restat, in aequore, nullo
Fine, tenes; perque Ionii spatia ampla profundi
Sceptra procul fascesque natant. Tu maxima pulsos
Fovisti, Regina, Deos. tibi condidit aras
Diva Venus, Venerisque domus pulcherrima Cyprus,

Quaque Rhodos toto ditata est insula Phœbo.
Relliquiæ Danaûm, Teucrûmque ab origine gentes,
Quàm priscis fluxistis avis, quàm proxima tangit
Laomedontæas majorum gloria terras,
Dardanidumque domos, profugoque Antenore quondam
Euganeos inter fremuerunt Troica colles
Classica & his ipsis Priamum flevistis in oris.
Non jam concusso furiis immanibus orbi
Incubat Arctoæ furor implacabilis aulæ,
Ausoniasque ingens grassans Alaricus in urbes
Cogit inoffensæ ripas habitare Padusæ;
Aut ferus avulsis adigit considere stagnis
Attila, & Eois adjutus viribus Hunnus.
Non jam Phryxææ dominator barbarus Helles
Vastat opes, pavidique focos subvertit Iüli,
Thessalicasque ciet Dravo pugnante phalanges.
Nec bellatrices Ligur imperterritus armat
Neptuno indignante rates, classesque minaces
Fabricat & victor Tyrrhenum navigat æquor.
Vicistis virtute metum. secura potestas
Indomito Mavorte stetit. nunc dextera pugnans
Addidit imperio robur; nunc subdidit hostem
Imperiosa quies, & quicquid defuit armis
Consilio pacique datum. vis effera cessit
Federibus; bellique minas prudentia fregit,
Sollicitusque timor. risit solertia regum
Invidiam, regnumque sibi constantia fecit.
Tuque adeò toties aquilis adverse superbis
Magne Leo, centumque ferox innexe triumphis,
Adspice surgentem mediis è fluctibus urbem,
Et circum te stare Deos; Tethynque trucemque
Nerea tot superûm toto delubra tueri
Æquore, & objectas pelago secludere terras.
Iam minus Iliaca Neptunia mœnia Troia
Esse puta, celsamque Tyrum, Antissamque Pharumque
Massylûmque lares, stantesque in littore Athenas.

Hic

Hic maris, hic tumidi domus est Tritonis & ingens
Regia Naïadum. tutæ sine mœnibus arces,
Natura famulante, jacent. sunt pontus & undæ
Præsidium, vallosque facit circumfluus æther.
Ne mihi nascentis magna incrementa Quirini
Objice Roma potens, vastumque effusa per orbem
Sceptra, vel extremo metuendum nomen Araxi.
Exiit è stagnis Venetus, nec sedibus arctis
Concludi potuit Divûm genus. ille Patavi
Veronaque duces, desolatamque Cremonam,
Bergomaque & placidis adiit te, Brixia, bellis,
Et Melam bibit, & qui lapsus rupibus altis
Addua divisas spumosior incitat undas.
Successit Corcyra, Paros, Naxosque Melosque,
Andros, & immiti quæ tunditur Amphitrite
Gallipolis, duraque Tenos cum Chalcide victa est.
Hinc debellata præstans Methona Corone
Paruit & frustrà toties Iadera rebellis.
Magnanimam sileat Grajorum pagina Spartam,
Mœniaque intrepidis olim fundata Lycurgi
Iussibus, & rigidi monitis subnixa Zaleuci.
Vos Patres, justi rigor, inflexusque severi
Asserit obsequii tenor, atque immobilis almæ
Majestatis apex, & legum nescia frangi
Vincula & æterna constans sibi voce tribunal.
Qualia in instabili jactantur carbasa ponto,
Et modò crudeli debent ludibria Coro,
Nunc dubium pelago obvertunt latus. horrida quando
Tempestas stabilem abscondit sub nubibus Arcton,
Stellarumque vagi fulgent errantibus ignes:
Haud aliter, cum nulla Duces civesque coërcet,
Quam validi nequeant ævi rescindere mores,
Ferrea vox, nutat pariter cum principe regni
Culmen, adorandum populis, mutatque secures
Lubrica Lex, plebisque vagis cum legibus omne
Fluctuat officium, nec stat reverentia jussis.

Cenomani fortes, & non ignobile germen
Euganei Veteres, quorum bissena nepotes
Secla trahunt, proavûmque stupet miracula felix
Posteritas, vestris faciles applaudite cœptis.
Simplicitas & gentis amor, jurataque cælo
Cana fides, nulloque minor discrimine virtus
Invenere viam decori. parvoque potentes
Illustres animæ, fastusque ignara superbi
Pectora secreti formam servastis honesti.
Non cippos statuasque aut sculptos marmore vultus,
Aut urbes libuit mundo ostentare subactas,
Non turgent stupido victorum nomina saxo,
Nec picturatis scribuntur gesta colossis.
Non hîc præ cunctis bellax Trajane refulges
Porticibus. non rostra Titi, non compita complent
Pompei labor, & laudati castra Severi.
Ipsa sibi precium probitas & nescia luxus
Vita fuit spretisque bonæ fulgoribus artes.
Quin potius lituos inter gladiosque tubasque
Ingeniis monstrastis iter, profugæque Camœnæ
Thymbræusque pater tot præluxere trophæis.
Hinc ad vestra procul concurrunt fœdera gentes,
Et Genuæ bellare timet. Vos Thuscus & acer
Appulus & qui rura colit populosa Ravennas
Horret, & illa suis plus tuta Ancona procellis.
Pannonius Cæsarque silent. compescuit iras
Rex Siculus Thracesque feri placantur amando.
Nos, quibus Auriacis Hispana potentia bellis
Atteritur, geminosque volant jam signa per axes,
Annuimus, Dux magne, tibi; venerandaque Patrum
Prosequimur sociis longe subsellia votis,
Et trans nubiferas Alpes, vallesque lacusque
Accinit Adriacis vatum fiducia sceptris.
Sic vires crevere domi. terraque marique
Extulit intrepidos Libertas publica vultus
Suffecitque sibi. & soli debere Tonanti.

Dum

Dum cupit, ignorat dominos. Qui roderet unus
Livor erat, tanti levis adlatrator honoris.
Nunc Batavo debete Duces, dum jura togasque
Propugnat clari locuples facundia Belgæ.
Scilicet illa reis ac nostris inclyta rostris
Pro vobis vult lingua loqui, calamoque tuetur
Majorum trabeas, veterisque insignia regni.
Munit verba Themis, priscisque annalibus avi
Innumeras Astræa vices abavûmque labores
Expedit, & quantis steterit Respublica curis
Mnemosyne grandæva aperit. quæcunque vetustas
Abdidit & cæcis latuerunt clausa tenebris,
Fataque fortunasque virum solertia pandit,
Nec temerata fides. nil jam sibi vendicet Hunni
Barbaries Gothicusque furor. Romana residant
Imperia imbellesque aquilæ. Tyberimque repellat
Adria & Austriacis fultum rectoribus Istrum.
At Tu, summe virûm, cujus tot rapta per artes
Ignea vis animi, quicquid nescire profanum,
Mente tenet, lectumque semel lætissima reddit,
Qui loqueris, qua voce cupis; causasque clientum
Victor agis; primæ suffragia splendida famæ
Collige, & illustris Vindex generose Senatus
Perge patrocinium regum donare tiaris.
Scrutari si Livor amat, si vellicat ostrum
Improbitas, summique quatit fastigia juris,
Expediet risisse Patres, dumque invida gliscit
Ambitio magnæque audet natalibus urbis
Obgannire malus, pro Libertate focisque
Districtum Veneto posthac scrutetur in ensem.

CARMEN EVCHARISTICVM,
Ad illustrissimum Heroem, & Dominum,
D. VVILHELMVM HERBERTVM,
Comitem Penbrochiæ, Supremum Serenissimi Magnæ Britanniæ Regis Dapiferum.

QVæ nova Romulidûm maneant præconia currus,
Quantus honos surgat Ducibus, cum vincta catenis
Gallia, cum domito luxit Germania Rheno,
Et vinci potuit Marcello Consule Pœnus
Hannibal, & centum decreta est laurea bellis,
Ostendit terris Latium. vexere superbæ
Pompejum Mariumque rotæ, fremituque secundo
Excepere suos olim Capitolia Paulos,
Scipiadasque duos. illis post classica Mavors
Tempora murali fertur vinxisse coronâ;
Serta triumphantes aliis, plaudente Senatu,
Cinxerunt rostrata rates: huic quercus honores,
Illi vile tulit gramen, fragransque capillis
Myrtus, & in levibus fulsit victoria ramis.
Nec palmæ fuit amplus honos, quæsitaque Græcis
Gloria, cum rapidis tremeret sub curribus Elis,
Argolicosque duces tenui vestiret olivâ.
At, quæ Palladiam maneant insignia gentem:
Quos studiis fortuna deos, quæ sceptra Camœnis
Conciliet, quali radiet Barlæus in auro,
Exemplum tibi Belga sumus. docuere Britanni,
Qui vates scribant precio, donumque tiaræ,
Per mea fulgentes ludunt jam colla catenæ.
Ecce renascentes regum clementia Musas
Erigit, & multo rector sublimis in ostro
Ad sua signa jubet spretas revirescere lauros,
Claraque Pegaseis donat suffragia curis.

Nam

Nam velut adversos animosior exit in hostes
Miles, & excusso Martem terrore lacessit,
Cum vexilla levant, mediisque volantia campis
Tollunt signa duces, &, celsa sede, laborum
Præmia pugnantum Princeps antè ora locavit:
Haud aliter Clariæ sublimis signifer aulæ
Auget spes vatum Carolus; *quin vindice tanto*
Manant Castaliæ rivis majoribus undæ,
Antraque Pieridum, Parnasseique recessus
Largius audaci fundunt modulamina cantu,
Et Cirrham novus horror agit, potioraque terris
Thymbræus responsa parat; felicius omen
Concipiunt, bifidaque sonant oracula rupes.
Non alium certè sibi docta cacumina poscant
Esse Deum, nulloque magis se principe Phœbus
Æstimat, aut summa stringit fastigia laudis.
Et jam Trajanos iterum, jam vivere credo
Augustos: atavisque etiam mihi regibus ortus
Mæcenas decus esse cupit, tenerique poëtæ
Præsidium diadema favet. dant munera reges,
Et veneranda meos solatur purpura cantus.
Vos, quibus immenso turgent æraria censu,
Discite terrarum domini, quo rectius usu
Majestas splendescat opum, coctumque sub ipsis
Montibus emineat vatum sub frontibus aurum.
Tu, quæ Pyramidum celebras miracula Memphis,
Ecquid opus regale putas, supposita tueri
Marmora sideribus? summoque è vertice latè
Splendentem de nocte Pharon? quod perdita luxu
Inchoet infames meretrix Ægyptia cœnas?
Solaque Romanum potuit vicisse maritum
Ambitio scelerata gulæ? cur splendida Cares
Busta parant? cineresque etiam se fastus in ipsos
Explicat? aut centum surgunt Cadmeïa portis
Mœnia? cur totis donantur fercula castris?
Insanas vorat Isthmus opes? aut Thaide in una

Frangit Cecropios obſcena pecunia mores;
Dignior ingenuis merces exſurgit, & omne
Praſtringit laus iſta decus, quæ debita Phœbo
Aonias recreat titulis illuſtribus artes,
Et clauſos aperit fontes, atque obice rupto
Bellerephontæos diffundit latius amnes.
Dent ſua Luculli, doctis dent ſplendida grandes
Dona Titi, Tulliique levet diſpendia dives
Atticus, antiquas redimant ſeſtertia ſcenas,
Contiguo recubet Calabrûm cum vate ſepulchro
Ingentis domitor Pœni: placuiſſe Nepoti
Carmina laſcivo poſſint cantata Catullo.
Me Tameſi placuiſſe juvat; me clarius oſtrum
Ditat, & auguſto Carolus *circumdedit auro,*
Terrarumque illuſtrat apex. Quæ gloria major,
Quam regalis erit? non me privata bearunt
Limina, plebeique lares, ſed rector Ierna,
Albionis pater, & bellacis terror Iberi,
Qui Scoto dat frena truci, juſſiſque coercet
Orcades, & fronti lauros prætendit avitas.
Quid memorare tuis generoſa Britannia terris
Eximium vox noſtra queat? lavat India feſſos
Solis equos; at feſſa tuis reſpirat in undis
Calliope, triſtemque fovent tua numina Phœbum.
Hic regnat, quem Cirrha colit, qui ſceptra Camœnis
Porrigit, & magno vatum permiſcet amorem
Imperio, partemque ſui putat eſſe laboris,
Tot coluiſſe Deas, gentiſque attexit honori
Pegaſei decora ampla chori. dat Cantaber enſes,
Purpureaſque Tyrus lanas, & ſerica texit
Stamina Sidonius, fecunda meſſe ſuperbit
Gallia, candenti captat de marmore laudem
Dalmata: ſed ſolus vectigal grande poëta
Solvit, & hac noſter clareſcet laude Britannus.
Hoc donante ferunt Phocæa per arva fluentes
Caſtalios tumuiſſe lacus; Helicona per ipſum

Arriſit

Arrisit mihi docta cohors, & prospera cœpit
Fortunæ sperare meæ. mox murmure grato
Cum Tenedo Claros, & magno circumflua ponto
Personuit latè Delos, Pataræque faventes
Senserunt delubra deos, & Cynthus, & ipsa
Soractis veneranda domus; quin conscia rerum
Candida Grynæâ fluxerunt gaudia sylvâ.
Non jam desertas labiis arentibus artes
Invoco, non laceris ultrà sapientia pannis
Spernitur, aut solus mercator fœnus in undis
Colligit, aut victor repetit post prælia miles
Præmia. Nos rutilæ, regaliaserta, coronæ
Irradiant, ditique graves præcingimur Indo.
Rumpe omnes, mea Musa, moras, tortisque decora
Torquibus, eximiam Tamesis te confer ad urbem,
Et sceptris mea verba refer; Clarissime regum,
Progenies augusta Deûm, pro munere tanto
Vota tibi, vatemque damus. qui pignus honoris
Transmittis regale tui, cape pignus amoris,
Non illud regale, mei. quem scribere versus
Augurio meliore doces, se nuncupat ipsum
Obsequio, Rex magne, Tibi; totumque poëtam
Mancipat, & Pimplam pariter Cirrheaque sceptris
Subdit sceptra tuis. quod si Semeleïus Evan
Vivit adhuc expers obitus: si flamma Promethei
Sufficit ad famæ precium: si vilis olivæ
Inventrix fluxi nescit dispendia secli,
Quique Pelethronii gyros & frena dedere,
Et qui lina dedit Pharius; donavit aristam
Triptolemus, fulgetque ipsis rex pauper in astris,
Et te perpetuis inscribent carmina fastis,
Istaque Gnosiacam juxtà tua dona coronam;
Et Caroli *splendescet honos. nec dignius ullum*
Sidus erit. Phryxæa tuis concedere cogam
Vellera muneribus. tum quà se lacteus orbis
Explicat, hic circo torquis radiabit in albo.

At tu Pieridum decus, & jam proxima Regis
Cura tui, veterum titulis illustris avorum,
Grande poëtarum columen: Penbrochia cujus
Imperiis placidisque libens adsuescit habenis:
Accipe, sed facilis, Batavi responsa poëta,
Et grates, quas Belga fero. palatia per te
Ingressus Tamesina fui; conscendimus aulam,
Et triplicis regni Dominum, terraque, marisque,
Voce salutavi, ac primos gratata triumphos
Calliope pudibunda fuit. mea carmina per te
Regali sunt tacta manu, chartisque benignum
Illuxit diadema meis. O candide rerum
Arbiter, externa tollent tua nomina gentes,
Anglia nec totum capiet. Te dividis illi,
Battaviaque mea, pariterque excellis in illa;
Hic prodesse cupis. Sic summis amula divis
Vita tua est, moresque suos transcribit Olympus.
Magne Heros, non aurato tibi victima cornu
Caditur, aut humiles adolent tibi thura penates.
Farra damus, pauperque tuis donaria libo
Intemerata focis. delectant casta Tonantem,
Parva licet; vilique etiam placantur in hado
Numina. Threicium non me prope Strymona pugnas
Mars docuit, mammasque truces admovit Amazon.
Nec mihi, quos geminis nectit Cyllenius hydris,
Mercantum patuere doli. nec conscia fraudum
Sordida degenerem lassat solertia mentem.
Insons vita mihi est, sunt soli dedita Phœbo
Pectora. quasque suis Tamesis permisceat undis,
Castalias haurimus aquas. dare munera possum,
Sed rude carmen erunt. Tu nostris annue cœptis,
Et timida da vela rati. Tu calcar eunti
Subde, Camœnarum genitor, residesque sorores
Erige, tu cani prabe virtutibus avi
Materiam. dicant seri post fata nepotes,
Inclyta Barlaas fovit Penbrochia Musas.

BRI-

BRISACVM CAPTA,

Sive PANEGYRIS dicta Sereniſſimo, Invictiſſimoque Principi, BERNHARDO, Saxoniæ, Iuliæ, Cliviæ & Montium Duci, Turingiæ Lantgravio, Marchioni Miſniæ, &c. Exercituum Federatorum Regum & Principum in Germania ſummo Præfecto.

SCAZON.

INvicte Princeps, *Martiæ poteſtatis*
Sublime nomen, grande Teutonum ſeptum,
Et æſtuantis fulmen acre Bellonæ,
Qui glorioſæ ſtirpis editum culmen
Tranſcendis armis, verticique majorum
Raptos honores lauriger redintegras,
Vltorque priſco Cæſari exprobras culpam;
Vindex ſalutis publicæ, laborantis
Patriæ Camille, gentis Auſtriæ terror,
Bellacis Iſtri Martiale tormentum,
Aquilæque per Te jam domabilis clades;
Dum tot triumphos, tot trophæa, tot lauros
Vnus mereris, & ſecunda Germanis
Fortuna læta claſſicum intonat famæ:
Exurge victor, & decus paludatum
Extende factis: ſeculique, quo pugnas,
Vincis, triumphas, creſce laudibus miles.
Galeamque cœlo, quemque dextra pugnacem
Coruſcat enſem, civibus tuis dona.
Scutum tyrannis, baltheumque perverſæ
Oppone cauſæ. cuſpides ſariſſarum,
Haſtaſque pro ſe vibret ægra Libertas,
Et profuiſſe credat arma Bernhardi.
Quæ nunc cruentæ gloriæ ſitiſtores,

Fractæque partes hostium reformidant.
Per Te feroces horridaque cervices
Dominique nutant Alpium tremendarum,
Rhenusque se submittit ad pedes vestros,
Largo cruore audacis urbis imbutus,
Suosque fontes cedit Imperatori.
Invicta postquam celsa Brisaci rupes,
Magno reclusit fessa Saxoni portas,
Et sceptra sensit mitiora Burgundus,
Queis servitutis nomen exulat durum,
Heduusque atrocis jussa spernit Hispani.
Dux celse, seu jam castra lege disponis,
Equitumque turmas ordinas cataphractus,
Seu concitato solvis obvias cursu
Bellator alas, impigerque pernoxque
Astu phalanges occupas; vel adversas
Perrumpis arces, fulminasque per Bojos,
Et Sequanorum regna, per Salæ campos,
Ripasque Nicri; sive pacis infidæ
Voces repellis, fraudibusque districtos
Opponis enses; vel serenior mentem
Per prisca regum facta, per Ducum fastos,
Et fata raptas; gratulantis applausus
Belgî, tuisque vota prælis misce
Procul faventis Amstelæ, & stupescentum,
Toties fugatis hostibus, poëtarum.
Nefas Deorum postibusque templisque
Trophæa figi, laureasque suspendi,
Sine teste rerum. prima Principum cura est,
Debere mundo; sed secunda narranti
Placuisse seclo, posterisque victorum
Ebuccinari bella, adoreas, palmas.
Tibi nascituro regna, sceptra, fortunas
Iuravit æther, cœlitûmque mandato
Lucina Martis robur indidit cunis,
Interritumque pectus & spei plenum

Afflavit

Afflavit illis. stabat ad latus dextrum
Pueroque tetricam Pallas ægida ostendit.
Stabat sinistro torvus ora Gradivus,
Gladios futuræ destinans juventuti.
Lunabat arcus tunc Diana sublustris,
Tenerisque membris acre numen infudit.
Et quæ sereni nubilique Rhamnusis
Mater vocatur, dum salutat infantem,
Pro more vultus inquieta mutabat,
Præsaga sortis asperæque blandæque,
Et nunc remissæ, nunc tibi resurgentis.
Tunc Albis & Mosella sospitatorem,
Tunc Viadrè, tuque Mœne liberatorem
Præsentiebas. tunc pater Moguntinus,
Trevirûmque pastor & Coloniæ mystes,
Et præpotentum purpuræ Bohamorum,
Electa Othoni nomina & patres magni,
Timuere longè. solus in Palatinum
Favor reflexus, suggerentibus Parcis
Ventura serò, condolebat extorri,
Profugæque fato stirpis ingemiscebat.
At virginali induta veste florentis
Germaniæ *virago, basium fixit,*
Suoque lucem gratulata tum Bruto est,
Illæsa quamvis. quin Ratisbona excellens
Futura sub Te bella deprecabatur,
Suumque supplex tradidit Tibi civem.
Vienna tremuit, Pæonumque rectores,
Latiique Princeps. Lipsiæque per terras
Ivisse fertur bellicosa tempestas,
Trepidasse Francus, Oderæque potator,
Et stirpe regum nobilis Lotharingus,
Et Arduennæ cultor invius silvæ,
Et qui rigentis Abnobæ latet saxis.
Mox Cirrha juveni, Phocis & Claros Phœbi,
Libethridumque templa se tibi pandunt,

Gaudentque alumno tecta literatorum.
Patuere docta porticus Athenarum,
Patuere Tyberis fulgura & triumphantis
Romæ labores, & perita regnandi
Prætexta sapuit, imbibitque præcepta
Lascivienti cogitanda fortunæ.
Tum sævus Assur, sors superba Chaldæi,
Et sæpè victus Persa cessit exemplo.
Ninos legebas, Arsacesque Cyrosque,
Seleucidas, Parthosque & arma Lydorum,
Gentes subactas gentibus. Philipporum
Fraudes dolosque, pervios Duci montes,
Animumque Pyrrhi, principesque Thebarum,
Trucesque rixas sævientium fratrum,
Mandata Spartæ præliantis, & Codros,
Brennumque Cambysenque, Perseos, Turnos,
Artes Iugurthæ, Scipionis in Pœnum
Transmissa ponto castra, Scævolæ dextram,
Pugnas Sicinnî, gloriamque Pompei &
Frontem Catonis, impetusque Marcelli:
Hinc odia Marii & execrabiles sceptris
Syllæ tabellas. Vndecunque, quod pulchrum,
Tuum putabas. quæ nefasta, pungebas
Virtutis œstro. quod nocens, malum, turpe,
Injuriosum, ingloriumque regnanti,
Cautus notabas. quæ probata virtuti,
Tecum probabas. scæva seculi prudens,
Et falsitatum inexpiabiles formas,
Scelerique toties criminique jus dictum,
Livoris, insolentiaque, fastusque
Invisa verba mens serena damnabat.
Non impudica Cypris obsecundabat
Ad alta eunti. non facis Dionea,
Inter catervas semiseminatorum,
Præluxit astrum moribus, vel ignava
Vacuna lumen ingenî obtenebravit.

Non

Non discoquebat acrior calor Bacchi,
Heroicaque sensa mentis evertit.
Amans honesti, temperantiæ custos,
Severitatis & pudoris ac recti
Constans satelles, stirpe fultus illustri,
Proavûmque famâ, norma lexque vixisti;
Aulisque placidum quicquid & verecundum,
Insigne, pulchrum, masculumque monstrasti.
Vitaque primis, sic senex, rudimentis,
Quæcunque profutura corde spirabas,
Et æmulanda jugiter procurabas.
Parere Superis, Numinique Te subdi,
Terrasque & arma, sæpius fatebaris.
Cœlo probari, civibusque prodesse,
Frenare fisci jura, parcere afflictis,
Placidisque pœnam sontibus remisisse,
Vim mitigasse tetrici tribunalis,
Ne diritate supplicî fatigetur,
Atram abstulisse ab innocentibus mortem,
Duces volebas. Sorte pluribus major,
Minor esse amabas, & potentiæ voces
Titulosque leni humanitate frangebas,
Cupiens amari, respuens adorari.
Semper benignus, comis & tenax justi,
Tumultuantum turbines Tribunorum,
Travisque quotquot factionibus turgent,
Livi furentis studia & Appii motus,
Et insolentum spes facesque Gracchorum
Vir improbabas, perduellium spretor,
Populique rebus incubantis offensæ.
Cohibitor iræ fulminantis incassum,
Ebullientem spiritum procellasque
Animi domabas, victor & tui rector.
Peragit potestas blanda, quod nequit cruda, &
Violenta. summos proximo gradu Divos
Tranquilla tangit leniorque majestas.

Plenos

Plenos inanitate, turgidos cristâ,
Scyllas, Charybdes urbiumque tot Verres
Perhorruisti, & qui nefariis sceptra
Linguis flagellant, temulentiam vani
Honoris & socordiæ reformidans.
Sic maximarum cultor usque virtutum
Ordiris avum, sanguinisque majorum
Celebre nomen consecras honestati.
Succedis illis stirpe, moribus, fama,
Laudesque avitas æmulator illustras.
Nec vis ab illis sanctitate differre,
Aut esse dispar, par honoribus, recto.
Sic arma tractas, ut Deo sacramentum
Dixisse, lex sit summa. Patriæ totum
Vovisse Martem bellicosque conatus
Postrema. discis illud & doces ductor:
Quæsita bella, non coacta, damnari.
Necessitate militas. pia ferrum
Præ pace condis. te tueris & civem.
Vim vi repellis. pro salute, pro sacris
Vexilla tollis. ista causa bellorum est,
Non inquieti fervor improbus lucri,
Aut ira præceps. præliis modum figis,
Jubesque sæpè calida castra cunctari,
Et stare turmas. concuti caves ictu
Suprema rerum. scis timore peccari,
Securitate crebrius. per obscuras
Graderis tenebras, militemque custodem
Custode munis. fortitudinis suasor
Prais cohorti; quæque confici mandas,
Bellator audes. ipse dextera promptus
Invadis hostem, fulgidumque, sed præsens,
Distringis ensem. jam pedestre certamen,
Iam dux equestre præligis. lates sylvis,
Nunc per patentes altior ruis colles.
Cum res locusque postulat, dolo pugnas,

Vel

Vel Marte aperto. militaris assertor
Et disciplinæ & juris efferos punis,
Segnesque in hostem. si ferox sinistrorsum
Bellona vergat, optimas foves partes,
Causaque inhæres, turbinesque fortunæ
Ratione flectis. si proterva victori
Adblandiatur, insolentiam sortis
Pateris modestè, nec superbus insurgis.
Domesticorum signa militum præfers,
Nec exterorum spernis. illa tutela,
Hæc apta famæ. militem asperum molli,
Durum procaci, liberumque servili,
Vrbano agrestem, sordidoque succinctum,
Habilemque pluris pendis. æra, pugnantum
Stimulos facesque, colligis. negas dignæ
Mortis capaces esse, quotquot exhaustis
Loculis inerrant. nec, famentibus castris,
Stomachos fatigas indigentia frugis,
Iejuniisque expectoras fatiscentes.
Frugalitatis, parsimoniæ cultor,
Non temulentis farra digeri buccis,
Perfers; focosque prodigos tabernarum, &
Ligurientes cellulas popinonum.
Hos præmiis lacessis, hos minis terres,
Raptoribusque infestior manus puras
Vis esse Marti, nec nocere pacatis.
Non bruma, non Te Caciæ procellosi,
Nivesque tardant, non iniqua terrarum,
Rigidæque rupes montiumque prærupta,
Non fluminum profunda. quæque tempestas
Annique vultus quilibet tuis signis
Exercet hostem, nec quiescit hybernis.
Te Trava, Suevus, te Chalousus armatum
Vexere, & udis copiæ Lichi ripis
Et Neccaro stetere. Mœnus & laxo
Visurgis alveo, & Albis & tumens Oenus

Et Luppiæ fluenta sub tuis armis
Strepuere pressa. plausit Hercyni saltus,
Semanaque lucus & nemus Turingorum
Gabreta, & umbris Martiana caligans
Sonuere lituis. celsius Abnoba vertex,
Et Taunus, & Meliboci cavæ valles
Et militantis conscii Ducis circum
Fremuere colles. Vandalusque Quadusque
Et Marcomannus, & Cheruscus & Catthus,
Hermunduri, Sedusii atque Narisci,
Et Norici favere ad alta tendenti,
Suisque supplex mœnibus fuit Francus.
Tunc magna tellus, mater Allemannorum,
Grandæva genitrix Teutonis, labor Romæ,
Peculium prælustris Ariovisti,
Hospes vetusta se tuentis Armini,
Vari sepulchrum, gentiumque tot nutrix,
Distracta crines, squallido rigens vultu,
Tot urbium, tot fœda civium clade,
Mœrens dolensque litis improbæ partes,
Cruenta fata Principum & Ducum incusans,
Iam Ferdinandis victa, jam Palatinis,
Incerta, cui se scissa debeat totam,
Ignara, cui se fracta dedat integram;
Hæc dixit Orbi, VVimarumque Ductorem
Sic allocuta fertur: O Iovis semen,
Magnanime Princeps, debitum genus cœlo,
Tutela Patriæ, spes labantium rerum:
Vbi meorum est lux vetusta sceptrorum?
Vbi tuorum vis decusque regnorum?
Et pristino splendore clara majestas?
Nuperque magni gloria meæ fasces?
Vbi Teutonum propago, &, heu, tui cives,
Germana pubes, flos patentis Europæ,
Informis obsoleta sordibus luctus?
Tot Principum regina, tot potestatum,

Quam fronte prona laureiſque ſubmiſſis
Coluere Reges Cæſareſque; nunc ſorti
Erepta tantæ lancinor, trahor, jactor,
Nullumque non Mars efferus nefas audet,
In me tyrannus; barbaruſque graſſator
Novæ meorum inſanus incubat prædæ;
Animoſque ſævus à licentia ſumit.
Incendiiſque & mille, pacis exortem,
Mulctat ruinis. funera inter & buſta
Gradior potentum, & caſſa lucis, atrata,
Delapſa celſo culmine & ſtatu laudis,
Opprobrium ſum ludicrumque Fortunæ, &
Ferocientis undecunque Bellonæ.
Septentrionum rector, orbis Arctoi
Formido, cujus Moſchus horruit ſignis,
Et Sarmata ingens & propinquior Cimber,
Quem Viſtulam ultra, margineſque Tarunti
Dunamque & Allam Martis impetus truſit,
Boryſtheneſque verticeſque Riphæi,
Tanaiſque penè fontibus ſuis tinxit;
Cui Finnus armis Lappioque devoti
Stravere ferro ſemitam, & viam belli
Fecere pelago, Botniæque trans pontum
Poſuere noſtris militum globos terris;
Calamitatis ultor adfuit tantæ,
Dextramque vindex commodavit afflictæ,
Lapſæque primus ſpem ſalutis oſtendit.
Quippe imperator Rugiis ſtetit campis,
Mariſque latè Balthici triumphator
Promovit arma, Vandaloſque Gotthorum
Virtute domuit. arcibus ſuis longè
Exuta Viadri ripa ceſſit Auguſto.
Stralſunda vallis obſidentium cincta
Amovit hoſtem. tota Regis adventu
Gaviſa tellus Principes ſibi reddi
Dominoſque vidit. languit furor Tilli,

Mihique

Mihique fuso exercitu parentatum.
Cum federati clara Saxonis virtus
Pars esse belli voluit. illa trans Albim,
Salamque iere signa. semet Erphorda
Devovit ostro. purpuraque Suecorum
Herbipolis & Moguntius fidem dixit,
Hannoviaque civis. Arctos immersit
Lavitque Rheno frena. trans vias Drusi
Trophaea fixit, per domos Tabernarum,
Isaraque celeres alveos, per & Parmae
Processit agros, Alpiumque per valles
Traxit stupendum sors secunda Gustavum.
Iam tum serena fronte visa Libertas
Reddi gementi patriae; & minus nobis
Metuendus Ister, Pannonumque juratae
In me cohortes, copiaeque Frietlandi,
Et Austriorum vis laborque se fregit.
At triste fatum & non amabilis Parcae
Volubilisque immite sortis edictum,
Felicitatis mersit obsidem nostrae,
Boreaque regem mors acerba mactavit,
Meisque rebus lene Numen avertit.
Hac clade victor Tu, superstes extincto,
Bojos fugasti. funerique vindictam
Tot legionum manibus reperturus,
Hac funera inter & neces triumphasti.
Salvae phalanges, scuta, tela Finnorum,
Cadente Rege; Teque sospitatore
Asserta res est, Saxonumque per rura
Lux una vidit occidens mihi sidus
Resurgere in Te; regiosque sarciri,
Te stante, casus. tunc secunda permiscens
Duris Olympus laureamque taxumque
Suspendit in me. quamque straverat moestam
Fatale Regis vulnus, unus attollis,
Spoliisque & urna restitutor incumbis.

Et

Et justa solvens ultor expias damna
Victoriarum laude. praeficas inter
Sonuere iisdem sedibus tuba & lessi.
Sueonumque, Te jubente, castra dum vincunt,
Fiducia luctum, corda diluit moeror
Accensa honorum alebriis. stetit gaudens
Gemensque belli Diva, condolens sceptris,
Et gratulata. Tu Ducum caput, Princeps,
In Sorabos Lusatiaque secessus
Propellis aquilas, Noricasque progressus
Invadis urbes, limitesque Suevorum;
Domitisque jura civitatibus dicis.
Qualis remissis viribus labascenti
Humeros Atlanti commodavit Alcides,
Cum machina coelestis editum pondus
Nutare visum est: talis integros Regi
Supponis artus, belligerque constansque
Fulcis ruentem. Tu velut suis ales
Phoebaea bustis surgit, & quatit pennas
Flammis renata, post cadaver Arctoum,
Ciner esque vivis regios & ingenti
Terrore Dravum nominis tui sistis.
Magnisque Balthim & Gallias tibi pactis
Annectis, Heros. ac potentibus munis
Tua bella regnis. undequaque Te spectant
Gentes propinqua, quasque semovet longè
Diffusa Tethys. Te Patres Batavorum,
Te purpuratus Adria, & valens Cimber
Procul tuentur. & Britanniae rector,
Bellaxque Scotus vota reddit absenti.
Hoc restat unum, ut qua potentior Rhenum
Coërcet altis nixa Brisacum *saxis,*
Infracta moles, gentis Austriae robur,
Spelunca Martis prisca, carcer armorum,
His cedat armis, laureaque victrici,
Devicta tandem, gloriosa se intexat.

Hinc

Hinc Heduus omnis, Sequanique & in partes
Ibunt Triboci, Rauracusque vicinas
Recludet Alpes, Liliisque Francorum
Germanus acer nectet Imperi causam,
Viresque regum pontibus sibi junget.
Quin liber atræ servitutis exemplum
Nolet vocari. pristina renascentur
Leges, mihique lux redibit oppressa,
Pietasque puros reddet ætheri cultus.
Hac dixit Illa. cum tibi novo Princeps
Tumuere motu pectora, & pia Matris
Ignis querelâ exarsit ossibus vindex.
In casside altè stare visa bellatrix
Minaxque crista. quoque Dux vehebaris,
Sonipes severum infrenduit: solum pulsans
Et auribus plus bellicosus arrectis
Efflavit auras naribus. trucem miles
Vibravit hastam, baltheoque fulgentem
Suspendit ensem. frena Castor excussit,
Pugnaxque Orion, Herculesque Perseusque,
Quæque astra Getici tela provocant patris,
Micuere cœlo latius. retro pulsæ
Fugere turmæ. capta prima Rhenfelda est.
Trajecta castris flumina. arcium passim
Perrupta claustra & obices Friburgorum,
Claudique valli s alta Brisacum *cœpit.*
Tunc æra & omnis tela Lemnos extrusit,
Steropesque Brontis & Pyracmonis Brontes
Operi insistere. ferbuit labor belli
Tot officinis, nec soni quievere
Incudibus acti. pila, scuta, quadrigæ,
Faces, secures, cassidum cavi ventres,
Vnci, bipennes, fomitesque flammarum
Properata pugnæ, follibusque fluxere
Metalla crebris. subruit manus terras,
Industrioque cessit unda fossori.

Crevere

Crevere colles, aggeresque castrorum,
Muniminumque vis frequentior glebis
Inclusit urbem. forma machinas dispar
Distinxit. hæc se more cornuum adverso
Obtendit hosti. hæc fronte semilunari,
Hæc circulo robusta. ferrea adspectat
Vrbs castra circum, fornicesque Divorum,
Delubra, & aras & focos dolet cingi.
Obiere muros Dyrrachi & Platæarum
Ducum coronæ. obsessa turribus victa est
Alexia audax, & Saguntus & Byrsa,
Carthaginisque mœnia, & Tyrus laxi
Domitrix profundi. non minor laborantis
Hic cura dextræ Brisgoæ imminet portis,
Fluviisque legem ponit, objicit septa,
Laxat, coërcet, obstruit, secat, munit,
Et cingulo arces stringit & capit circo.
Hic sæva magnæ se palæstra virtuti,
Bernharde, *pandit, parvuloque concludit*
Alimenta laudum tramite. aream sternis,
Martique arenam; quæ cadentibus famam
Tumulosque donet. procubas cruentatis
Heros in agris, straminumque structuræ
Domos ministrant. pro cubilibus saxum est,
Aut uda vallis aut fragosior ripa.
Non mensa luxu diffluit, nec exactas
Dapes moraris. sufficit Duci, quicquid
Satis est fovendo militi. nec hunc ipsum
Discernit à Te delicatius sumen,
Famesque docta. damnat annus obsessos
Quovis sub astro. non retardat inceptum
Chiron severus, Scorpiique pungentis
Fatale sidus. frigus horridum Capri
Domas ferendo, & Plejadum procellosos
Hyadumque, Dux Serene, sustines imbres.
Non nix stuporem Alpina rebus inducit,

Non pigra glacies Amphoraque tempestas:
Non lapsus altis montibus furens Caurus
Stitere motus. omne commodum tempus,
Patriam asserentis gloriæ. tubæ rauco
Sonuere cantu, classicisque permixti
Strepuere litui. territansque ballista
Evomuit æra & alta tecta concussit.
Irrubuit ensis & cruore pugnantum
Tepuere dextræ. suffodis per ambages
Penetrale Vestæ, & ignibus graves terræ
Diffindis artus, promovesque secretus.
Præsente te ferocius ruunt turmæ,
Sociisque Gallis æmulam erigis gentem
Ductor fidelis. obviæ necis spretor
Exempla prabes militisque patrisque;
Periculique conscius Tibi parcis,
Tuosque servas providus gubernator.
Velut leæna, quam sequuntur imbelles
Catuli, ferarum morsibus lacessita,
Libycisque mater impotentior monstris,
Nondum excitatæ prospicit sagax proli,
Antroque se recondit & latet prudens.
Interea avitis sedibus minax prodit
Austrasius, & Vesontio manus lecta
Ararisque potor, accolæque Iurassi,
Leucique Lingonesque & Adulæ cultor,
Moturus arma. venit Ister adversus
Savusque & Albis & Visurgis & Mœnus
Nabus Nicerque copias profuderunt.
Nescis timere miles, & tuæ frenum
Famæ relaxans, flumen inter & muros,
Hostesque & urbem & hinc & inde depugnas,
Cinctusque cingis; nec ferens diu cingi,
Aquilas propellis. rumpis agmen hostile,
Repetita toties signa victor invadis,
Ducesque captos curribus triumphator
Per

Per regna vectas Sequanaque transmittis.
Sedit Savellus, compedesque felici
Elusit astu. Golzii lacessentis
Retusa tela. versa sæpe pugnantis
Fortuna VVeerti, carceres novos mordet,
Irata fatis. cæsa Getzii castra,
Fractique vallis imminentium insultus.
Vt cum procellis pulsa Tethyos rupes
Immota perstat, vis hebescit undantis
Ponti, furorque languet & retrò spumans
Se flectit unda, & impetus suos damnat.
Fugere Fauni, Najadesque & infaustos
Pepulit Menalcas ira Thracii patris,
Cererem Palemque & quotquot horridis Divæ
Fugantur armis. undequaque perculsas
Tremefecit urbes triste Cæsaris fatum,
Burgundioque & prisca Cantabri sedes,
Incerta belli sensit & querens diros
Casus suorum vota Brisaco *fecit,*
Rectoribusque mœsta savit Habspurgi.
Ast umbra fortis expianda Gustavi
Stimulos ruenti subdidit, nec incassum
Pugnare passa est Saxonum decus stirpis,
Tot fulgidum propinquitate primorum,
Imaginumque & sanguinis vetustate,
Ilmaque dominum. clarus ultor excisas
Arces domosque, stupra virginum, cædes
Lachrymasque vindex civium recognoscis,
Punisque causas. Tu superba successu
Nortlinga, tuque misse fontibus Batis
Sublimis Infans, regis Asturum frater,
Magno flagellas laureas tuas luctu,
Credisque vinci posse signa victorum,
Vnique semper non favere cælestûm
Decreta parti: dissidere Neptunum
Phœbumque: Cyprin Pallademque: diversa

Amare Superos, & vagæ rotam sortis
Versare regnis: occubare Gustavos,
Orbique rursus excubare Bernhardos:
Superare Finnum, cadere, & inde plus tolli:
Et nunc Croatam, nunc Gothum triumphales
Agitare currus; dividique, quod latum est.
Cum castra, Princeps, *poneres, tumens fastu*
Brisgoia *torva voce sic peroravit:*
Quid bellicose me lacessis infestam
Et poscis Heros? quid manu Gigantæa
Divum minaris culmini & petis cœlos?
Cur Ossæ Olympum imponis atque Athon Tauro?
Audesque non audenda more Titanum?
Hinc vorticosa præbet unda tutamen,
Hinc montium se Brisacum *jugis abdit,*
Et ridet iras incubantis obsessæ.
Adventat Istro miles & Tagi gazis
Suffulta virtus inquieta pugnabit.
Perrumpet aditus, claustra Cæsar infringet,
Castella fortis asseret manus Boii.
Cedant Leoni cuncta, dum stet invicta.
Hæc una nobis, quæ petita tot castris
Contempsit hostes, & Deûm stetit jussu
Robur potentis imperi, domus Martis,
Tutela Rheno, Rauracique munimen.
Hæc Arabis usti Petra, Dux, inaccessa est.
Regina tot rerum & tot urbium princeps.
Rupes aquasque transvola. nequit terrâ
Excelsa vinci. si fame premes duram,
Fiet Saguntus, aut Numantia & qualis
Perusia sæva cessit impotens Roma,
Aut liberata Mutina maximo Pansa,
Vel pertinaci Zama restitit Tybri,
Forti Metello Thala, & altior Capsa.
Quin sacra cœlo templa, sacra mitrato
Delubra patri, & seculi fides cani

Relligio

Relligio & aræ præstitesque defendent.
At illa flocci, magne Saxo, fecisti,
Virtute major, Martioque conatu
Superbientis oppidi incolam audacem,
Iejuniis victuque paupere attritum,
Tandem otiosis dentibus fatigasti.
Cecidere civi, Præsidique præfracto
Animi priores, & cupido Mavortis
Ardorque pugnæ, & auxili resederunt
Spes devolutæ. lapsa cassis armatis,
Hasta lacertis, fervidaque & insana
Tremuere dextra. jura pacis oravit,
Tuaque celsa Brisacum *manu capta est.*
Quem timuit antè, quem ferocior sprevit,
Dominum fatetur, & modesta victoris
Prostrata pedibus, obligat sacramento
Fidem suasque læta devovet portas.
Mox civitatum dissoluta certatim
Succubuit Ilmæ Misniæque rectori
Erecta virtus. terrefactus Obrincus
Nova frena sensit. alteroque Burgundus
Sub capite cristas sustulit. nec antiqua
Se lege voluit Tullium coërceri,
Non Nozorethum, Claudium, & acre Pontarlum.
Augusta plausit Rauracorum & Argento-
-Ratense culmen turribus tuas laudes
Suspendit altè. rumor ivit in Vispos,
Et trans Saonam sonuit horror armorum.
Polichnioque & incolis Salinarum,
Mombosioque Cromateque Palmaque
Et Portizonæ, rupibusque Iustini,
Dolaque metuit Dubis & tua vidit
Monumenta fortitudinis Visontinus.
Tunc Iura valles & Vogesus implevit
Clangore belli. Danus & Lupi fontes
Ararisque gesta miscuit suis undis.

Te res gerente latiùs, suis latè
Progressu oris, Vandalûmque de stagnis
Herulûmque gente, sedibusque Cauchorum,
Invasit Albis rura miles Arctous,
Metu solutus, & manu Marazinum
Cecidit agmen exuitque Gallazum,
Et barbarorum copias Croatarum.
Quæ terra clade Tillii caput cœlo
Erexit altè & Lappionibus debet,
Horrescit armis, Sueciaque, victrici
Digreßione, prisca bella restaurat.
Per Te maniplos laxat ira Baniri,
Istrumque rursus provocat fatiscentem,
Vbi VVitikindos, Saxonum genus clarum,
Atavosque grandes fama sustulit terris,
Ducemque Dresda turribus suis claudit,
Vrbesque in urbe Molda plurimas lambit.
Te præliante, tutior suas Francus
Morinis cohortes intulit, nec Hispanum
Sævire passus tanta castra distraxit.
Te præliante, nos ferociam Scaldis,
Sortemque tulimus mitius Sicambrorum.
Te militante, militavit Europa,
Secura vinci, Cæsarumque fortuna
Illusit æther, plurimusque bellator.
Nunc, à triumphis urbibusque devictis
Exorsus annum, gratulantium voces
Regumque vota colligis, Ducum summe,
Ligerimque socias Sequanamque Savoni
Victore in uno. nempe causa communis
Boreale littus armat & ciet Gallum
Batavosque Patres. Rhodanus & rigens Vrsa
Et Mosa junctas offerunt potestates,
Faventque fatis Austriæ laborantis.
Tibi in trophæum sternit integros montes
Lucosque Botnis, impigerque Scritfinnus.

At

At Cerere multa, pampinisque botrisque
Lyæus & Garumna Principi occursant,
Frugesque donant civitatibus victis.
Batavus stupendis scripta nuncupat factis,
Consors laborum, & Aonum tuis lymphas
Adspergit ausis, concitatque Parnassum
Et antra Phœbi. signa sæpius fastis
Victoriarum, seculoque, quod currit,
Inscripsit æstas. hanc tibi magis fulgens
Et clara meritis bruma conficit laurum,
Et sacrat avo. Nil fatetur invictum,
Iovisque metuit sedibus Deus belli,
Cum ferreas trucesque diruis portas,
Vectesque solvis arciumque compages,
Fiduciamque industria erigis pernox.
En ipsa cœlo lapsa te volat circùm
Bellona victrix, & tibi novas scribit
Animosa turmas, fervidosque succendit
Frendens caballos. Curribus tuis juncta
It Cura prudens, nec Labor fatigatus
Gerit ligones, aggeresque molitur
Et castra figit. at Timor catenatus
Livorque ponè inglorio gradu vadunt.
Sed una vox Germaniæ renascentis,
Patriæque spes est, & favor salutantu
Per rura latè funditur colonosque.
Accurrit acer Rauracus, venit lætus
Potor Saonæ. masculæ juventuti
Comes senectus accinit triumphanti.
Famosa Caci tecta, regis Augiæ
Infame stabulum, quasque dira cervices
Et colla forti Lerna torsit Alcidæ,
Stupuit vetustas, & ferocis Antæi
Stymphalidûmque monstra, quasque Busiris
Madefecit aras & gravem Cleonæi
Rabiem Leonis. Tu secundus Alcides

Majora victor conficis. nec injusta
Sinis imperantum impune sceptra grassari,
Domitor malorum, injuriaque depulsor,
Causaque constans sanctioris antistes.
Inter furentis uda flabra Vulturni,
Et sævientis nubilas minas Cori,
Inter pluentis horridi Iovis nimbos,
Nunc siderum torrentium truces flammas,
Nunc siderum rigentium feros vultus,
Inter vadosa septa fluminum pugnans,
Inter tot hostes, hostiumque tot pugnas,
Et hoste cinctus, sævientibus fatis
Bello, procellis, hostibusque & annonâ,
Et parcitate exercitus & armorum,
Tandem ruentis oppidi refers palmam.
Stent, cymbala orbis, essedis suis Pauli,
Mariique fortes. tolle Roma Marcellos,
Brutosque Cassiosque. regnet Augustus
Domitis Sicambris, Dalmatisque Rhatisque,
Getis, Suevis, impigrisque Bastarnis.
Perennet audax Brennus & Cimon Grajus.
Ajax uterque. assurge Theseo civis,
Argosque Adrasto, tota Iasoni Colchis.
Et nostra Brutum secla, nostra Marcellum,
Et æmulantem genuit Ilma Bernhardum.
Hæc bellicosi sentit urna Mauriti,
Proavumque Manes. ensiferque Fredricus
Nepote gaudet exigente vindictam.
Erepta regnis decora singulis reddis,
Cineresque capti Saxonis reviviscunt
Clarentque per Te. compedes Ducis magni
Dissolvis hæres, posthumusque defensor.
Tuis triumphis gliscit indoles Fratrum,
Belli que crescunt conscientiâ justi.
Supposta Boreæ grandis umbra Gustavi
In te resurgit, & retundit Australis

Imperia

Imperia terræ, & limites Tribochorum
Tricaßiosque Lingonasque transcendit.
En, miles arma concrepat, facit ludos
Cataphractus ordo, cominusque vibrantur
Hastæ minaces. & pedestrium turba
Divisa in alas exit obviam signis,
Laurosque tollit. rumpit æthera in plausum
Catapulta clangens, & vagam ciet famam,
Populisque gesta admurmurat peregrinis.
Hac Fama Fauno nunciat, maris Faunus
Deo sonanti, buccináque Tritonis
Vltra columnas Herculis, super Calpen
Abylamque rumor torridum ferit Maurum,
Gadesque de te & insulæ Britannorum
Et prisca Thule loquitur, & tuas narrat
Pugnas Caledon, Hebridesque longinquæ.
Castella mœret, Duriusque perculsus
Avertit amnem, Sicorisque Iberusque,
Et triste Siculo nuncium innatat ponto.
Quid? regna latè pervagatur Auroræ,
Et occidentis dis palatium Phœbi,
Nigrimque adustum. rector Ottomannorum
Asiæque fulmen gaudet acer Osmannus.
Monumenta laudum cernimus sacrosanctis
Suspensa templis, fornicesque Divorum
Per te subactæ spolia gentis ostentant.
Tibi Deorum quisque præmium sacrat,
Gradivus enses, lumen ingenî Pallas,
Bellona robur. scuta Mulciber cudit,
Audaxque pectus ære triplici cingit.
Triptolemus ad te mittit integras messes,
Puerque tedas cogitat Dionæus,
Et par cubile Principi venustatis
Decernit alma Cypris. oppida arridens
Cybele recludit, turribusque circumdat
Turrita frontem. Liber expedit lynces,

 Phare-

Pharetras Apollo. sed Diana bellaces
Ministrat arcus, magna Iuno thesauros.
Pales virentes graminum thoros sternit,
Pan mactat agnos, Æsculapius gallum.
Implet corollis cassidem senex Nereus,
Algaque cingit margines corollarum.
Astraa juris imbuit sacris mentem,
Gladiumque donat vindicem, & pias lances.
Aurora vigiles advehit Tibi luces,
Lenesque spondet serus Hesperus noctes.
Felicis ævi fila prorogant Parcæ.
Hermes loquendi copiam facit linguæ.
Torvusque quamvis, spondet astra Saturnus,
Tirynthiumque Iupiter locat juxta,
Nec Perseo vult cedere imperatorem.
Me, magne Princeps, jussa tot Camænarum
Heu claudicantes devovere Scazontes
Voluere factis grandibus. Furor Phœbi
Phœbasque vatem insana raptat imbellem,
Testem triumphi, gloriaque rerumque.
Tu Stilico noster, tu Probinus his Musis
Alimenta prabes, tu celebris Atrides
Apollinari victor insonas templo,
Tumidisque cinctam fluctibus moves Cirrham.
Hac macte, Ductor, laude. pacis ad sortem
Hoc vade gressu. quod nequit Palatinus
Supplex precando, miles impetra bello.
Cogendus hostis, quisquis exuli lenem
Avertit aurem. Sit locus pio Marti,
Vbi pulsa causam vindicare libertas
Pietasque tentant. jura stirpis instaura,
Te tolle victor, tolle sceptra majorum,
Et abnepotum, Misniaque solamen
Fulci Thuringum. Saxonem vacillantem
Inter potentum jurgia & truces lites
Pactis aduna, fraudibusque distractum

Tibi

Tibi revinci. discat & sciat Cæsar,
Debere paci: certiusque regnari
Bellum cavendo: inglorium, triumphare
De cive cives: imperare sat latè,
Quicunque justè: pluribus potestatum
Vacare mundum, nec regentis unjus
Hunc esse totum: possidere pacatum,
Qui norit uti: corrigi refragantes,
Placidè ferendo: incautiusque decidi
Bonis potentum. restituta concordes
Tibi Bulla Patres colligat; sacra passim
Leges resurgant, criminumque tot formas
Profunda Lethe sorbeat, nec adversis
Germana signis gens diutius pugnet.

PANEGYRIS,

De laudibus Eminentissimi Cardinalis, ARMANDI IOANNIS PLESSIACI, Richelii Ducis, Franciæ Paris, &c.

HActenus Auriaci *laudes & bella potentis,*
In Batavis, Belga cecini, patriaque labores,
Et pugnas laurosque meæ, tot subruta flammis
Mœnia, concussasque animis audacibus arces;
Nunc procul occiduo partos sub Sole triumphos,
Nunc & in Auroræ thalamis, spoliataque ditis
Transtra Tagi, raptamque Peru. dum pronior æther
Nos videt, ingentique gravis fortunâ Philippo
Incubat, Hesperiique quatit fastigia regni:
Nostra per Aonios diffundit nuntia colles
Calliope, gestisque Ducum se miscet Apollo,
Et lituos inter Phœbi cortina remugit.
Nunc nova Purpurei sument exordia fasces,
Et Te, magne canam Richeli, *cui fata tuendi*
Borbonios, *partes tribuunt; & Gallia semet*

Credit, & hoc uno gaudet sub Sole renasci.
Non mihi jam magnus Stilico, non grandis haberi
Parmenio, Cyneasque potest. si Roma stetisti
Consiliis, fidoque potens suasore Macedo;
Si pro te toties facundia, Pyrrhe, locuta est;
Nec pater Atrides, claro sine Nestore, celsum
Ilium & Hectoreæ subvertit mœnia Trojæ,
Neptunique domos: etiam secunda bonorum
Posteritas, Armande, *tuis palatia curis*
Fulcit, & in Druidum sapiens miracula terris
Parturit. augustis per te reverentia sceptris
Crescit, & in mediis exsurgunt Lilia bellis,
Et melius, Dux celse, tuo sub sidere fragrant.
Nam veluti vastos spatiis immanibus orbes,
Flammiferique rotat sublimia corpora mundi
Vis occulta Deûm, nostrisque illabitur oris:
Sic tuus immensum, quem Gallia conficit, orbem,
Totque movet populos animus, grandesque per artus
Spiritus it, magnoque sagax se corpore miscet.
Qui trepidos olim validis cervicibus axes,
Nutantesque Deos & totum torsit Olympum,
Fabula prisca fuit vatum. Te cernimus omnes,
Magne gubernator, patrio supponere mundo,
Hoc, quodcunque tuum est, inconcussosque periclis,
Et nunquam fessos humeros, & pondera rerum
Imperiique vices & tanta negotia solum
Ferre diu, nullaque quati formidine fortem.
O mihi si liceat solitis intendere nervis
Barbiton, & cunctis fas sit Te dicere terris,
Nec tua semoto longè clementia vati
Abnueret, solumque tui levis umbra favoris
Gratiaque has ipsas involveret aqua Camœnas,
Assurgam Tibi, summe Ducum. si federa Belgis
Cum Gallis infracta vigent; concludor in illis,
Et jungor quoque Belga tibi, Regique, tuisque.
Incola Battaviæ tanti pars federis adsum,

Quam-

Quamvis digna minus. neque nos, Armande, *videbis*
Indecores. Tu grande decus mihi conficis unus,
Dum caneris, pretiumque ingens sibi fenerat à te
Ta potens. nova Palladiæ subnasceris aulæ
Materies, vestroque soror sub nomine vates,
Purpuraque Amsteliis tua plus fulgebit in undis.
Quaque vehent merces, etiam Te transtra ratesque
Per fluctus pelagusque vehent, Solisque cubile
Belligeraque legent Indis hæc ipsa Molucca.
Hæc audet tibi Musa loqui. fiducia Phœbum
Erigit impavidumque facit. proscripta pudoris
Causa jacet. quæque ipse colis palatia, Princeps,
Ingredior, radiisque tui percussus amoris,
His ipsis, quam nunc condis, sub mœnibus urbis
Abdor, & hæc nostræ, quamvis trans æquora, Musæ
Fundamenta locant. Et jam subsidere terras
Experior mundumque mihi. dum surgis in altum,
Tollor humo, tecumque procul per nubila raptus,
Ipsa tuis, Richeli, *transcendam sidera factis.*
Nec referes, me vate, pedem, nisi parte locatus
Ætheris. hic ubi sublimis sua brachia Perseus
Porrigit, heroumque domus animæque locantur
Semideûm, fulgensque boni rectoris imago
Invidiæ fines sola virtute reliquit.
Est Dea, quæ medios hominum se fundit in actus,
Conscia præteriti & sortis præsaga futuræ,
Arbitra difficilis causæ, Prudentia, centum
Tradita luminibus, longis venerabilis annis,
Mille modis edocta vias insistere recti,
Mille modis edocta mali depellere formas,
Et cœptis instare suis, fortemque periclis
Objectare animum, dubiis non fidere rebus,
Nec malè consultos vulgi sprevisse furores,
Nec metuisse nimis. capit a discrimine laudis
Incrementa sua, & fortunæ libra secundæ
Iratis didicit sese submittere fatis.

Hæc regina tuis, Ductor fortissime, cunis
Adstitit, & tibi dum Lachesis prosperrima ducit
Stamina fatidicæque legunt ventura sorores
Tempora, prævalida jam tum ratione subegit
Devotam sceptris animam. quæ nata fovendis
Regibus, hos ipsos tibi promittebat honores,
Quos geris, & sacro cunabula mersit in ostro,
Fasciaque irrubuit teneris circumdata membris.
Quin sic orsa loqui: lætis Puer inclyte, dixit,
Auspiciis ordire diem. tibi magna parantur
Nomina. secretis Regum servaris & in Te
Inclinata suis requiescet Gallia triplex
Ponderibus; causasque Ducum, populique Patrumque,
Et mundi dirimes lites. Tibi templa laresque
Debebunt sub Rege pio. geret inscia fraudis
Dextra pedum, pastorque gregi rectorque præibis,
Et columen tutorque tuo. cœlique minister
Præsidium telluris eris. distincta tenebis
Imperia, & Superis pariter nobisque vacabis.
Inveniet doctrina viam. experientia rebus
Sternet iter magnis, & Regum sola favorem
Inconcussa fides poterit constansque mereri
Majestatis amor. certè sub Præsule tanto
Castalii largis manabunt fontibus amnes,
Antraque Pegasidum & docta Tritonidis arces,
Euboicaque tibi condent oracula rupes.
Quin procul è Batavis fundet præconia dives
Amstela, & externas agnoscet Sequana laudes.
Vt dixit, germana soror Constantia juxtà
Os aperit, geminisque latus suffulta columnis,
Qualis adorando graditur per regia passu
Lumina nec vano populi terrore vacillat,
Hæc effata fuit: quantum Facundia possit,
Eloquiique vigor mentesque inflectere docta
Suada potens, odiique animus contemptor iniqui,
Exemplum dabit iste puer. non improbus ardor,

Non

Non queruli in dominos civis furor, iraque fervens
Livoris facibus scelique afflata veneno,
Non conjuratæ totis se opponere castris
Agminibusque manus, non circumstantia tela,
Audacesque minæ, recti statione movebunt
Intrepidum. ferient omnes impune ruinæ,
Tempestasque suis concussa tumultibus excors
Concidet & cæco prudens Bellona furori
Obstrepet & trepidis rabies desæviet hastis.
Stat sua majestas soliis vindexque tiaris
Numen adest, Superûmque metus custodia regni est,
Et Gracchos vindicta Deûm Nemesisque coërcet.
Nec siluit sacra Pietas circumdata palla,
Infula cui priscofrontem velabat amictu,
Plessiacumque *levans, studiis cœlestibus, infit,*
Et curis implere. Tibi veneranda recludam
Atria cœlicolûm, supremaque verba Tonantis,
Et secreta poli. quæ Te Sapientia grandem
Secernet populo, populis præponet iisdem,
Et multis volet esse patrem. spectabilis aris,
Solves vota Deo & celso juratus Olympo
Æthereum librabis onus. quin, Præside tali,
Regia se soli dedent diademata Christo,
Gaudebitque Dei sancto cognomine regum
Europæ sublime jubar, terrasque gubernans
Submissa cupiet cœlum cervice vereri.
Felix imperii facies, quam prima tuetur
Relligio, quæ consiliis inimica profanis,
Fas animi sacrosque probat devota recessus
Mentis, & innocua cives, delubra, focosque
Simplicitate beat. nec, quæ nescire decorum,
Scire cupit cunctos; veterisque à moribus avi,
Officii præcepta capit, fideique tenorem.
Dixerat. hinc manibus verbenam spargere circum
Cœpit, & accensis adolevit mascula supplex
Thura focis, plenamque favens excussit acerram.

Et fixam posuit puerili in pectore sedem.
Has inter residens generosa puerpera, Divûm
Colligit auguriis tanti nova gaudia partus,
Et sibi jam Curios alios, mentemque Catoni
Qualis erat, Brutique decus Fabiumque morantem,
Ingeniumque Numæ & trabeas promittit Olybri.
Tum Rhodanus, tum lentus Arar rapidusq; Garumna
Præsensere suis felicia secula terris,
Et sibi subrisit Ligeris. cum Santone Picto,
Et socio Lemovix fertur plausisse Cadurco,
Et jurasse fidem Biturix, fortisque Medullus,
Arvernique Heduique patres, cultorque Nemausi
Et Senonum gentes, & qui vicina Gebennæ
Montis habent, Martique sacer sub littore Narbo.
Hesperiæ solum, & gelidæ timuere Pirenes
Culmina, nubiferaque Alpes & Gallica jam tunc
Sceptra Padus. justisque ferox Catalaunus in armis,
Ex illo dominos jam fastidire Philippos
Cœpit, & in solo solatia quærere Celta.
Tunc & funestis visi sunt vultibus ire
Atrebates, Rhenique procul fremuere sub undis,
Bellorum arcani strepitus. impostaque celsis
Collibus, admonita est venturum Saxona rupes
Brisaci. Richelique, *tuis successibus Istro*
Funera portendi. Trevir sibi vincla parari
Sensit, at ulciscenda Duci. tua fœdera Finnus
Lappionumque nurus & montibus excita Manto
Prædixit Gothicusque furor. Tunc aspera bello
Gens Batavûm, studiis majoribus ivit in hostem,
Suppetiis animosa tuis, pacataque per Te
Lilia Francorumque sibi præsagiit astrum.
Nam veluti faustum præbent mortalibus omen
Sidera, cum summa cœli statione feruntur,
Nec jam radit humum Titan, sed celsior ardet:
Non aliter Lucina suis te sustulit ulnis,
Venturum imperio lumen, venerabile regni

Sidus,

Sidus, & in teneris vidit vagitibus aula
Spes hærere suas, & certius omnia ferri,
Te Tiphy moderante ratem. secerneris illi
A pueris, & mente senem prævertis ephebus,
Nec quicquam vulgare sapis. fastigia rerum
Transcendis gradibusque vehit te gloria magnis,
Atque adytis sapientum infert. hic tota recessus
Pandit Cirrha suos, & se Romana vetustas
Explicat Argivaque patent secreta Minervæ,
Ancipitesque scholæ, & quicquid contendit Athenis
Stoa gravis. nunc Pythagoræ doctique Platonis
Sensa capis, monitisque quibus Respublica possit
Tuta dari, & quo se defendat jure tribunal.
Nunc Stagira tua est, & mens contermina cœlo
Naturæ rimatur iter. vis nosse penates,
Quos habitas; quâ vivis, humum; queis tingeris, undas,
Quaque cales flammâ. nec enim præscribere mundo,
Ignarum mundi deceat. dum sidera volvis,
Ætheraque immensum & suspensos fornice cælos,
Hinc regnis sua fata legis. quis sospitet orbem
Conspectus faciesque poli; quis mutet habenas
Stellarum oppositis radians fulgoribus ignis;
Qua face seditio surgat, solioque potentes
Excutiat gravis ira Deûm. quæ sceptra secundent
Lumina, quæque suis rectores uniat arcte
Civibus Arcturi statio. per cuncta Deorum
Incedis spatia, & Saturni inamabile sidus,
Regibus adversum damnas, plebique malignæ
Præcipitique favens. Iovis, ut clementius, astrum
Concilias poscisque Tibi, regisque senectæ
Custodem hunc scis esse Deûm, vacuumque malorum.
Sub Mavorte probas, justis victricia causis
Arma capi, & rutilos stringi securius enses,
Postquam hostis fortuna labat; vel turbine fati
Vicinis metuenda venit. Tu spernis iniqui

Bellatoris opus. tibi nil deformius illo,
Cui ferrum pro jure suum est, calcataque scutis
Obruitur pietas, & belli gloria vis est.
Inter Solis equos feros regnantibus annos
Observas Lachesin trahere & prosperrima terris
Fata dari: Phaethontaa discrimina flamma
Acribus averti monitis, currumque teneri
Rectius arte senum, & sub consultore verendo.
Nec Veneris lux scæva tibi est, nec dura minatur
Phosphorus, at placido LODOVICUM *lumine tan-*
Adspicit, haredesque duos deducit Olympo, *(dem*
Mercurii per signa, quibus se purpura prudens
Asserat eloquiis, qua majestate loquatur
Pro populis, facunde, notas, fraudumque magistros
Proscribis procul. at Luna penetralibus altis,
Deprendis variis flecti mutabile formis
Imperium instabilesque vices; nunc porgere plenum
Regna decus, fractis nunc expallescere rebus.
Sic omnis Natura Ducem te format, & orbis
Pars convexa tuos monitrix descendit in usus,
Mandatrix operum consummatrixque laborum.
Inde per humana raperis spectacula vita,
Et scenam nos esse vides, ubi plurimus actor
Antiquo repetit mundi deliria ludo,
Personamque facit. tumet huic à bile cruentum
Vindicta graviore jecur. vesania laudum
Hos rapit immemoresque sui malesana flagellat
Ambitio. patulis venatur faucibus aurum
Alter & impuris primos Sirenibus annos
Devovet, & Paphiis demens effeminat herbis.
Hos inter, quamvis juveni, Catilina, Cethegus
Dispuncti, Lepidusque fuit, dominoque rebellis
Quisquis adorandis objecit castra coronis.
Dum veterum annales exactaque tempora versas,
In Zopyro quàm multa placent, animusque fidesque
Contemptrix obitus. Decios veneraris euntes
In

In bellum, pulchra pro libertatis amore.
Attilios pro lege colis. cum Coclite solus
Tunc quoque sustineas Senoni dux obvius ire,
Et medium Brenni furiis opponere Tybrin.
Cum repetis, quæ pro Cyro clarissima fecit
Harpagus, & regi quæsitum hinnitibus ostrum,
Promittis majora tuo. tibi suppetit artes
Regnandi ductor Xenophon, Cyrumque regenti
Objicit exemplar. Graji trux pœna Philotæ,
Principis offensi rabiem, metuendaque dixit
Intervalla Ducum, quos lis pervertit & atrox
Suspicio, fraudumque metus. Cum castra revolvis
Pellæasque manus, Procerumque & robur & arma,
Perdiccæ decus, Antigoni pugnantis honorem,
Lysimachumque trucem vultu, frontemque severam,
Quâ Meleager erat; præeuntem verba Craterum,
Cassandrique minas, validumque in tela Menandrum:
Talibus haud unum subdi rectoribus orbem
Posse, tibi memoras, & plus ductore perito,
Quam castris dextraque geri: suadentis Achatæ
Suggeris Æneæ officium, sociataque laudas
Robora consilio, & comitem Diomedis Vlyssem,
Thesea Pirithoi. quinquennia prima Neronis,
Non postrema probas. Senecis doctoribus aulas
Surgere, contemtis ruere, observasse decorum.
Arminios magni facis, & pro legibus acrem
Civilem, Thraseamque & rebus nata gerendis
Nomina Scipiadas, Drusos, Brutosque gravesque
Æmilios, & victoris tot signa Sicinni.
Tunc tibi, qua melius gentes ratione regantur,
Noscere cura fuit, regnique expendere formas.
Vt sua libertas Grajas subverterit urbes,
Et dominis oppressa malis respublica. quàm sub
Rege Lacon solo steterit securus & audax
Assyrius Medusque potens, & Persa feroxque

Indus

Indus & Eoo subjecta potentia Phœbo.
Hoc regimen sublime Deûm est, his præsidet unus;
Has rectoris egens primum est expertus habenas
Orbis, in hoc placidè coëunt moderamine gentes,
Nec malè distracta est uni concessa potestas.
Quin opera studiique tui scivisse putasti,
Regna quibus surgant & decrescentia vergant
In pejus sublapsa modis. quàm noxius illis
Vivat adulator: quam perniciosior Hydrâ
Luxus eat, populator opum: quàm vincere semet
Sit regale: suis contentum finibus esse,
Nec proferre gradum scelere: audacissima sperni
Cœpta, nec è dubia cœca Rhamnusidis aurâ
Suspendi summam populi debere salutem.
Nunc pœnis iraque locum, nunc esse favori:
Nunc terrore malos, nunc effera corda modestâ
Voce coërceri: nunc dissimulanda regenti
Plurima, nec simulandum unquam probitate relicta.
Sic iter ingrederis laudum, & quæcunque potentes
Virtutum momenta decent, & nomina recti,
In te cuncta fluunt, & pulchro fœdere juncta
Certatim fecêre virum. Te sancta verendum
Amplexa est primùm pietas, sacrisque tuorum
Imbuit & cœtu distinxit Diva profano,
Admovitque Deo propius. malè dirigat omnes,
Quem non ista regit. nescit mortalibus esse
Præsidium, à quo numen abit. mandata suorum
Vulgus amat, cum se Superis vovêre jubentes,
Exemploque magis, rigida quàm lege, gubernant.
Tunc Deus humanos isto de pectore sensus
Expulit, atque alia fulsit Lussenia luce,
Adventu gavisa tuo. tunc magnus ab imis
Auditus fremitùs terris, Phlegethonque remugit,
Et tumidis princeps Erebi plus sæviit iris;
Tartareasque faces Hecate succendit & omne

Infernale chaos strepitu concussit & unum
Te timuit. quamvis liventibus undique cincta
Styx flueret damnata vadis, & regia Ditis
Non ferret cœleste jubar, vitaque severæ
Immortale rudimentum; tu lampada sacram
Præfers præco vigil, te circumfusa sequuntur
Agmina, tu sanctis adstringis legibus omnes,
Plutonisque domos tenebrisque abscondita turbas
Atria. latratum tibi ter compescuit atrox
Ianitor & pressis Acheron obmutuit undis.
Te templis arisque Deûm consueta vocari,
Occupat, & niveis ambit Clementia pennis,
Et facilem lenemque facit. quin indole tali,
Qualis erat, Trajane, tibi, placidissima donat.
Nempe ferum crudumque putas, non parcere victis,
Suppliciis gaudere, truces distringere vultus,
Non flecti precibus, veniamque expungere rostris,
Atque illaudatas Manli revocare secures.
Huic comes incedit Nemesis, nec flexilis ulli
Supplicii rigor, & gradiens cum consule lictor.
Quæ tua, cum fas est, rigido subsellia munit
Et trabeas terrore, nec exorabilis audit
Convictum fassumque scelus; cum læsa Senatus
Majestas rerumque salus formidine salva est.
Hæc Minoa suis, hæc justis Æacon armis
Instruit, & soboli non vult ignoscere patrem.
Hæc Metios discerpit equis, oculumque Zaleuco
Eruit, atque metu custodit regna severo,
Et conculcatas adspergit sanguine leges.
Te sincera Fides, nec fallere docta tiaras,
Possidet, & nullo patitur pallescere fuco
Mascula simplicitas. toto tua didita regno
Fama viget fidæque vehit præconia linguæ.
Non illam insanus livor subvertit & horror,
Non fortuna furens, adversorumque procellæ.
Hac duce non mutas animum, nec mobilis auræ

Ingenium

Ingenium popularis amas, vultumque secundis,
Aut alium adversis geris. ut Marpesia cautes
Fluctibus opponit latus inviolabile, constas
Impavidus vanisque negas rumoribus aurem.
Hac tu Liligeri decus & diadema parentis
Asseris, & natos pariter patremque tueris,
Et quos ut dominos civis submissus adoras,
Consiliis monitisque juvas. dumque omnia flectis,
Per te quisque suos sentit crevisse triumphos,
Per te jura dari sinit, & pracepta subactis
Gentibus, atque tuo fasces committit amori.
Iudice te, paßim Themidis delubra recludi
Adspicimus, rutilasque faces gliscentis honesti
Et jubar Astraa mediis se attollere bellis,
Et solum trepidare nefas. Tu criminis ultor
Fulmineum vibras tutandis legibus ensem,
Et trabeas vis justa loqui. stant rostra decenti
Tuta patrocinio, formidatumque tribunal
Alligat officio quemvis, & lancibus aquis
Partitur jus cuique suum. quos donat honores
Regia, dißimulas. tibi vis privatus haberi,
Dum cunctis, Armande, *praes. tot pramia laudum*
Magnanimus minus esse putas, splendesque decorus
Civibus & titulis servas illustribus omnes,
Solis ad exemplum, cunctis qui lumina terris
Dividit, oblitusque sui communia curat
Commoda, nec sibi, sed nobis mortalibus ardet.
Magnarum non parcus opum, palatia, turres
Exstruis & totas operis ingentibus urbes
Ædificas. stupet, ecce, suis pomœria tectis
Sequana laxari, atque amplis amplectitur orbem
Mœnibus. hac una sic per te mundus in urbe
Ambulat, & tanti patet indulgentia census.
Quin Superis nova tecta, scholas & limina Musis
Pulchra locas. omnes aperis discentibus artes,
Diffunditque suos melior doctrina penates.

Vox

Vox comem, incessusque gravem, reverentia vultus
Arguit imperio dignum. patientia duris
Te subigit nullique cupit cessisse labori.
Non tua vesano plorant æraria luxu,
Nec sordes contemptus amas. aulisque domoque
Trudis avaritiam, rabiemque expellis habendi.
Stas pactis, promissa facis, præponis honesta
Vtilibus, magnis nec dedignaris amicis
Sceptrorum fulcire Deos. consulta ministras,
Et capis, & fidas voces Callisthenis audis.
Quas noctes insomnis agis, contermina cunctis
Finibus Europæ mens circumspecta moratur,
Et ventura videt. seu vasta per æquora raptus
Herculeis infers bellacia rostra columnis,
Insubribus seu bella paras, & læta per ipsum
Tollis signa Tagum rector. vigil exit in omnes,
Afflictaque levat spatiosa industria gentes,
Agnoscis benefacta palam. largiris honores,
Ipsa quibus virtus precium est; quos publicus excit
Et patriæ non segnis amor, vel dextera fortis,
Ingenii vigor & sapientia nobilis ævo
Consecrat, & pulchri commendant regibus ausus.
Talis Aristides Grajûm veneranda per urbes
Ora tulit, rebusque animum curamque virilem
Applicuit. talis Phocion illustrior ivit
Et gravis indomitæ leges & mascula Spartæ
Iussa dedit, luxitque ista virtute Lycurgus.
Cum lego Narsetem, Narses tu crederis esse,
Cum Nician, alter Nicias, qui classibus æquor
Stravit & externo toties dux institit hosti.
Cum pavidos premit infelix Rhamnusia patres,
Spe collapsa foves, nec desperata relinquis
Sceptra, sed à prisco exemplum Varrone reposcis.
Pro Gallis stas Euagoras, transcendis Aratum
Consiliis, istoque volet gravis ore Pericles
Cecropidûm pro gente loqui. mandata Solonis

Legibus antevenis, Musis pater Atticus audis,
Timoleonque novus captas clarescis ob urbes.
Singula complecti cuperem, tot nomina recti
Virtutumque choros, nisi se densissima nobis
Factorum offerret series, laudumque tuarum
Diluvio obruerer. Magni post funera Regis,
Iactatumque diu non uno Præside regnum,
Tu regni ancipites casus & pondera nutu
Librasti, Dux magne, tuo. tunc fixa pependit
Gallia nec dubiis titubavit Celta sub astris,
Et sibi mutatas sub te non sensit habenas.
Cumque truces motus ruituro culmine rerum
Turbida tentaret novitas, tu nasceris autor
Pacis & adversas acies cognataque signa
Bellaque sublatis componis partibus unus.
Gaudebant gladios Pietas exuta feroces,
Majestasque simul. venerandaque nomina claro
Fœdere concilias; & quos natura ligavit,
Condicione ligas placida, nectisque benignè.
Tunc Solem toti radiis melioribus orbi
Illuxisse ferunt. tunc junctis Gratia palmis,
Creditur obversas blandè adspectasse sorores,
Et cunctos sociasse Deos, cum Pallade Cyprin,
Mulciberum Phœbumque & te Neptune Minervæ,
Iunonemque Iovi summo. quin mellea passim
Flumina defluxere jugis & montibus altis
Manavere nives tepidæ. tunc undique latum
Extulit os, nitidisque caput velata coronis,
Certatim positas lites Europa probavit.
Per te tuta stetit nullis Cassalla fatiscens
Viribus, agnovitque tua molimina mentis
Dux Ligur & longi in Batavis encomia belli
Condidit & vestro moriens submisit honori.
Illa suis animosa malis, tot fulmina Martis
Insultusque invicta tulit, nec cessit Ibero
Ferrea, & Eridani per stagna loquacia fama

Crevit

Crevit & armorum latè terrore triumphat.
Te Duce, Mavortis domus & circundata centum
Turribus & Regum toties subducta furori,
Cujus Santonici pulsant bellacia fluctus
Littora, cui robur dederant & nomina rupes,
Clara truci Rupella fame, placabilis audit,
Et Domino mansueta suo. cum Tethye bellum
Gessisti, & tumidum stravisti montibus aquor,
Et sylvis trabibusque & toto Aquilone profundum
Implesti & querulam domuisti belliger urbem,
Incubus Oceant ingentis. sic Cecropis arces,
Ostiaque irati clausisti Sparta Pyræi,
Et Lybicos victor tenuisti Regule portus.
Sic, Pellæe, Tyrum congestis molibus olim,
Et Pelusiacas vicisti puppibus urbes.
Ignivomæ periere rates & missa Britanno
Auxilia & triplici subnixa potentia sceptro.
Claustra mari metuenda paras, & tramite longo
Damnatis dirimis spaciosum Nerea, Princeps,
Civibus, incœptisque doces immanibus ipsam
Subdere Neptuni rabiem. contracta stupebat
Æquora terribilis Triton, captiva teneri
Atria Nereïdum, & famulantes regibus undas.
Cum Tartessiaci gemeret desueta Philippi
Imperia & fasces indignaretur Iberos
Rhætus & Hesperium vallis Tellina tribunal,
Vindice te, castrisque tuis, LODOVICE, recepta est,
Atque asserta sibi. libertas reddita cunctis
Te dixit, scripsitque patrem. sub sidere brumæ
Jussibus, & rabidi ferali luce Leonis
Eminus arma moves, absensque in milite pugnas.
Non aliter, quàm cum Superos invaderet audax
Titanum furor & montes inferret Olympo,
Abfuit à pugna cœli regnator, at unus
Præscripsit facienda Diis. Vos dicite valles,

Bormio,

Bormio, & unanimis communi lege Clavenna,
Quique bibis Larios latices fontemque Padusæ,
Quàm tua Plessiacus *tutarit fœdera Nestor,*
Oppida quot victasque iterum devicerit urbes,
Borbonio *rectore potens. cum Sequana longè*
Signa per Insubricos ferret victricia campos,
Cottiaque innumeras stupuerunt culmina lauros.
Tu quoque Pyrenæ propior nimbosa Bearne
Accedis tantis titulis, portasque recludis,
Ægra licet, paterisque sacris succedere sacra.
Nec Te terrisonis Tamesis cataphractus in armis
Terruit, & pulchro, Richeli, *ductore triremes.*
Insula cum misso Reace populata Britanno,
Ignavas acies timidumque agnosceret hostem.
Fit fuga, partem haurit gladius, pars mergitur undis,
Et pugnant pro Rege tuo fluctusque manusque
Et vada; & in nuda moriens ridetur arena
Albion & laceras deplorat mœsta carinas.
Et tu carminibus nostris, Albane, manebis,
Reddite Francorum dominis, discesque coronis
Æternam debere fidem. cur dispare cultu
Diffidis soliis? cur tunc parere recusas,
Cum fas est tibi sceptra coli? cur Cæsaris omne
Quod fuit, huic solvisse grave est; quod Numinis, illi?
Heu nimium ignaræ mentes. terrasque Deosque
Concutit inconsulta fides, nimiumque dolori
Indulget vis sacra suo. mansuescere nescit,
Cum Rex æqua petit. species prætenditur armis,
Et regnare cupit Pietas, laterique potentum
Personata latus jungit, divisaque sceptris
Sceptra volet. rarò sortis secura suorum,
Quàm cum se totam clypeis involvit & ipsum
Ære Deum. sed enim, minus hunc defendere ferro
Relligio, plus mente jubet. probitate tenetur,
Non

Non vallis, meliusque orbi splendescit inermis.
Ista Cebennates populi, qui rupibus altis
Vivitis, hæc eadem vicinæ discite gentes,
Delphinique patres & qui sapuistis Aletes,
Et Septemmaniæ proceres, quos lenius astrum
Adspexit, Regisque pios clementia fecit.
Quis castris aderat pernox, cum jura Niverni
Assereres, Rex magne, Ducis? cum signa per Alpes
Gallica ductares Princeps, inopinaque in ipsis
Insubriæ fremerent horrentia classica portis,
Et subito ruptis patuit Segusia claustris?
Hic Armandus *erat. galea qui sæpe rigentes*
Sustinuit potare nives, diffringere forti
Saxa fame, calcare gelu, dominasque cohortes
Taurinis inferre jugis. cecidere phalanges
Hispanaque Italæque & quas conscripserat Ister,
Quasque Savus Dravusque ferox & proxima bello
Parthenope & parens alienis Insuber armis.
Ferrati cedunt montes iterumque soluta est
Rigomagum, tumidasque minas Regumque Ducumque
Altior elusit, dominumque invicta recepit.
Interea, dum dissidiis feralibus aula
Scinditur, & faciunt regum de sanguine partes,
Invidiæque comes scelerata calumnia belli
Quassat sæva facem, mediisque incendia gliscunt
Visceribus patriæ, & tempestas horrida Franco
Incubat; Herculeis gliscentem viribus Hydram
Conficis & magno viduatum vindice vulgus,
Castraque dissolvis victor. tum sanguine claro
Irrubuit Nemesis, pœnaque assertus in una
Majestatis apex, fama mendacia risit.
Sub pedibusq; Stygem scelerum & Phlegethontis iniqui
Murmura latratusque sui formidine pressit.
Spreta Ducis fortuna fuit, dum summa laborat
Regis, & exemta est rabies armata favori,
Borbonio *cognata licet. cum stemmate certat*

Gallorum prælatus amor. cum publica salva est,
Negligitur privata salus; capitique propinquo
Decedit precium, solum ut Regale supersit.
Quo vatem, Dux celse rapis, Phœbumque Deasque
Tracones tantorum operum? quàm finibus ingens
Gallia distrahitur, vestrarum maxima laudum
Intervalla patent. decori nunc incitat undas
Clarus Arar Rhodanusque tuo. nunc ripa Garumnæ
Officiis Rhenusque tuis & Matrona longè
Perstrepit & cunctis Ligeris clârescis in oris.
Te Iuræ resonant montes Lotharique loquuntur
Oppida Nancejumque potens, & Lilia portis
Succrescunt, Burgunde, tuis. timuere Vezunti
Mœnia & excelsæ fecundi Dubidis arces,
Mombosium Cromarumque & castra invicta Moroti,
Vercellæ veteres & quod se vallibus abdit
Pontarlum, Iurisque favens nutricula Dola,
Inque altis Nozoretha jugis. hac agmina duxti
Francorumque manus, nec tot satiata trophæis
Signa, nec Augustum victrix Bellona fefellit.
Non aliud Trevir columen pressusque Mosellæ
Repperit. afflictæ subvenit purpura mitræ,
Et sacro pro jure stetit, nil Cæsaris ira,
Nil Bavari pavefacta manu, cui rapta nepoti
Sceptra Palatino offensus transcripserat Ister.
Est, ubi monticolam exercet Bellona Sabaudum,
Contemptisque prius se subdidit Invrea sceptris,
Allobrogumque acies & conjurata facessunt
Agmina & Hispanæ Regi cessere phalanges.
Dum misera assiduis teritur Germania bellis,
Armaque Vandalicos gliscunt inimica per agros,
Dum pulsi fugere Duces, Regisque creati
Sors labat & priscæ dapifer sanctissima Bullæ
Nomina spreta dolet, terris excussus avitis:
Dum vindex Gustavus adest & Martius ensem
Per Viadrum Nicrumque rotat, Rhenumque bicornem
Corni-

Cornibus infractis adeò mansuescere cogit,
Vt sacros renuat veneranda Moguntia fasces,
Noricus ignoret dominum, Nemetumque colonus
Excussum repetat, meliorque affulgeat orbi
Imperii surgentis honos: Tu consulis Arcto,
Federibusque tuis Sueonum suffulta triumphat
Gloria, & in medio dum quærit pabula Rheno,
Mœnum Finnus equus bibit & se Lappio Nicro
Proluit & Boreæ lavit carpenta Visurgis.
Quod cecidit Friburga, tuum est. te forte Brisacum
Credimus expugnasse manu, totiesque feroces
Pannoniæ pepulisse acies; cum Saxona clarum
Ære juvas, grandisque aperis æraria census.
Tunc gaudere suis visa est Alemannia fatis,
Et desperatam, per te sperare salutem.
Cum Gallo patuere viæ, quibus omnis eunti
Terra per hostiles diffudit castra recessus,
Laxavitque fores & claustra invicta patentis
Imperii, Austriacaque domos & regna coronæ.
Nos quoque, dum pactis Lodovico *jungimur, acres*
Imus in Hesperiam & magnis sua regna Philippis
Concutimus, quæ spectat Eos, quæ Vesper inumbrat,
Afer habet cultorque Asiæ, quæ flumine Scaldis
Irrigat & Vahalis bellax & Mosa cruentis
Lambit aquis. laceræ tecum pugnamus amore
Europæ, paribusque animis lassamus Iberum,
Et Belgî decus asserimus. Diademata Iusti
Principis irradiant, te suffragante, Batavûm
Vnanimes augusta Patres. sic vincimus unà,
Et toties lauros pariter, famamque meremur.
Et vos Atrebatum portæ & delubra Vedasti,
Austriaco subducta, novis assuescite jussis,
Et Franco jurate fidem. dispungite valvis
Omina scripta diu & voces delete superbas.
Spongia Plessiaci est. animos dum tollitis, unus
Dux vinci vos posse docet. Rex vincit, & illud

Iam fecit, quod vos fieri potuisse negastis.
Non alius labor Hesdino & subnascitur Æra.
Alternis concussa cadunt, fastisque secundis
Et gestis signant cunctos illustribus annos.
Quid memorem maris exuvias & victa sub ipsis
Oppida littoribus? senserunt classica duri
Vascones, & Calpen ultra tua rostra superbam
Tarracona premunt portusque indagine cingunt.
Nunc Bassæa ruit, Morinûmque infesta minatur
Finibus. haud alia est valida fortuna Bapamæ.
Prævenit hic Martem Mavors, citiusque subactam
Quam cinctam se celsa videt. dolet Insula in ipsis
Improvisa sibi flagrare incendia portis.
Nec minus Ausoniis crescis bellator in oris,
Disjectisque labat Conei fiducia muris.
Si jactare tuos, Romano more, labores,
Et cuperes hos saxa loqui, memorare colossos;
Certarent terra & pelagus; pax, bella; paremque
Astrææ rigor & ferret clementia laudem.
Mars Alemannorum strages ostenderet, illic
Pax tibi devictas uniret fœdere gentes.
Hic iret fractis Tamesina ferocia transtris,
Illic pacifera ramos monstraret olivæ
Gallia, Bullionæ, tibi. mitesceret illic
Abjectisque libens generosa Bearnia gæsis
Plauderet, attritusque fame tibi Santo salutem
Deberet. traberet victas post terga cohortes
Rhætus, captivosque lacus montesque dicaret.
Hic Itali domitis plorarent urbibus amnes.
Inde catenatis gemeret Germania ripis.
At laudum famæque satur plaususque tuorum,
Magna mente fugis decoris spectacula tanti,
Et Patriæ magis esse bonus, quàm dicier, optas.
Quæ facis, auspiciis peragis regalibus; & dum
Rex hæc ipsa jubet, tu conficis. imperat ille,
Quæ vigil exequeris. splendescunt regia latè

Atria,

Atria, tu lucem prabes. sua gloria regi est,
Sed labor obsequiumque tuum. majora mereris,
Non petis. inque animis hominum succrescere mavis,
Quam pompa fastuque frui. qui corporis adstes
Ingreditur miles, non te modo protegit unum,
Sed Regem civesque omnes custodit in uno.
Non timor ille tuus, regni est custodia, Princeps.
Sat securus abit, quem mens innoxia cœlo
Approbat. asservat non te, sed sceptra satelles,
Quique tibi praeunt, praeunt tot gentibus enses.
Detulit Armoricos Regis tibi gratia fasces.
Hinc mare prospectas circum tua littora rector,
Quæ ferus insedit Saxo. te Redonis Abbas,
Mitraque Nannetum colit & quæ Blavia ponto
Cingitur & propria fantur tot mœnia lingua.
Inter castra tubasque, Deum, Celsissime, curas,
Et Superûm delubra beas. disponis honorum
Officiique gradus. quin jam fidentius audet
Te tutore loqui pulchro Sorbona Lycæo.
Tollitur alta domus, quantumque scientia terris
Emicat, instaurata nitet; testisque perennis
Tanti Curatoris erit, sacrumque Minervæ
Limen & æternæ saxum memorabile famæ.
Gallia factorum patet area. tota theatrum
Consiliis Europa patet. sed Palladis aula
Doctrinæ meritisque tuis subsellia pandit.
Vt quicquid prælustre facis, describat in istis
Porticibus narretque diu. fortissime Ductor,
Quantam venturi prabes virtutibus ævi
Materiam. quoties memor hæc miracula volvet
Posteritas, nomenque tuum prætoria tollent,
Curia, Pieriique lares, fastigia, turres,
Et quicquid sublime tuis surrexit in annis.
Obstrepat invidiæ murmur, marcessere nescis.
Insurgat gravis ambitio, succumbere nescis
Altior. invisas acuat teterrima linguas

Impietas, vitâ jugulas. discordia gliscat,
Arbiter es pacis. regni convellat habenas
Perfidus, hunc pœnis subigis. suprema minetur
Fata furor, tu victor ovas, gladiosque merendo
Obtundis frangisque ipsis latronibus iras. (*Heros,*
Quid stupeam primum Richeli? quod fraudibus,
Pluribus obstiteris? quod nil terrore locutus
Indignum soliis fueris? responsa quod unus
Conciliis dederis, quæ mox effecta probasti?
Muniris Patrum studiis. tibi vota Senatus
Prona facit. defensa vocat te terra parentem,
Osque sacrum colit & sculpto veneratur in auro.
Os illud, cujus regitur nunc sensibus orbis,
Os illud, cujus loquitur facundia, quicquid
Utile finitimis, quicquid pro lege salubre est,
Pro populo, pro Rege suo. tibi detulit ultrò
Rex fasces, voluitque loqui. vocat ille ministrum
Immensique operis socium. nil perdit honoris,
Qui tecum crevisse videt sua regna. minorque
Non sibi spectatur, qui per te maximus audit.
Haud alio celebrem Pharamundum vindice quondam,
Et Calvos regnasse reor. sub judice tali
Ausoniam Gothicis exolvit Gallia sceptris,
Et Magnos vexit Carolos. Merovæa propago,
Et tanto illustris fuit oratore Capetus.
Nonne vides, quoties magna stipante caterva
Ingrederis, tibi tot populos, tot surgere gentes,
Tot patres matresque loqui prosperrima: latum
Illuxisse diem Gallis, quo regia clavo
Admovit te cura suo, quassamque procellis
Flexisti ratione ratem. circumspice sedes,
Quas habitas, quantis spaciis diduxeris illas,
Quantum profueris. passim metire triumphos,
Et lauros aliis in finibus. amplior exit
Majestas, postquam centum sibi subdidit urbes,
Ivit in Austrasiæ colles, Morinisque propinquat

Terri-

Terribilis, Rheni posuit sub fonte cohortes,
Et sua Burgundis cumulavit serta trophæis.
Non alium domitis se thyrsiger Evius Indis
Ostendit, Graiûmque exceptus plausibus olim
Obsequicque fuit. non sic se maxima Delos,
Non Tenedos, non Delphorum movere cavernæ,
Adventu propiore Dei. tibi quisque rependit,
Quod tranquillus agat, quod in uno Rege salutis
Deponat momenta suæ. tu voce diserta,
Privatis etiam loqueris, populosque Deosque
Terrarum, alloquiis solaris; & omnibus illud
Respondes, quod quemque decet fecisse. serena
Fronte tibi grates dicit Tagus. excipit illas
Barcellona, tuoque potens jam milite, temnit
Hesperiam. laudant operas sibi reddita per te
Rura Padi, civesque gravi obsidione soluti,
Concordisque Patres Belgi. Tibi Gallia stringit
Prima comam, gestitque suo dare basia patri,
Quo secura viget. nectit Braccata corollas,
Et decorat sublime caput, quo præside rerum,
Audet diductis tibi nunc occurrere portis,
Amplectique suum. donis altaria pingit
Illa togas induta parens, in montibus altis
Armandum resonans, Armandum in vallibus imis,
Inter Hamadryadum choreas, Faunosque trucesque
Monticolas strumasque graves. crystalla liquescunt
Includuntque suis Richeli præconia guttis,
Ingentesque lacus eadem cognomina tollunt,
Et totum belli complet fortuna Lemannum.
Narbo mella legit, donant sua marmora rupes,
Quæ referant exsculpta Ducem, tibi grande trophæum
Bellipotens. fundunt facundum regna Lyæum,
Et cupiunt te vina loqui. tibi surgit in agris
Et fruges fert læta Ceres & vecta per auras
Fecundas Patri Patriæ suspendit aristas.
Quæ dicta quondam tres amisere sorores,

Restituis. rursusque movet generosa lacertos
Natio. diffusum Patria, te sospite, corpus
Se reparat, pulchréque tuis juvenescit habenis.
Alpinum per te jam supputat aula tributum.
A Flandro vectigal habes. redeunte colono,
Elsatica consueta ferunt stipendia terra,
Devictoque tuus miles saturatur ab hoste.
Concurrunt ad vota Schola. facunda Cadomi
Porticus, Andegavique domus, Biturixque disertum
Os aperit. cunctas sacrat tibi Picto Camœnas,
Aureliaque tuis incumbunt laudibus arces.
Et sua Burdigala Pallas subsellia claris
Occupat ingeniis. nec te tacuere Tolosæ
Pulpita, precellensque suis Sorbona magistris.
Iamque augusta novis sudant tibi prela ministris,
Et fervent doctorum operæ, sacrique labores,
Quæque legant seri Patrum decreta nepotes,
Et veterum leges longum cuduntur in ævum.
Annuit humano, Princeps, cœleste favori
Arbitrium, Martique favet clementior aër.
Omnia difficiles avertunt sidera casus.
Si qua nocent, istis sapiens te subtrahis astris.
Qui vellent nocuisse, ruunt. hebet omnibus ensis,
Quem stringit violata fides, Regique negatus,
Qui fuerat juratus, amor. fugientibus æquor
Sternitur, & miseri externa ringuntur arena,
Et fraudes fraudumque omnes patuere magistri,
Et qui restiterant, gaudent parere lubentes.
Fare age, num talem jactes genuisse fovendis
Francia Principibus? credas ex æthere lapsum
Subvenisse Ducem sceptris. non Græcia mendax,
Quem componat, habet. non talem partibus ullis
Romana cecinere tubæ. si prisca revolvas,
Si proavos, hos illustri de sanguine clarus
Picto dedit, thalamisque augustis nexuit aula.
Qui genitor, Regum custos fuit, assecla Martis,

Grande

Grande patrocinium Turoni, memorabile bello
Nomen. ut hos titulos, quos poßidet, occupet hæres.
Non mutat fortuna domum, sed fixa per omnes
Proceßit sine labe gradus. quemcunque reposces,
Nobilitas virtusque beant. succedit honori,
Quem canimus, factisque nepos. quem nulla vetustas
Diluet, aut series seclorum longa silebit.
Sic nasci, minus esse putat. nec supputat annos,
Quos non decurrit meritis. hoc æstimat avi,
Quod patriæ sibi poscit honos. ubi regna laborant,
Assertoris obit partes, & gloria regum
Illius est. nec libertas majore triumphat
Vindice, & hoc ipso majestas tuta sub astro est.
Proxime Dis, LODOVICE *pater, qui prospicis* *(orbi,*
Cujus belligeros toties victoria currus
Ambiit, & fulgent rerum splendore jugales,
Cui nomen dedit alma Themis, Mavortia ferrum
Vis acuit, Pallasque suam Dea concutit hastam,
Obvertitque tuis adversam irata Medusam
Hostibus, ô pacis bellique invicte sequester,
Arbiter Europæ; patriis virtutibus ævum
In seros extende dies; nec desine nobis
Esse pater, rectorque tuis; dum magnus in ære
Sic stabit pater & fodiet calcaribus armos
Bellatoris equi, & medio spectacula ponte
Ista perennabunt. succrescant regia patri
Pignora Borboniique duo, munimina grandis
Imperii, geminæque arces turresque salutis,
Fulcraque cunctorum. Richeli *mirare laborem,*
Et salva tantum Rex majestate parentem,
Et sacrum venerare caput. vacat illa senectus
Tota tibi. canis robur tibi sumis ab istis,
Et macies hæc ipsa tuæ sors læta tiaræ est.
Hunc serva Martis clypeum, quo sospite victor
Pugnasti toties, toties in vertice turres
Atque arces fulsere tuo, disruptaque ferro

Mœnia ; quo duce tot populos submittere fasces
Vidimus, immensasque tibi subsidere valles.
Custodi Gallorum oculum, qui civibus unus
Pluribus invigilat pernox, venerabile sancti
Ordinis os dignumque decus, spectata potestas
Consilio, & vestro pollens facundia nutu.
Vivis in hoc custode tui, peragisque potenter
Hoc, quodcunque jubes. sic te reverentia sceptri
Eveh t, Armandumque fides. dumque ocia poscis
Fortè tibi, pro te mens indefessa laborat.
Tuque adeò, seu jam venturis motibus exis
Obvius, antevenisque mali, Dux inclyte, causas,
Sive animum, Richeli, per tot præsentia ducis,
Iam vitiis leges opponens turpibus æquas,
Iam castris alimenta parans, jam fœdera nectens,
Iam rēsponsa ferens, jam vectigalia poscens,
Robora regnantum, & pugnantis præmia dextræ ;
Sis felix, vivasque diu, preciumque laborum
Immortale refer, terramque applausibus imple.
Hæc laudis mensura tuæ est. post funera, summis
Addere sideribus sidus. Tibi cedet Orion
Ensifer, & gladiis condet victricibus astrum,
Queis defensa salus Regi stetit. ille ferarum
Monstrorumque potens domitor Tirynthius ignes
Contrahet abscondetque tuis. trux ægida Perseus
Submittet, Cepheusque sua cum conjuge jussi
Decedent, Armande, loco. te stella Bootæ,
Atque Ariadneæ meliori luce coronæ
Ostendent. quocunque feres, fortissime, gressum,
Inter semideûm fulgens gradieris honores,
Heroumque exempla senex. hìc æthere ab alto,
Sæpè gemiscentem sublato vindice Gallum
Adspicies, terrasque tuas. ubi murice splendens
Aërias Alpes ultra Tarnumque Padumque
Ivisti bellator ovans. ubi miles Iberus
Liligerum formidat ebur, tot bella secundis

Pressa

Pressa resederunt bellis, ubi frenduit Auson,
Celta Palatino succurrit; Matrona Rheno,
Et Rhodanus Batavis; ubi fractis cœlitus armis
Effera regales timuerunt colla secures,
Et pax Plessiacum Superis transcribet inermem.

In Adventum Sereniſſimæ Reginæ MARIÆ, Britanniæ, Scotiæ, & Hiberniæ Reginæ

GRATVLATIO.

Altera jam nostris mater Berecynthia terris
Cernitur, & Regum præbent spectacula nuptæ.
Nil facimus vulgare. Deas natasque Deorum
Excipimus, Batavisque favent clarissima mundi
Lumina. sceptrifero rursus splendescimus ostro,
Purpuraque imperiis se bellatricibus offert,
Et Tamesina Duci Majestas obtigit hospes.
Prô Superi, quanti vultus, quæ sidera Belgas
Irradiant! quantis ad nos descendit Olympus
Ignibus, æthereæque petunt declivia flammæ.
Anne humiles repetunt cœlestia numina terras?
Perque hominum gaudent iterum consortia summi
Ire Ioves: nostræque patent Iunonibus aulæ?
Illa Iovis Druidum soror est, conjuxque Britanni,
Et Tartesiaco thalamis annexa Philippo.
Illa suis Cimbrûm jungit diademata sceptris
Neptis & Allobrogum tangit germana cubile
Europæ prælustre jubar. quocunque tuetur,
Regna videt cognata suis, dilectaque regum
Nomina, vicinumque suo de sanguine passim
Spectat ebur. Magni fortunatissima Regis
Filia, Borboniæ germen sublime tiaræ,
Hoc stas, Diva, loco. Tethys unde omnibus undis
Naturæ dispertit opes & munera Divûm
Colligit & totum mittit spaciosa per orbem.
Hic emitur, quidquid rerum est. si sufficit emptor,

Hic mundus venalis erit. nos accipit Arctos,
Nos Thule, nos extrema, quà transtra vagantur,
Orcades, egelidaque vident in finibus Vrsæ
Hebrides & pandis ardens fornacibus Hecla.
Hic merces, Regina, tuas, hic dona tuorum
Distrahimus. jam sulphureis quam Scotia mittit,
Materiam truculenta globis. jam fulgida stanni
Pondera & è vestris, Princeps, excisa metalla
Montibus, aut rutilo radiantes murice lanas,
Et tua quas donat segetes glacialis Ierne.
Sedibus his Indos petimus, Solisque penates
Auroraque domum Auriacis incessimus armis.
Et terras portusque tuis, Frederice, *notamus*
Nominibus, gaudentque tuo mansuescere gentes
Numine, Nassoviaque volant per odora phalanges
Rura Moluccarum. jungunt tua federa Gangen
Battavia & diti Vahalim connectis Hydaspi.
Magna parens Henrica, *cupis devicta videre*
Littora Pantagonum. surreptaque mœnia Phœbo
Exutasque rates formidatasque Matanca,
Sub Belga ductore, manus? hic texta tapetis,
Hic tabulis depicta leges. vis bella tueri
Gesta mari, quà se Herculeis Dux Belgicus ausis,
Intulit Hesperiis claro Mavorte columnis,
Hic facti monumenta patent, victoris honores,
Et cineres tumulusque Ducis. si, Maxima, gestis
Cernere nascentem mediis è fluctibus urbem,
Suffultasque domos trabibus conversaque Fauni
Culmina, nos hoc omne sumus. portaris in undis,
Et tua Parrhasia librant vestigia silvæ,
Et calcas secura lacus. numerare triumphos
Si lubet & domitum Solis sub curribus Afrum,
Attonitamque Peru, & Scythici discrimina ponti
Tentatumque gelu, jampridem victa Malaccæ
Mœnia, perculsum aurifero sub sidere Nigrim,
Æthiopumque domos & tot subducta Philippis
Oppida,

Oppida, quæ forti poßit tam grandia dextrâ,
Adſpice Neptuni ſobolem, claſſéſque rateſque,
Ingentis terrorem Aſiæ regumque ruinas.
Regnatrix, quàm te lætis comitatus euntem eſt
Vocibus Albionis populus, cum littore toto
Staret & unanimes votis favere Britanni.
Regnatrix, quàm Te venientem lenior unda
Vexit & immenſo thalamos & fœdera ponto
Perſonuit concha Triton & fauſta tiaris
Dixit, ut Æmoniis properans ad limina Pelei
Sponſa Thetis, nullo turbari murmure fluctus
Senſit & à madidis accepit vatibus omen.
Veniſti tandem. Tuque exſpectata Batavis
Nympha venis, noſtriſque inferS regalia terris
Lumina, & innocuis arrides lenis ocellis
Auriaco, *teneroque moram depoſcis amori.*
Mox erit illa dies, cùm te pollente juventa
Invadet matura Venus. tunc ſanguine Regum
Naſcetur nobis Belgî defenſor Achilles.
Qui face bellaces ferroque ſequetur Iberos,
Et patria audaces abſcondet caßide vultus
Belliger, exacuetque truces mucronibus haſtas
Martius, & quà ſe condunt ſub Veſpere gazæ,
Ibit & Occidui latebras rimabitur auri.
Qualis in ore decor Mariæ ! *quam blanda venuſtas !*
Quanta puellarem excellens reverentia ſexum
Majeſtate tegit ! quàm fulgens purpura flammas
Spirat & inſontes radiis exuſcitat ignes !
Sic ibat ſocias inter Dictynna ſorores
Parvula, ſic juvenem comitata eſt Porcia Brutum,
Laodamia virum. ſic primis excita tedis,
Itala naſcenti conjux colluſit Iulo.
Matris amor, genitoris amor, fratrumque voluptas,
Auriaci *creſcentis amor, felicibus illum*
Auſpiciis ordire diem, quo fœdera tecum
Libertas Batavuſque facit. quo fœdera tecum

Nassovius Mavorsque facit. quo fœdera tecum
Guilielmus, *spes nostra, facit. quæ lumina nuptis,*
Præradiant Patriæ. facibus, queis Sponsa coruscas,
Dirigimur cives. non lecti cura duorum est,
Cunctorum thorus est, cuncti servamur in illo.
Quæ vos vincla, ligant omnes. jurastis in unum,
Vobiscum jurasse libet. pepigistis amorem,
Pangimus hunc pariter. vallos objecimus hosti,
Pro vallis nunc vestra Salus erit. annuit æther
Conjugio, fructumque capit Respublica. nescit
Disjungi, nec vestra fides, nec nostra. coimus
Tot populi, salvique sumus complexibus omnes.
Iam propius nos Scotus amat. plus jungimur illi.
Et propius nos Anglus amat. plus jungimur illi.
Plus Hibernus amat, nam plus unimur & illi.
O Patriæ communis amor, quæ basia figis,
Septemplex quoque terra capit. quæ blandula torques
Lumina, cognatis circum te gentibus offers.
Quæ loqueris, cedunt cunctis solatia terris.
Quæ facies, fessis promittunt otia terris.
Crescite Nassovii, rectores crescite Chauci,
Auriacoque *duces alios donate parenti.*
Crescite Nassoviæ, & victor cum castra maritus
Solvet & occurres bellaci nupta Camillo,
Insere basiolum galeæ, cristamque minacem
Mulce læta manu, & Martis post horrida salvum
Prælia, dilatæ Veneris meminisse, jubeto.

GAL-

GALLIA PLORANS,

Sive Laudatio Funebris, Eminentissimi Cardinalis, ARMANDI IOHANNIS PLESSIACI, Richelii Ducis, Galliæ Paris, &c.

AD REGEM.

Extulimus Richeli *exuvias, & grande cadaver*
Vrna capit. vastos mens circumvolvitur axes,
Et vivit secura sibi. quo sospite visa est
Erexisse caput bellatrix Gallia, *mæret*
Exanimi, luctusque suos afflicta dolori
Permiscet, Rex Magne, *tuo. mæstissima busto*
Ingemit, illustrique dolens Europa sepulchro
Incubat, & totam hoc credit se funere condi.
Hic Orbis, quod ploret, habet. quin forsitan ipsos
Tangit caussa Deos. cujus pugnavit Olympus
Consiliis, numenque tuum, cur flere recusent.
Lilia pallescunt. pallet tibi purpura. regni
Hoc tumulo subsidit ebur. fortuna ruinam
Publica, sed frustra, incolumi Te Rege, minatur.
Sic, ubi cervicem fessam subduceret Atlas
Orbibus, ingentis timuit sibi machina mundi,
Et pavidis horrens trepidavit Signifer astris.
Ecce suis, LODOVICE *pater, delubra moventur*
Sedibus & summis nutant fastigia templis,
Et sacri plangunt apices. cur? vindice tanto
Inconcussa stetit Pietas spectataque terris
Majestas veneranda Deûm. palatia, turres,
Et tot tecta Ducum squallent. stant limine taxi,
Funereasque adolet victrix Bellona cupressos,
Et Marti facit inferias. vix baltheus ensem
Sustinet, inversa miles tuus ambulat hasta,
Attonitasque trahunt Mavortia castra phalanges,

Imperio

Imperio viduata suo. non æquora Tiphyn,
Non ultra Neptunus habet. quassata carina est,
Antennæque forique gemunt, priscosque rudentes
Invida dissolvit Lachesis, nudumque tiaris
Remigio latus ostentat. quò maxime Regis
Assertor, quò Nestor abis? quæ fata feroces
Portendunt terris Superi? quo perdimur astro?
Quæ nos culpa reos cœlo facit? occidit, eheu,
Francorum prælustre jubar. quo sidere Belgæ
Crevimus, adverso rabies decessit Ibero,
Effera vis Aquilis, Albis concussus & Ister,
Fracta procul Rheno sua cornua, territa Calpe,
Persossæ gladiis Alpes, superata Pyrene,
Excussi portarum obices, cæsæque cohortes,
Pacatumque fuit non unum classibus æquor.
Non cupio plorare meæ dispendia sortis
Solus. ad exequias non te modo Gallia posco,
Non solos Latii Dominos, non proxima regna
Allobrogum. non tu lachrymis hæc funera tantum
Rhætia, non vestras immergas fletibus urbes
Insuber. hìc mœre, claro cum Cæsare pugnans,
Vindicias, Germane, tuas. incumbe feretro
Atrebas, Elsaticis manent è montibus undæ,
Tu lugens accede Nicer, civisque Nemetum,
Vangionumque Deæ, & magnis exordia bellis
Qui Trevir causasque dabas. dimittite vultus
Ad claros cineres Batavi. Capitolia luctus
Pars habeat, Romæque velis, Vrbane, *potentis*
Concilii flevisse patrem: sanctique Senatus
Ordinis, ætheeæ quem devovere Columbæ
Et cœleste Deo Flamen, suspiria nostris
Iunge precor. vestri decus indelebile cœtus
Exuit hos moriens titulos, majorque Tonanti
Adspicitur. Tuque ô Regis servate triumphis,
Tolle rogum, Catalaune, tuisque inscribe verendum
Porticibus Richeli *nomen, cineresque beatos*

Ante-

Autoremque tuæ supplex venerare salutis.
Ite gemiscentes pariter. sit præfica tellus
Qualibet. & quantum cuivis concessit honoris;
Reddite defuncti tumulo. Vos ordine cuncti
Plangite, funereamque dolens dum Sequana pompam
Ducit & Heroum procedunt agmina tardis
Passibus, hanc terra venerandam Principis umbram
Condite, at indigetes Divis adscribite manes.
Vox peregrina sequar Gallos, fluctusque per ipsos
Ibo comes Ducibus magnis, interque disertas
Elinguis proh nostra Ducem facundia gentes
Efferet, & poterit sic non ingrata videri.
Te primum, Lodovice, *piis miserescere fatis*
Fas erit & celebrem gemitu decorare supremo
Plessiacum. *populi cinctus tot millibus, unus*
Crederis hæc Richeli *ad tumulum, me Vate, locutus.*
Quàm sua sunt regnis incommoda. plurima Reges
Et facimus patimurque. quatit discordia cives
Diversosque rapit; nunc terris incubat hostis;
Nunc miseris gravis annona est; vel livor inerrat
Pectoribus studiisque Ducum; vel, robora belli,
Destituunt querulum lacbrymosa æraria Martem.
His secura malis, dudum mea Gallia latum
Extulit os. compressa silet non una potentum
Seditio, promissa tulit stipendia Mavors,
Expulimus terris hostem, solatia civi
Sufficit alma Ceres & amici gratia Bacchi.
Omnis in exstincto dolor est jam Principe. sceptri
Curator vindexque mei, consorsque laborum,
Fatorum cadit imperio, & dum livida damnat
Secula & humana majus quid sorte meretur,
Absolvit se Rege suo, soliisque beatus
Expedit, & Reges alios meditatur & aulas.
Non jam belligerum nostris sub vocibus Orbem
Flectit & augustis sese mens inclita curis
Applicat & solitis fulcit palatia jussis.

Non

Non decreta Patrum summique edicta Senatus
Ponderat & cunctis absens præsentibus adstat.
Deserimur rerum pelago, Palinure, Deorum
Quem mihi fatales clavo excussére procellæ.
Quàm memini, cùm me vario discrimine septum
Eriperes, Dux celse. tuis evasimus ausis
Conjuratorum furias cinerique doloso
Suppositas toties flammas. mihi reddita per te
Sæpè fuit Pacis facies, meliusque serena
Fulsit Majestatis apex. cum posceret arma
Libertas araque Deûm, fundique Laresque,
Tu turmas, tu castra, Duces in bella ciebas,
Tu leges, tu jussa dabas; tu tempora Marti
Commoda, militiæque modos & præmia noras.
Tu vicinorum poteras molimina Regum,
Et motus aperire sagax: quid Cantaber ausit,
Quid malè Pannonius tentet, quid Nervius audax,
Quid Ligur. omne tibi facinus fraudesque patebant,
Et vix autori notum scelus. illa jubebas,
Quæ cives fas velle meos, sub Rege. vetabas,
Quæ cives fas nolle meos, me Rege. potestas
Quam tibi jus tribuit nostrum, concessa merenti est.
Dum dictas facienda, mihi dum consulis, à me
Consiliis suprema tuis mandata petebas,
Mox nutu mutanda meo. fecisse cavebas,
Quod nollem fecisse prior. momenta laboris
Cuncta tui, regalis erant præscripta coronæ.
Suadebas meliora mihi: calcare superbos,
Et veniam dare subjectis: præferre cubili
Publica & agnatæ seponere gentis amorem,
Maternosque sinus, dum rerum summa laborat.
Hæc tibi mens: nihil esse domi securius, armis
Quæ Bellona quatit foris. hinc ivisse per Afros,
Scipiadem; traxisse suos trans Bactra Pelasgos
Pellæum. tunc bella premi civilia, cum me,
Cum Fortuna duces aliò vocat: are juvari

Arctoas debere acies vireſque retundi
Cæſaris, irarum cauſas in Cæſare nondum
Deleviſſe diem: nimiis ſucceſsibus Iſtri,
Proxima Gallorum tremere & ſe tollere Batim:
In Batavo multum eſſe rei, gentemque potentem
Plus bello, quam pace, frui, ſordere remiſſum:
Italiam veteris ſervare inſignia Galli,
Et repeti poſſeſſa prius: per Rhætica nobis
Saxa, viros, Martis ſocios & caſtra parari,
Arcerique jugis & amicis Vallibus hoſtem:
Principibus famam queri: ſpectare regentum
Diſsidia & cautè peregrinis litibus uti;
Adverſis fractiſque animos attollere rebus:
Diſsimulare vices pravas: vulgique favorem
Sollicito frenare metu. ſic quicquid agendum,
Omittendum etiam nobis, ratione monebas.
Vtilitas tua noſtra fuit. Te præſide, robur
Senſi Rex mihi grande dari, & ſe pulchrius oſtri
Finitimis oſtendit honos. venere triumphi
In numerum. ſe quæque novis ſucceſsibus æſtas
Extulit, Armandique aliquid dedit indole dignum.
Tu mihi, Dux, cenſus, tu vectigalia, ſceptris
Munimenta dabas. querulam compeſcere turbam,
Lenibus iratos ſtudiis componere patres,
Officii fuit omne tui. Tu regna meorum,
Diſperſoſque Duces concordi pace ligabas,
Extera magnanimis firmabas fœdera pactis,
Maximaque imbelli frangebas jurgia lecto.
Tu, cum membra ſenex traheres moribunda, feroxque
Inſtaret Libitina tibi, languenſque labanſque,
Non langues in amore mei, & dum deſinis orbi
Poſſe loqui, loqueris Gallo facienda mihique.
Magne Heros, ſi Patroclum ploravit Achilles,
Neſtora cantati Atridæ, ſi Memnona mater
Regia, ſi Cyneam Æacides, ſi Graja Periclem
Terra, parentabo cineri, & regalibus urnam

Adſper-

Adspergam lachrymis, & cunctis Regibus illud
Eloquar: haud similem sceptris genuisse priorum
Secula, nec similem Regum sperare nepotes.
Dixerat hæc Druidum rector, visumque querenti
Quassari gemitu solium, cum proxima Regi
Ad bustum conversa Ducis, sic ora resolvit
Gallia. *non habitu, qualem decet esse serena,*
Sed totas lacerata genas, dispersa capillos:
Qualis ad invicti narratur Cæsaris olim
Indoluisse rogum & Latiæ comes ipse sorori:
Illa ego, quæ dudum Hesperiis erecta trophæis,
Et laudum jam penè satur, post terga Philippos,
Oppidaque Austriacis jampridem erepta trahebam;
Ingredior funesta, gemens, in funere patris
Custodisque mei. niveis Victoria pennis
Nuper adorando Lodovici *Martia curru*
Sederat, electique ibant ad frena jugales,
Et diffusa meos agitabant gaudia cives.
Nunc misera in questus mater planctusque resolvor,
Dumque Ducis funus proprium contemplor, & excors
Subducor mihi, communis jactura parentem
Et me sæva rapit. tenebris involvor iisdem,
Quæ nunc involvere Ducem. ceu nubila Solem
Cum rapiunt fœdaque latet caligine cælum,
Tota dolet natura & tristi conditur umbra.
Sequana, qui pleno turges lachrymosus in alveo,
Dic mihi, dic Batavo vati, qua clade fatiscam,
Cui faciam jam justa viro. Vos pandite totum
In laudes Helicona Deæ, mihi suffice fontes
Phœbe tuos. si cuncta velim, si singula fari,
Laudatrix potero vel tunc exsucca vocari.
Ipsa dedi Armando *patriam. sed reddidit illam*
Vnanimem mihi, prælustrem tot fascibus, armis
Terribilem, ditemque opibus. proavosque genusque
A Gallis arcessit avis. spectabilis aulæ
Majorum fortuna fuit. sed gesta suorum

Transcen-

Transcendit titulosque nepos. qui prima juventæ
Ingressus spatia, immensus puer imbibit artes,
Præceptisque animum crescens implevit honestis.
Sive sacrosanctos illi Sapientia sensus
Tenderet & totum cæli inflammaret amore
Relligionis amor, seu rerum pondera sensim
Præciperet, Regumque sagax adsuesceret ausis.
Qualis in Eois surgit felicior hortis
Arbor & in tenera promittit cinnama cannâ,
Et dites Arabum messes. stupet ipse colonus
Luxuriem laudatque sui incrementa laboris.
Quis tibi tunc dolor Impietas? cum staret ad aras
Plessiacus, *populosque Deo, mortalia cælo*
Iungeret, ignarisque viam monstraret Olympi,
Et Phlegethontæas pavidis averteret iras?
Sic sanctam me, Armande, *facis. sed & esse potentem*
Me cupis & diadema meæ regale coronæ
Liliaque & nostri latè diffundis odorem
Nominis, & magnis animis sub Rege capessis
Frena gubernator, totusque offerris honori.
Cum discors essem studiis, mediisque laterent
Viscera visceribus contraria, & urbibus urbes,
Et partes faceret fidei sententia & audax
Arceret Regem pietas; tu Santonis arces
Expugnas bellumque undis indicis & urbi.
Omne cathenatum stabat mare. compede Tethyn
Strinxerat & tumidos Richeli *solertia fluctus,*
Terrarum metus & magni formido profundi.
Iam Rupella mea est, & Regis creditur esse,
Et paret mansueta mihi. clementia civem
Leniit & multum pietas profecit inermis.
Fregimus Albani metuenda cacumina Montis,
Claustraque Salmurii laudata modestia docti
Præsidis indulsit domino. Vir clare, sciebas
Imbellem præstare fidem & moderamine sancto
Posse Deo & pariter Regi parere minorem.

Egressa

Egressa est sors nostra foras. transcendimus Alpes
Pœninosque apices. illic mihi subdita cessit
Insubria, ingentesque Padi defendimus arces,
Compositique Italûm proceres causaque Quiritum.
Parte alia, qua se Pyrenes horrida tollunt
Culmina, disruptis generosa Colivria portis
Concidit, & longos patiens Perpenna labores.
Dum Regis nequicquam acies ad bella vocaret
Armatasque rates pelago. nunc omnis eunti
Terra patet milesque sinus grassatur in ipsos.
In Morinis adaperta via est. submisit habenas
Atrebatum, Hesdino potior, prærupta Bapamæ
Gallus habet populisque metum bellacibus infert.
Quis Rheno dominum imposuit? quis forte Brisacum
Saxonis obsidio domuit? nos fecimus illud.
Insultusque truces & signa minantia signis
Contudimus. duce Plessiaco, mihi castra stetere
Per longas durata hyemes Solesque tulere
Solstitioque graves Cancros, rabidosque Leones.
Quis malè connexos thalamos suspendit? in urbes
Detonuit, Lotharinge, tuas? timidoque Mosellæ
Institit? & toties victor detrivit honori,
Infelix Burgunde, tuo? tibi, Rhætia felix,
Reddidit? Ille fuit. non ullo gloria seclo
Emicuit mea splendidius. nec pluribus unquam
Præsidiis innixa steti. sum terror Ibero,
Finitimis tutela meis, solatia pressis
Præbeo, sum pacis peregrè armorumque sequestra,
Arbitra magnatum. Nunc raptum Gallia ploro,
Quem colui. quæcunque mei sit causa doloris
Materies, sunt Plessiacæ tot nomina laudis.
Nec solùm mea rura, focos tutatus ab hoste est;
Debent plura Duci. debent delubra, laresque
Tectaque cœlicolûm, turres, prætoria, portus,
Et quicquid passim meliori fulget amictu,
Ostentatque Ducem terris. ductore sub illo

Surrexere Scholæ grandes, nituere penates
Palladii Themidisque novis fulgoribus ædes.
Auctus honos Phœbo est, cunctis sua commoda Musis,
Sorbonæque decus, cujus de limine sacro
Dogmata facundi fundunt cœlestia patres,
Et lites doctrina pias exercet & anceps
Verum agitat famamque facit dicentis acumen.
Nec simplex dolor afflictæ est. sum Gallia triplex,
Et triplici sic parte mei dispendia fati
Sentio & occasu venerandæ lampadis altum
Ingemo, dissolvoque Comam; discinctaque nigris
Ingredior matrona Togis. Braccata recentes
Luctibus obtundo applausus, tristesque jubebo
Narbonem Salicesque meos iterare tumultus.
Tu Ligeris, pavidis Neptuno occurre procellis,
Oceanoque patri defer mea nuntia. clama,
Rectorem periisse maris dominumque Britanni
Æquoris, & portus omnes affl ge sinusque.
Tu Rhodane, Allobrogum qui per montosa vagaris,
Monticolas percelle tuos. dic ista Lemanno,
Audiat hoc Araris potor, rapidique Garumnæ
Accola; quique bibunt Isaram, laticesque Druenti,
Et Dubin, Italûmque altis se rupibus abdunt.
Nulla meos usquam recreent spectacula cives,
Amphitheatrales damnet, nunc lurida, pompas
Melpomene. non jam mendaci pulpita socco
Excutiant turbæ strepitum, nec ficta cothurnus
Funera det. jaceant dejectis carbasa velis,
Immutet Mavors habitus, lituusque profundum
Mugiat, oppressu imitentur tympana bombis
Captivos fumo tonitrus. qui sueverat acri
Perstrepere hinnitu sonipes, lamenta lupatis
Infremat, & guttis humectet grandibus ora.
Ipsa pedum pariterque enses Bellona feretro
Suspendat. geminis libertas nostra salusque
Præsidiis asserta fuit. non, qualia latis,

In sublime volent lentis incendia flammis,
Perque domos crepitent disrupta sulphure canna.
Non volo lascivas mentiri bella carinas,
Stagnaque remigibus circum spumare canoris.
Incedant tristes trabea. non jura tribunal
Ventilet. hoc cessent, qui nunc expungitur astris
Prala die. Diana tuis è montibus exi
Venatrix. vela clypeum Tritonia pullo
Tegmine, totque urbes Cybele, quot Gallia monstro,
Flere jube. tuque alma Ceres, mihi cernere talis,
Qualis eras, cum rapta tibi Proserpina manes
Pallentesque domos Erebi feralis adiret.
Sit plangens tibi, Phœbe, chelys, fidibusque remissis
Plectra negent vati sonitum. lachrymosa querensque
Virginitas Vestalis eat. se regia Iuno
Deturpet. spretos dissolvat fascia crines
Matribus. amissum Daphnin deploret Alexis,
Daphnin in silvis, Daphnin deploret in agris.
Tuque adeò pia posteritas, morientis honori
Hac insculpta legas æternis carmina saxis:

Hæc Richeli tenet urna Ducem, quem Roma verendis
Inseruit Latii Patribus, Prudentia cœlo
Extulit, Atlantem regalis purpura regno
Subdidit. hic ille est Rheni expugnator & Istro
Terribilis, fracti spoliis insignis Iberi.
Felix invidiæ victor. qui tela malorum,
Et conjuratos in Regia sceptra furores
Contudit, & late circum tot gentibus arma
Intulit. atque Alpes ultra gelidamque Pyrenen
Ivit ovans. sperata suis dedit ocia Gallis,
Terroremque foris. famam Regisq; suamq;
Francorumq; decus terras diffudit in omnes.

Dixit & hæc eadem ad tumulum Germania. *verùm*
Conscia privati longa inter bella doloris,
Colligit Armandi *titulos : quæ mœnia victa*
Reddiderit : quantas acies, quæ castra ducesque,
Quas Marti donarit opes : quo fœdere Catthos
Iunxerit : adversis pugnantem Saxona signis
Fregerit : immissis Vbiorum rura maniplis
Triverit : Arctoos armis erexerit ausus.
Inde Palatinæ flevit dispendia terræ,
Pugnantisque iras Bavari, violataque Bullæ
Nomina, surreptasque Dapes. speraverat illo
Incolumi, priscis Dominum potuisse reponi
Sedibus, & se Borbonio *regnante tueri.*
Aggressus mox Belga *loqui, Batavûmque potestas,*
Quos socii junxit pactum commune pericli,
Huic, inquit, defensa fui. cùm paupere censu
Nostra laborarent longis æraria bellis,
Venit in auxilium Princeps, & regia jussus
Scrinia, pro Batavis, se consultore, reclusit.
Quos castris præfigo duces, quo milite pugno,
Qui vallos gladiis fodiunt, quos trudit in hostem
Impetus egregiusque furor, mihi Gallia mittit.
Gens genti permixta mea est. ea lingua ministra
Militiæ ; quâ Nassovius turmasque virosque
Alloquitur. timidæ toties hæc tessera noctis
Audit & occulto servat tentoria verbo.
Cum mihi Bredanas ductor convelleret arces
Auriacus, Sylvaque domos, munimina, portas
Concuteret, dabat ille meis aptissima rebus
Tempora. belligeras Mosæ subduximus urbes,
Incussus Grudiis metus & trux Gennepa victa est,
Hoc alibi pugnante & delassante Philippum.
Dum Celtis Siculo res est cum rege, vagamur
Latius & patriæ pariter Belgisque mihique,
Armandus *vexilla levat. quos strinxerat enses,*
Strinxerat hos etiam sociis. dum Lilia fortis

Asserit, asseruit Batavi quoque septa Leonis,
Nostraque Borboniæ permiscuit arma tiaræ.
Hac tibi debemus, Richeli. nunc grata sepultum
Prosequor & meriti summas funesta revolvo,
Et fastis inscribo meis, & vatibus Orbis
Factorum memores Musas vocesque tuorum
Impero. dum nostras pulsabunt æquora terras,
Gallica dum Batavis pendebunt Martia templis
Signa Ducum, Ligeri faciet commercia Rhenus,
Dum mea Nannetum conscendent carbasa portus,
Dum mea spumantem vectabunt transtra Lyæum,
Dum fœtam mediis Cererem portabimus undis,
Posthuma Plessiacas extollam Belgica laudes.
Itala tum tellus ferali innixa feretro
Os aperit, Parmamque dolens dominumque Quiritum
Præcipites inflasse tubas. hæc jurgia, dixit,
Composuisse senex poteras. hac vocis egebant
Bella tua, tantum vita si fata dedissent.
Inde per Eridanum & pugnaces gesta Salassos,
Taurinosque refert. ubi cessit Imurea, cessit
Consiliis Tortona potens; ubi nescia vinci
Contemsit Ligurem, validis circumdata castris,
Bellatrix Cassala ducem; portusque Monœci
Non meus est. narrat Richeli Tellina laborem
Vallis & assertum Gallis iter: omnia Rhæto
Læta dari; Lariosque lacus posuisse tumultus
Centronesque suos: paci sua subdere fessos.
Rura Lepontinos: Arari se jungere Varum,
Cumque Pado Rhodanum domino coiisse sub uno.
Scilicet hæc norunt Benacus & Addua, novit
Ticinus, veloxque Athesis, quique ordine longo
Sublimis mediam me dividit Apenninus.
Nec tenuit vocem similis Catalaunia flenti,
Utque erat impatiens, cur me, proh Iupiter, inquit,
Destituis tutore mei, quem nuper amicis
Fluctibus Illiberis vexit, quem vidit ovantem

Narbo,

Narbo, suis therma lymphis fovere labantem.
Me Tartesiacis inimicam regibus ille
Munit auxiliis. validis cum classibus una
Impeterer, tremerentque infesto remige portus.
Illius effectum studiis, ne castra timerem
Bætica, Castellaque minas, sed tutior esset
Liligero sub Rege salus. felicius arma
Vindice sub tanto quatiit Tagus, & sua servans
Sceptra sibi, veteres iratus spernit habenas.
O Superi, cur exequiis, cur clauditis annum
Luctibus? illustrem quem tot fecere triumphi,
Tot rapta Hesperiis urbes. tu testis Ibere es,
Tu Sicoris, tu Tarne, ut se Roscellio totam
Totaque tradiderit submissis Barcinon armis.
Et dubitamus adhuc Armandum extendere factis?
Talibus inter se magna doluere Sorores
Vocibus, inque suos traxere tot oppida planctus,
Et silvas fluviosque. cavis è vallibus Echo
Exaudita fuit dixisse novissima verba.
Fontibus insoliti passim fluxere liquores,
At crystalla suis, veluti lachrymantia, stillis
Altis obriguere jugis. facta unda lapillus,
Et stupuit Niobe terrarum, marmora, costas
Posse queri & saxis sensum superesse malorum.
Quin iterum Phaëthontææ flevere sorores,
Non malè consulti miseranda incendia fratris,
Non præceps pueri facinus, sed busta verendi
Principis, in casus quem dudum armaverat omnes
Provida vis animi, & variis exercita fatis,
Solaque fortunæ ancipitis prudentia victrix.
Quas Ducis exegi laudes, vox publica dixit.
Tot gentes fecere suum. Vox altera restat,
Sed privata magis. coït in præconia latè
Pegasidum chorus & Druidum sub pectore vates
Concutiunt agitantque Deum. vix Sequana lessis
Sufficit. exsiccant Pimplæos carmina fontes,

Votaque magnanimum comitantur Celtica funus.
Ista domi cantata licet, meruisse favorem
Et possunt debentque tuum, Rex Iuste, *sepultum*
Advena spectatum venio, cinerique Ducique
Illa locuturus, quæ nec tua Gallia spernet,
Et mea me cogit pietas, Auguste, *fateri:*
Optime consultor Patriæ, cui vita cucurrit
Per laudum subvecta gradus, qui templa, coronas,
Rostra, togas, laurosque, Duces, certamina, Musas,
Et pelagi curam ingenio complexus eodem es,
Immortalis obis. tumuloque inclusus, eodem
Egrederis tamen, & gentes diffusus in omnes,
Cunctorum linguis veheris. mors pallida dicit
Extinctum, sed fama negat. non cerneris aulæ,
Et tamen aularum mentes mens ista gubernat,
Et Genius tuus antè oculos Regisque Ducumque
Et regni Procerum, recti inspirator oberrat.
Non opus est custode tui. discede satelles.
Non jam defensoris eget. sine milite vivit,
Et cœlos imbellis adit. non victima, Princeps,
Vindicta violenta cadis. Dî tollere solùm
Hoc valuere caput. stupuere ensisque furorque,
Dum Superûm te munit amor. si terruit hostes
Mars tuus; ad nomen Richeli *nunc horret & excors.*
Pallet Iber, priscique aliquid terroris in umbra est.
Tota Duci tumulus fit Gallia, tota sepulchrum est.
Quattuor hoc librant ingenti mole columnæ.
Quarum Relligio *prima est, cui dextra volumen*
Gestat adorandum populis, at læva Tonantis
Tecta notat. valido insistens Constantia *saxo,*
Stat juxtà, pedibusque metum conculcat & iras.
Tertia se partes Solertia *versat in omnes,*
Et ventura videns, retrospicit. ultima Regi
Se tollit jurata Fides, *dextramque coronæ*
Imponit, patrii custos fidissima regni.
Tra tumulo stat Fama, *cui cava buccina* Magnum
Intonat

Intonat Armandum *cælo terraque marique.*
Illa super Gangen, super ostia divitis Indi
Exaudita fuit, totumque implevit Hydaspen,
Memnoniasque domos, & prisca vocabula, Sinas.
Illa per Occidui penetralia dissita Phœbi
Ivit, Hyperboreis Sueonumque remugiit aulis,
Lappionumque vagas rupes transgressa, resultu
Transiit Herculeos fines Calpenque Abylamque
Atlantisque jugum, latéque perhorruit Auster.
Quid Livor malesane furis? non læditur Atlas.
Nubifer est. quid defunctum vesania mordes?
Te testem virtutis habet. tanto altior Heros
Erigitur, quanto in cineres crudelior audis.
Non feriunt Solem tonitrus, nec sidera fulmen
Verberat. in vivo dentem fregere rebelles,
Felici nil verba nocent. tot gesta silenti
Caussas pravus habet. nulla est victoria major,
Quàm cùm confessus meritis pessundatur hostis.

IN EFFIGIEM ejusdem Cardinalis.

Sic sculptum scriptumque Ducem, cape Sequana noster
Quem procul Arctois Amstela mittit aquis.
Principis hæc facies, hæc magni Nestoris ora.
Talis adorandum Purpura fulcit ebur.
Pallada Mavortemque vides. par Infula sacris,
Par castris, vasto par, LODOVICE, *mari.*
Francorum Par grande, sui venerabile lumen
Stemmatis, Imperii gloria prima tui.
Qualia, sublimis RICHELI, *mens sidera volvit.*
Quæ Populo, Regi, quæ vacat una Deo.

IN INSIGNIA
ejusdem Cardinalis.

PAllia Sidonio pulchrè radiantia succo,
Pilea fasciolis ista liganda suis,
ARMANDUM *trabeasque notant, Latiique Senatus*
Nomina, Tarpejo proxima sceptra patri.
Anchora Neptuni fluctus spatiosaque subdit
Æquora & immensis jura ministrat aquis.
Cetera sunt stirpis decora. at quæ pendula Crux est,
RICHELIUM *augustis inserit Ordinibus.*
Sic fulges, Dux celse, domi. sed mentis honores
Gestorumque, vehit nuntia Fama foris.

Ad Serenissimam Principem, ELIZABETHAM, Frederici Bohemiæ Regis, Comitis Palatini, S.R. Imperii Electoris Filiam, natu maximam.

REgia progenies, tua quæ cunabula terris
Dividis & Superis; seu te de matre Minerva
Rex genuit, seu Rege satam formavit Apollo,
Et totus labor Aonidûm; clarissima Princeps,
Vera Palatinis majestas debita regnis,
In Batavûm peregrina solo, si vatibus olim
Fas fuit affari Superos, sceptrisque potentum
Et, formidatis quamvis, placuêre tiaris
Carmina: sume, Tibi quod consecramus, ELIZA,
Feminex virtutis Opus; thalamique labores,
Fortunasque thori & memoranda exempla procantum,
Et conculcatas in amantum corpore leges
Perlege, & in priscis agnosce novissima seclis.
Hic partes agit unus Amor, viresque Dione
Explicat ingeniosa suas. hic tela facesque
Exacuit quassatque Puer. patet omne sagittis

Pectus

Pectus & æterno sociantur fœdere nullâ
Sorte pares. nubunt spretis diademata rastris;
Purpura contemptæ fit rusticitatis amatrix,
Æstuat in gibbo Regum generosa propago,
Ipsaque nobilitas fœdis amplexibus ardet,
Et Phlegethontææ promittit basia nuptæ.
Nescit jura Venus. primi sine veste parentes
Conveniunt, nubunt geminæ sine lege sorores,
Innocuas rapuisse nurus exceptio pravi est.
Bis stupro malè Graius ovat; raptique pudoris
Supplicio præfert thalamos, sine bile Iocasta,
Quemque cupit Tryphosa mori, vult altera vivum.
Rara thori facies. lecto miscentur in uno
Dissimiles. non semper amat prudentia. crebrò
Conjugium Fortuna facit, nec gnara futuri
Mens hominum cœcusque furor. non visus amator
Sæpius ignotis dominæ circundatur ulnis,
Et vasti quamvis secretos finibus orbis
Momento vis blanda ligat. mirabile lecti
Ingenium casusque stupe. vesania nuptas
Inconsulta rapit. nuptis succedimus, eheu!
At simili ratione, mares. insania tedas,
Sed communis, habet. quid enim? si filia turpem
Deperiit formosa Craten Cynicoque paratu
Incessêre pares; etiam perversus amator
Persa fuit, cum regales confunderet ignes
Ignibus Aspasiæ, & solio consedit eburno
Thyllis & illustri dixit suffragia Medo.
Sic lascivit Hymen & tot variabile formis
Numen habet. solis, Princeps, miracula saxit
Basiolis. portenta potest cum matre Cupido.
Nil intentatum scelerisque dolique relinquit
Abdita vis gremio. solùm sine crimine nupsit
Prima parens, & juncta sacris Ecclesia vinclis,
Sponsa Creatoris magni, Christique voluptas,
Et restaurata facies augusta salutis.

Hæc canimus, Regum soboles. sunt illa furoris
Vatibus argumenta tuus. sic esse videmur,
Quæ loquimur, grandesque canens mens libera nuptas,
Has ipsas, velut amplexu, complectitur omnes.
Iam Rhodopen, nunc Aspasiam, nunc tangere sagam
Credimur, aut teneram gerimus cervicibus Emmam,
Aut nostris Preciosa libens sua commodat ora
Basiolis, latique istis applaudimus umbris.
Felix turba poetarum, quæ Regibus adstas,
Cum sceptris, sine labe, cubas; das oscula centum
Versibus, ingenium thalamis intrudis & aulis,
In Medos peregrina ruis, fis accola Iudæ,
Hospes ad Euphratem graderis sedesque beatas
Fortunatorum nemorum. Te regia Cyri,
Nunc Assur, mox Gallus habet. per longa vagaris
Terrarum spatia, &, patriis procul exul ab oris,
Fingis cuncta domi. Tibi si, regalis ELIZA,
Hæc volupe est legere, atque oculos per singula volves,
En nostris, Princeps, alio transvecta Camœnis,
Ad Persas nobiscum ibis, Thebasque potentes,
Et Magni limen Caroli, celebrisque Tholosa
Rostra salutabis. pariter spectabis amantem
Primævum per rura Patrem, sub frondibus Evam.
Mox siluisse Leam tam longa nocte stupebis,
Atque ementitæ partes obiisse sororis.
At tunc subridere tibi, augustissima Virgo,
Fas erit, impostor cum dentem dente Güerra
Totque refert maculas maculis. cum sutor aberrat,
Calceus, & quotquot pueris vixêre magistri,
Cum sartore toga, atque ipsa cum conjuge nutrix.
Tunc præsaga tui, forsan ventura notabis,
Quosque parent tibi fata thoros, & digna tiaris
Federa, cum pandæ Manto signacula palmæ
Inspiciet, Regemque tuo sub pollice cernet.
At tunc se plenis Majestas vestra cachinnis
Effundet, cum femineos natura labores

Invertit,

Invertit, factusque suæ vir sarcina Sponsæ est,
Et totum Regis soboles fert tergore Scribam.
Cum Rhodopen, Veneranda, leges, ne sperne puellam,
Quæ Regi laudata suo est. dum causa procantum
Excutitur, decide sagax. Tu dilue judex
Tot juvenum studia, aut litem compone suavem.
Discutient lepidos cœlestia vincula casus,
Et procul in Pharios, Virgo, subvecta penates,
Cantabis Salomonis epos, formamque genusque,
Et nuptæ sublimis opes & gaudia disces.
Tunc demissa, licet terrenis fulgida sceptris,
Numen adorandum populis, Dominumque salutis
Autoremque tuæ, nomen venerabile cœlo,
Descriptumque coles sacrâ sub nube Tonantem.
Proles vera Ducum, cunctas tibi callidus artes
Pandet Amor, Tua quas licet ignorare recuset
Majestas, sprevisse valet. quæ scripta placere
Fortè queant, imitanda fugis. sunt Regibus illa
Infames scopuli, non sunt exempla sequenti.
Quamvis rara tuam decoret Sapientia mentem,
Virtutumque chori illustri se pectore condant,
Linquis docta Craten. regum sapuisse maritas,
Sit satis Imperio. careant Doctore marito.
Cum mediis Sponsam Cyrus raptaret in agris,
Visa nimis petulans est purpura. blanda potestas
Nil rapit, officiis cives & rura tuetur,
Nec cuiquam volet esse gravis. cum Filia Regis
Bajulat Emma virum, tanta deliria taxas
Principis & fatuum thalamis proscribis amorem.
Tot vitiis infracta sapis, Batavosque Poëtas
Et CATSI *præcepta gravis vocesque salubres*
Vertis in obsequium recti. cum Pallade jungis
Æthereum pietatis opus. moderantibus orbem
Das exempla pudicitiæ. conspectius omne
Credis in hoc sexu vitium. tunc perplacet ostrum,
Cum Superûm mandata facit, vitasque potentum.

Justitiæ vis esse Pharon normamque decori.
Fortunam prudenter habes, cum prodiga læti est.
Compescis, cum sæva furit, cum regna novercans
Subruit, hos constans tonitrus, hæc fulmina calcas.
Quot latè fulges titulis, quot stemmata longè
Sceptriferis arcessis avis, tot dotibus anteis,
Totque faces inter morum Cynosura coruscas.
Da veniam fassis, Princeps. si buccina laudis
Non sumus apta tuæ. tantis subsidimus astris.
Non patimur regale jubar, nec lumina, Virgo,
Intuitus veneranda tui. perstringimur illis,
Et jam visus hebet pavidis. Te nubibus abde,
More Deûm. forsan sic te perferre loquentem
Possumus & tres per nebulam Tibi tradere Vates.

IN EFFIGIEM ejusdem Elizabethæ.

Fortuna domitrix, Augusti maxima Regis
Filia, Palladii grandis alumna chori,
Naturæ labor, hoc vultu spectatur ELIZA.
Et faciem fati vim superantis habet.
Exulat & terras, quas nunc sibi vendicat Ister,
Iure, patrocinio, spe putat esse suas.
Si patriis Cæsar titulis succensuit, illud
Frangere debebat Cæsaris arma caput.

C. BARLÆI

POEMATVM HEROICORVM

LIB. II.

Qui AVRIACVS inſcribitur.

MANES AVRIACI,

Sive in funus Illustrissimi, ac Invictissimi Principis, MAVRITII, Principis ac Domini Aurantiæ, Comitis Nassaviæ, Cattimeliboci, Viandæ, Dietsiæ, Meursiæ, Buræ, &c.

EPICEDIVM.



Idera Belgarum sociis contraria regnis
Neptuni terrent populos, & fœdere lævo
Errabunda truci concurrunt lumina vultu.
Nec victi Superûm placarunt numina (*Boii,*
Et cæsæ ingentes animæ: non pulsus avitis
Sedibus, & patrio Nemetum de limine Princeps:
Fatalesque vices Batavûm: non funera magni
Regis, & attoniti rapto rectore Britanni:
Et quæ plura ferox nuper portenta cometes
Prodidit, & diris præcidit stamina fatis.
Omnis in Auriaco crescit dolor; & sua damnans
Gaudia venturos præsentit Belga labores;
Dum tanti Ducis arma jacent; nec ahenea cassis
Cingit honoratam media inter prælia frontem,
Aut Marti dat jura suo, nec fœta triumphis
Gloria devictum prorsus sibi spondet Iberum.
Ex æquo sors illa nocet. nec simplicis umbram
Funeris urna capit. morimur cum Principe cuncti,
Et patriæ ruit alma salus. decessimus omnes,
Et bustum commune sumus. nec publica tantum
Nomina luctus habet; potius privata dolemus
Augustos pia turba rogos, & proxima letho
Agmina ferali trahimus suspiria planctu.
Occidit Hesperiæ terror, spretique Philippi

Opprobrium, & manes dudum satis ulta paternos
Dextera; cui niveis toties invecta quadrigis
Inclyta devictas patefecit gloria portas.
Nec laudem morientis habet, bellove cadentis
Cantaber; aut tantos potuit sperare triumphos,
Dux Italus. soli excellens prosternere fortes
Dii valuere caput; nec victis debita terris
Vna triumphanti cessit Victoria cœlo.
Succubuit Mars ipse viro, quem cedere ferro
Sæpius, & pressis aciem diffundere castris
Vidimus audaces Batavi; nec rectius ensem
Bellonæ strinxere manus. cœlestibus armis
Pugnaces cessere minæ, tantumque supremo
Concessum superare Iovi. Regnator aquarum.
Et magnus Belgî domitor, tot nomina laudum
Victricesque aquilas uni submisit Olympo,
Armorum bellique satur. seu fata vocarunt
Emeritum, terraque omnes explevit honores;
Seu gravis ira Deûm est. poteras non clarior ultra
Magne Heros vixisse tuis, nec dignius unquam,
Non victâ virtute, mori: dum personat orbis
Militiæ documenta tuæ, geminoque sub axe
Attonitas feriunt felicia classica gentes.
Iam spatium meritis aliud, jam sidera deerant
Altera, quo victor proprios deducere Cattos,
Aut immansuetos possis transferre Cheruscos;
Aut socium Tamesi Scotum; vel fervida Celtæ
Pectora, & infracto braccatas corpore turmas.
Nec voluit superesse manus, quæ fessa laborum
Quadruplici tumidas meruisset cardine lauros,
Et fama complesset opus. spectaverat Auster
Pacatum, nostris captivum classibus, æquor
Ferre jugum, & Batavis Chilen ardere favillis.
Malbarici patuere sinus, Phœbique cubile
Illius auspiciis missus compresserat hospes,
Et thalamos Aurora tuos, & torrida flammis

Littora:

Littora: qua rapidâ stipatus Mænade Liber
Invida prædixit nostræ commercia terræ,
Quasque mari portamus opes, venturaque sero
Carbasa. terruerant gelidum quoque transtra Booten,
Extra anni Solisque vias: ubi verba fretumque
Nassavii æterno servat sub frigore Tethys.
Scilicet hac hosti brevior tentata nocendi
Semita, & Eoi quæsita potentia regni,
Qua glacies & dura aditus natura negavit;
Nec sequitur Cancri damnatus finibus Æthon.
Hoc totum potuere rates: nec vincere terrâ
Sat fuit, Oceanum medioque natantia ponto
Regna capit Nerei soboles; subjectaque nobis
Alterius convexa poli. Ductore sub illo
Conventum gemini sceptris communibus Indi;
Iunximus Europam Numidis, Asiæque potenti
Battaviam: Gangi frenatum littore Rhenum;
Ipsam Helicen cum Solis equis; commercia Nigris
Invehit in Vahalim; & toto volitantia mundo
Æmula Romanos transcendunt carbasa fines.
Nec tamen ante Duci nascentem subdere Solem
Cura fuit, quam tuta domi fortuna stetisset,
Limitibusque exisset Iber; quam pristina rursus
Reddita libertas patriæ, depulsaque Bætis
Imperia, & sacro quæsitus nomine lictor.
Iam puero Martis rabies, hostemque premendi
Ardor erat, galeæque micans in vertice fulgor,
Et procul adverso nutantes flamine cristæ,
Et fremitus spumantis equi, strepitusque virorum,
Tympanaque in mediis spirabant prælia campis.
Armabat ballista manum, gladiumque peritus
Stringere, & edoctam Thrëcum præcepta macharam,
Ibat in hostiles cuneos, lituique tubæque
Pugnandi fomenta dabant. hæc sola voluptas,
Inter pugnaces gressum librare maniplos,
Et mixtos linguis populos. Iam jussa phalanges,

Et leges

Et leges acies capiunt; jam nominis horror,
Ipsaque majestas animos, atque effera duri
Militis ora tenet poterat regnare silendo,
Et nutu Dictator erat. nec gloria belli
Expectare virum voluit. Prætexta triumphos
Adspicit, & rudibus Mavors se ostentat in annis,
Præsagus tantorum operum laudisque futuræ.
Altera Troia dolis capitur, primique laboris
Præmia cespes habet. voluit se vincere demens
Hostis, & invictis infert fatalia muris
Pondera lævus Iber. stupuit fortuna, suumque,
Cum vicit, laudavit opus; ne Græcia felix
Sola foret, fraudisque suæ præconia ferret.
Nec tantum placuere doli, fallaxque juventæ
Commentum, nostroque Sinon sub sidere natus?
Plus acies, plus dextra valent, pariterque Philippum
Et virtus domat, & ratio, fortuna laborque,
Visque favens Superûm: nec Belgis sufficit uno
Victores audire modo. Tu conscia rerum
Dic mihi Calliope, (neque enim sine numine Divûm
Vicimus, aut tantos fas est memorare labores)
Dic acies, actasque animis in prælia gentes,
Oppida victa manu, captivas classibus undas,
Victores Asiæ populos, & subdita Cattis
Littora, & hostili manantes sanguine terras.
Post scelus Hesperium, patriaque infanda parentis
Fata, Britannorum ratibus contexerat æquor
Cantaber, & magnam debellaturus Elisam,
Pleumosios Mornosque inter spe vicerat hostem.
Cui veniens paucis Batavûm manus obvia transtris,
Fluctivagas acies, totique minantia ponto
Castra Caledoniis Thulesque illisit arenis,
Pinus ubi, laceraque notarunt æquore puppes.
Post etiam accensas Arctoo milite Gades,
Et flammas Tartesse tuas, spoliataque ditis
Regna Tagi, & vacuas Eoi mercibus alnos

Vidimus,

Vidimus, & victam claro certamine Calpen :
Tunc cum belligeras illi subiisse carinas
Cerneret Oceani quondam regnator Iberus ;
Nec posset superare domi : cum proxima regi
Littora Baticola magnis Heemskerckius ausis
Vreret, & fractas audaci Marte carinas,
Disjectasque trabes adversus cerneret Atlas.
Hac pacem tum bella dabant. sensitque superbus
Velleris aurati fatalia tempora custos,
Et timuit bellare diu. Nos classibus ultra
Ivimus, &, medium qua Sol disterminat orbem,
Vicimus, ut spatiis axes contingeret aequis
Auriaca virtutis honos. Nos arva priorum,
Et Fortunatas illo sub Principe terras
Pressimus, & puppes cantatis fiximus oris.
Sed pelago me terra vocat. Sat maxime ductor
Tempora rostratâ fulgent tibi vincta coronâ.
Altera Nassavios qua cingat laurea crines
Texitur, & fusos toties testabitur hostes.
Dic clades Brabante tuas, dic nobile lethum
Varaxi, casosque duces, dispersaque campis
Funera, stillantes fumanti sanguine cristas,
Membraque trunca virûm, & squallentia corpora tabo.
Flandria, cui sero semper memorabitur avo
Altera lux Iuli, quantas in littore strages
Spectasti, minus aqua tuis ; cum compede vinctam
Hesperiam, & totas traheret post terga phalanges
Victor Arausiades ; patria cum tota perire
Debebat, vel stare salus ; & Belgica concors
Hostili conclusa solo pendebat ab armis.
Hinc fluctus, hinc savus Iber, vel laudis amorem
Suadebant, vel foeda trucis ludibria ponti.
Causa Diis placuit. favit pugnantibus aether,
Nec Titan infestus equis. Iam vincere Flandros,
Iam nostros fortuna videt. jam cedit Iberus,
Iam Batavus. nutat Mavors ferrum inter & enses,

Nunc

Nunc alius, nunc rursum alius. spes neutra triumphi
Ancipitisque diu cœlum discrimina belli (*est*;
Dividit; *ingentes donec dux Belgicus iras*
Colligit, & sparsas capto rectore cohortes
Occupat, & casos Alberto Cæsare manes
Vlturus, magno inferias mactavit Adolpho.
Quid mihi Pellæum juvenem grandæva vetustas
Objicis? & victas discussis mœnibus arces,
Sidona, magnanimamque Tyrum? quid Persica jactas
Agmina, quid vasto metuendum corpore Porum
Illius cecidisse manu? licet impiger Hellen
Spreverit, & rapido terrentem flumine Tigrin,
Mauritio minor ille fuit: neque tantus in arma
Ivit ovans Macetes. Asiam vicere sarissa.
Imbelles vis docta viros. nos miles Iberus
Exercet, fertque arma armis non dissona Vesper.
Cesserit Euphrates illi, nos vicimus æquor;
Ille Scythas, mollesque Arabas, desuetaque bello
Nomina Bactrorum, & diffusos finibus Indos;
Nos, qua terra patet, Solem Batavosque sub uno
Clausimus imperio. nos duri cornua Rheni
Fregimus, & Mosam pariter Vahalimque Sicambris
Vinximus, atque istos longè superavimus amnes.
Auxit Nassævias superata Daventria laudes,
Accessitque prior titulis Zutphania nostris.
Das fasces Neomage duci: das præmia belli
Hulsta potens: tantisque etiam Stenovice triumphis
Adderis, & celsam vinci potuisse Covordam,
Obsessamque iterum vinci haud potuisse Covordam,
Vidisti, Frisiæ columen. Nec montibus hæsit
Tutior, aut Dominum Gertrudisberga Philippum
Passa diu, precio venales reddidit arces.
Mox quoque non victa per secula multa Groningæ
Mœnia celsa ruunt, aquilasque & jura Leoni
Cæsareus submittit apex. Iam fœdera poscit
Meursia, jam domitas adportat Berka secures,

Et veteres parent Salii. Brefordia pacem
Mutato rectore capit: nec jungere dextras
Grolla timet, regique cupit validissima vallo
Linga nihil debere suo. Quàm Gravia vellet
Se vinci potuisse prius, metuendaque Slusa
Toxandris; tunc cum celeres in bella triremes
Mitteret, & Boreum terreret Spinola pontum!
Tu quoque, victa licet, nostris accede trophæis
O victrix Ostenda diu; quam tertia messis
Cantabricos vidit spernentem impunè furores;
Nec totam potuisse capi. das frusta Philippo,
Dumque peris jam facta minor, nova mœnia condis,
Totque urbes ex urbe trahis. Spectate nepotes
Ilion in Morinis. Hæc nobis altera surgunt
Pergama, nec solis illudit Troja Pelasgis.
Vrbs jacet ad Vahalim, priscis celebrata salinis,
Bommela, Mendozæ opprobrium, & fugientis Iberi.
Vindicat obsessam Auriacus, clarusque triumphis
Inclyta laurigeris attexit gramina sertis.
Victorem conspexit hyems, & frigore duro
VVachtendoncha ducem patitur. divenditur ære,
Et cinctum gemino mercamur flumine castrum.
Iuliacum vis ista domat, geminisque petitum
Principibus litem Batavo tutore diremit.
Vltima Nassavios explevit Berga labores;
Nec timuit secura minas, & subruta furtim
Mœnia fallaci Liguri. concedimus hosti
Nil præter pugnæ spatium. quo prima locarant
Castra loco belli Proceres, hac parte steterunt,
Et tumulum posuere sibi. concurritur armis
Cominus, & solo libertas sanguine tuta est.
His titulis bellator ovat, nec nomine ab uno
Emeruit famæ precium. Non clarius unquam
Alta triumphali scandit Capitolia curru
Cimbrorum domitor; vel qui Tellæa Quirino
Sceptra dedit. nunquam dominas comitata curules

Iustius Ausoniis fremuerunt agmina portis.
Intereà, dum tanta Heros praconia laudum
Congerit, & domito placatur Vespere Mavors,
Non semper fera bella placent, sed redditus astris
Æthereas arces, superûmque ingentia tecta,
Et circumfuso pendentia fornice templa
Mente capit, quas Tycho sagax edisserit artes,
Quas Belus, quas prisca Pharus, vel califer Atlas,
Brachmanumque schola, vel docta Cecropis arces,
Quasque Syracusius formas inscripsit arenis.
Vt nova & antiquis oracula dissona seclis
Edat, & ardentem sistat Copernicus æthram;
Terrarumque globum, magnaque habitacula Vesta
Audaci ratione rotet, totumque profundum
Verset, & hac celso suspendat pondera cælo.
Nunc Pallas, nunc arma juvant, nunc sidera fulgent
Explorata Duci; nunc terras milite subdit,
Quasque domat, metitur aquas. stant ocia cælo,
Bella solo, placidusque suas in cortice pugnas,
Nec nocitura videt tenerâ certamina chartâ
Mars pater, & doctos miratur surgere vallos,
Et scriptas foliis acies: seu cornua campis
Stare volet, seu signa ciet contraria Mavors,
Aut peditem circumdat eques, cuneosque reducit,
Aut laxat Bellona suos. Sic tempora quondam,
Et malè currentes Romanis reddidit annos
Cæsar, & Ausonios scripsit post pralia fastos.
Sic Macedo positis clypeo paulisper, & hasta,
Troiugenûm Dolopumque manus, & Dorica lustrat
Agmina, pugnandique capit de carmine leges,
Bellandique modos. O quam ventura stupebis
Posteritas, cum nascentes in secula libros,
Nassavioque duci scriptos miraberis orbes!
Ille ducum domitor, victus cui paruit armis
Hesperus, atque oriens juravit fœdera Titan;
Qui Tartesiacas flammis ultricibus oras

Terruit,

Terruit, atque alio posuit victricia mundo
Signa, nec Austriacos timuit damnare furores,
Inter bella docet. validas qui verterat arces
Miles, & Hispanis aspersit cadibus aequor,
Scripsit, & imbelles etiam secessit in artes.
O rerum fatique vices, atque invida terris
Iussa Deûm ! nimium superis tu Belgica tellus
Visa potens. moritur patriae spes omnis, & omnis
Gloria Cattigenûm : docuit qui cedere Rheno
Batin, & ad Phoebi suspendit limina lauros.
Libertas perculsa stupet, sequimurque feretrum
Exanimes Batavi, compressaque pectora luctu
Solamur lachrymis. intonso crine Sicamber
Ambulat, & querulo Valachri sua murmura ponto
Ingeminant. Frisiis gemitus in vultibus haerent,
Nec Flevus sua damna tacet. Germania sorti
Hoc dolet accessisse suae, cunisque superba
Principis, in tanto deponit funere fastum.
Iam Rhodanus, nostrisque olim defensus ab armis
Sequana, per vastos trudunt sua flumina fluctus,
Et solos nos flere vetant. Iam tristis Ierne est,
Quaeque Caledoniis frigent in saltibus urbes.
Communisque memor generosa Britannia belli.
At vos, Adriaco jurantes sceptra profundo,
Ad Belgas properate Patres ; pars foederis haec sit,
Condoluisse malis. Tuque invictissime Regum,
Terror Hyperboreae gentis, gelidosque triones
Et Moschum, Gustave, domans, dum praelia victor
Conficis, & pulso nescis concedere regi,
Tantisper te redde tibi ; dum luxeris orbum
Mauritio Batavum & sociae dispendia gentis.
Heu quis ad Indorum populos, ad littora Gangis,
Memnoniamque domum tam clarae nuncia mortis
Deferet ? ereptum te nobis, maxime rector,
Audiet Euphrates, & conscia nominis Helle,
Ingentisque Asiae domitor, veterisque Iugurthae
Imperia,

Imperia, & faciles nobis Carthaginis arces.
Te quoque, ſis licet hoſtis, Iber, miſereſcere tantis
Poſſe reor damnis. Docuit te prælia princeps,
Et multum hac virtute ſapis. dum plurima perdis
Oppida, quod reliquum belli inclementia fecit,
Iam diſcis ſervare tibi. quo Marte periſſes,
Iam perſtas, Martemque pari Mavorte fatigas.
Hoc ceſſent; precor, arma die, lituique priores
Diſſimulent in morte iras, ne barbara manes
Claſsica ſollicitent: dum verſis ambulat armis
Miles, & ingenti tumulus decernitur umbra.
Magne Ligur, non jam clades hæc dextra minatur
Bellatrix, nec caſtra locat contraria caſtris.
Securo ſpectare licet. ſi diſplicet hoſtis,
Qualis ad obſeſſam riſit tua fulmina Zomam:
Tu ducis officium, tu docti militis artes,
Atque hoſtem diſcerne tuum. laudabis in illo
Invitus, quod amare nefas. hoc Belgica dices,
Emicuit ductore diu, regiſque peroſa
Iuſſa ſui, veteres armis victricibus iras
Vlta fuit, tantoque ſui ſtetit obſide fati.
At tu Naſſaviæ gentis magnique parentis
Gloria, bellatrix anima, & jam debita cœlo
Progenies, priſco dux exæquande Camillo,
Æmule Scipiadum, jam libertate reductâ,
Et debellati ſpoliis Orientis onuſtus,
Totque ducum exuviis, infer cœleſtibus aſtris
Emeritum bello caput, & qua deſpicit orbem
Maximus Alcides, & nomina nata triumphis,
Addere ſideribus ſidus. tibi ſævus Orion
Cedit, & Arctoas cuſtos Erymanthidos urſæ
Pandit ſponte fores; ſua carbaſa porrigit Argo,
Certe alium vectura ducem. tibi fervida cœli
Regna Cleonei deſpondet ſtella leonis,
Et retro vult ferre gradum; nec triſte minatus
Pronior Auſtrales vergit Capricornus ad oras,

Indigetemque invitat ovans. quacunque micabis
Parte poli, domitas isto sub sidere terras
Adspicies. si servet Eos, fumantia sub te
Æquora, & infesta flagrantia transtra Malacca
Discutient fulgore diem. si displicet ortus,
Occiduique placent augusta palatia cœli,
Hic tibi magnanimo tellus inventa Columbo
Hesperias monstrabit opes, & dedita nobis
Mœnia, Sacratosque sinus. si vergis ad Austrum,
Amstelio cernes nuper freta pervia Tiphy,
Scriptaque Mauritii longinquis nomina terris.
Si legis Arctoi glacialia sidera mundi,
Hic quoque constructas Batavûm mirabere villas,
Et populi monumenta tui, duroque perustam
Frigore Neptuni sobolem. Sed mitia si te
Astra vocant, placidosque inter censeberis ignes,
Qua tenet inclusos habitabilis orbita Belgas,
Et dextrum ferit umbra latus, devicta videbis
Oppida, disjectas acies, belloque cadentes
Egregias heroum animas, nec inulta parentis
Busta tui, fœtam spoliis pendentibus Hagam,
Placatum Vahali Rhenum, desuetaque regum
Imperia, & patriis firmatum legibus orbem.
Nos cives, pia turba, tui, jam publica luctus
Argumenta damus, votisque reposcimus umbram,
Præcipitesque colos querimur. Te Fama perennis
Per terras pelagusque vehit, suppostaque nostris
Littora litteribus, quaque explicat aureus æther
Templa Deûm, vastosque expandit Iuppiter axes,
Clangenti canet arma tubâ; nec tanta silebunt
Bella prius memores Belgæ, quam flumine verso
Irriget Hollandos Athesis, Sabrina Sicambros,
Parrhasiisque jugis Tanais delapsus, & Indus,
Mutato Batavas pulsabunt littore terras.

De FREDERICI HENRICI Auransiorum Principis Præfecturâ

PANEGYRIS.

BElgica, quam magno circumfluus æquore Nereus
Tundit, & inviso tutam secludit Ibero;
Quæ socias sacro junxisti fœdere terras;
Nec rigidi fers jussa Tagi, calcataque Regi
Hesperio paribus propugnas jura periclis:
Sit mihi fas tibi fausta loqui, lætumque precari
Augurium facilesque Deos; dum prospera diros
Discussit Fortuna dies; & falciger iras
Lenit, ac facili procurrunt sidera motu.
Explicat ipsa suos oriens Aurora jugales
Lætior, & mœstos defuncto Principe vultus
Expandit meliore coma; nec gaudia Titan
Dissimulans, Batavo fulget magis aureus orbi.
Tu Superis, Henrice, *places, & numina nobis*
Blanda facis; tibi pacatus desæviit æther,
Et veteres seclis trudit melioribus annos.
Auspiciis Paphos alma favet, thalamosque coronat
Conjuge mollis Hymen. deerat spes altera gentis
Auriacæ, tantoque novum de Principe germen
Debebat cœlum Batavis, & læta futuros
Exspectans natura Duces. nunc publica curas
Sceptra vocant: fascesque tibi designat, & enses
Belga favens, totumque audet tibi subdere Martem.
Maxima Battavicæ crevit reverentia terræ,
Et gaudent delubra Deûm, trabeataque passim
Limina; jam sacro circumvallata Senatu
Curia neglectas alio sub Præside causas
Vindicat, & presso accelerat responsa clienti.
It Themidi Bellona comes, frenisque sub iisdem
Concordes sociant animos, nec patria tantos

Pluribus

Pluribus imperiis prudens divellit honores,
Iuraque castrensi dirimit civilia lauro.
Scilicet una decus belli fortuna tuetur,
Et momenta togæ; ne vel vilescat inermis
Curia, vel solo damnentur crimina ferro.
Non pudet armatas Astræam ferre secures,
Et gladium vibrare manu; nec pristina legum
Gradivus consulta fugit. Spectatur in aula
Miles Arausiades, & qui modò voverat arma
Cattigenis, patriisque fidem juraverat oris,
Iam sua clamosis despondet nomina rostris.
Inclyta progenies, & priscis cognita seclis,
Imperium titulosque capit; cui splendidus olim
Implicuit sacros Mœnus diademate crines,
Et pronæ fulsere aquilæ. Sic nempe futuros
Oceani terræque Deos, & divitis Indi,
Augusto voluit numen de sanguine nasci.
Illic magnanimos series aspectat Othones;
Illic Pannonio celebres Mavorte Robertos,
Victores Latii, & captæ (proh tempora) Romæ.
Tunc cum purpureus gemeret nova vincula præsul,
Cæsareumque nefas, ereptaque jura cathedræ,
Indoluit, mediisque pater Tiberinus ab undis
Dura triumphati spectavit fata Quirini.
VValravos fert illa duces, felicia Gallis
Nomina, cum socium exoraret Sequana Rhenum,
Et premeret populos virtus Germana rebelles.
Hic quoque Gerlacos, quos sanctior infula texit,
Et Iani fulgent Proceres. quique acer in hostem
Ivit, & exutum docuit parere Garumnam,
Engelbertus ovans. Non hunc magis horridus ensis,
Quam pacis decoravit amor, Batavâque superbum
Majestate caput; querulas cui Flandria voces
Et tumidos posuit dictis placata furores.
His genitor defluxit avis; nec degener illo
Sanguine crudelis furias contemsit Iberi,

Albanique minas : vomeret cum prælia Batis,
Missaque in Advaticis sævirent agmina portis,
Et lentos secura Fides conscenderet ignes,
Ille Pater, magno Belgas turbante tumultu,
Asseruit ferro patriam, tot restitit armis
Vnus, &, iratis Princeps tranquillus in undis,
Iura focis, arisque Deum, terrasque colonis
Reddidit, & profugis desertas civibus urbes.
Nec te magna parens, duris exercita fatis
Femina, cui triplici maduerunt cæde penates,
Bisque empto latrone thorus, jam sera silebunt
Carmina. Tu tanta dicas primordia gentis
Gallia, & ingentem fastis inscribe Loysam,
Colinio sque Duces. Tumulos venerare ; sed unum
Tot seclis expunge diem, quo perfida Cypris
Cædibus infames Francorum aspersit amores,
Impiaque aspexit redivivus fercla Thyestes.
Mauritius virtute præit, titulisque decorum
Illustrat belloque genus. non una trophæis
Sat fuit, aut forti suffecit Belgica dextra,
Parva nimis. vasti clauduntur cardine cœli
Prælia, & immensum circumfert vela per orbem
Bellatrix victrixque manus. Sic plurima sceptris
Accedunt, Frederice, tuis, longoque triumphas
Ordine, & innumeris turgescit linea lauris.
Nec tibi pacatis Germania sedibus olim
Vitæ jura dedit, nec prima luce coronas
Suspendit foribus Cattus, stirpique tuorum
Saxo placens. gaudet claris natalibus æquor,
Nereidumque domus, Batavi. tu fluctibus ortus
Oceanoque patri debes. tu Martius inter
Tympanaque, fremitusque virûm, bellique labores.
Nasceris, & patrio tepefactis sanguine cunis
Indormis, scelerum ignarus. nisi fortè tenellis
Emicuere aliqua jam tum vagitibus iræ,
Et cæsi vindicta Patris, velut obvia quando

Occur-

Occurrens Libyco tigris furibunda leoni,
Cui proles it parva comes, discerpta feroces
Deponit moritura minas: stat proxima matri
Trux soboles, sentitque malum; sed viribus impar,
Præsentem condit, mox hunc ultura, dolorem.
Iactat Creta Iovem, Delos Latonia Phœbum,
Partus Delpha tuos. Fratrem dedit extera tellus,
Sed genitrix urbs nostra tibi est. quid mœnia civis
Gibboso fundata Duci, laticesque recoctos
Esse putas laudis precium? tibi gloria major
Surgit, & Auriacus latè famam explicat infans.
Ille ubi prima levi fixit vestigia gressu,
Militis emicuit species, genitusque videri
Bellator poterat. sunt arma crepundia, lusus
Devicti Mavortis opes, raptaque subactis
Hostibus exuviæ. clypei, galeæque tubæque,
Et coni radiantis apex, felicia belli
Orsa, placent, mediisque audax adolescit in armis.
Sæpè dedit teneris hastam gestare lacertis
Mater, & intrepidos velavit casside vultus;
Vel latus accinxit gladio, duroque futurum
Armavit thorace Ducem. capit illa doloris
Lenimenta sui, natique in imagine gaudet,
Victorem mirata suum, festinaque voti,
Hic vindex tuus, inquit, erit, Gulielme, nec umbrâ
Nassavios inter proceres errabis inultâ.
Excepit prætexta togam, bullataque vestis
Expandit juvenile decus; cum ludicra belli
Auspicia, & ficta sprevit præludia pugnæ.
Mens celso cognata polo. vilescere Pallas
Incipit, & Batavas jam dedignatus Athenas,
Gradivi præcepta capit. lorica Lycæum
Despicit, arma scholam, chartasque repellit inertes
Pugnatura manus. Fraterna negotia spectans,
Hæc vellet permissa sibi, doluitque trophæis
Tracidis tot bella suis: parere Sicambrum,

Et fortes animis Frisios, postremaque quondam
Nomina terrarum Morinos: tot castra teneri
Legibus, & famulis Mosam pallescere ripis,
Et fratri totam Superos impendere Daphnen.
Possedit Bellona virum, & florentibus annis
Inspirat Martis rabiem. mora nulla, ferocem
Occupat Hesperiam, &, quæ vulnera fecerat ensis,
Lambit, & hostilem rabido bibit ore cruorem,
Acer & indomitus; quo vel spes certa triumphi,
Vel patris memor ira vocat. pedes urget Iberum,
Vrget eques. fusos premit imperterritus hostes,
Nec veniam dant arma fugæ. non horrida mortis
Creditur aut lethi facies. non frigida Phœbe
Importuna Duci est; vel qui sublimior axem
Phœbus habet. vidit spoliis Aurora superbum,
Et lucis pars nulla vacat. pars temporis omnis,
Pugnanti favet omne solum. Iam classibus undas
Claudit hyems, equitumque globos glacialia vectant
Flumina; nunc eadem Zephyris spirantibus æther
Laxat, & æquoreis exercitus innatat undis.
Quis tibi tunc Alberte dolor? cum classica nostri
Principis Erkelias premerent victricia portas,
Et circum flagraret ager; cum rapta supellex,
Nec custoditum victori cederet aurum,
Captivaque nurus. Qua tunc formidine pressi
Pallebant Grudii; Batavas cum Dela phalanges
Cerneret, & docti muris vicina Lovani
Lætior Auriacas cantaret buccina laudes.
Cum tu clare Ligur, cum Princeps fœmina regni
Fumantes frustra lachrymis exstingueret ignes,
Ingemeretque suis tristis Brabantia bustis,
Tutela secura suæ; cum territus hostem
Fugit, & ingenti se condidit æquore Scaldis.
Non Pandioniæ sic contremuistis Athenæ;
Cum ferus immensos vastaret milite campos
Medus, & in solis habitaret Græcia transtris.

Non sic obstupuit Latium, cum frangeret Alpes
Hannibal, & victis tremerent Capitolia Cannis.
Dic mihi Fama memor, quales Alemannia vultus
Sumserit, adventu Batavi ductoris, ut omnis
Castra Getes, pavidusque averterit agmina Cimber,
Codanique sinus populi; cum libera ab armis
Vrbs augusta novis juraret fœdera pactis.
O quoties duri circum fera cornua Rheni
Vectus equo, & triplici cataphractus pectora ferro,
Hesperias acies & formidata colonis
Castra stitit: quoties Vahalim Mosamque minacem
Cædibus Ausoniis vel sanguine tinxit Ibero,
Et victos galeis hausit victricibus amnes?
Flandria fatales Morinis reminiscere fastos,
Quæ cladis tum causa tua, quibus impiger ausis
Auriacus fraterque ruant: nunc littore castra
Prima locent; nunc arenti Gradivus arena
Æstuet, & geminum spectet de collibus agmen,
Divisa virtute ferox: ut lurida Tethys
Scuta virûm, galeasque, & Batica corpora fluctu
Abluat, & victo redeant sua castra Philippo,
Vecta mari magno. Sed tu mihi Rora furentem
Siste Ducem. viden' ut medios dilapsus in hostes,
Longius ipse suas linquat post terga phalanges,
Et captum circumstet Iber? Vos credite Belgæ.
Liber abit, pugnamque novo Mavorte lacessens,
Qui modo captus erat, capienti elabitur hosti,
Raptaque prostrati suspendit signa Trivulti.
Ecce Palatina libertas saucia terræ
Poscit opem, victas Italus dum possidet urbes,
Arvaque Cæsareis Nemetum submittit habenis.
Nassavius molitur iter. nec segnior armat
Cornipedes, patriamque alium deducit in orbem.
Belga bibit Mœnum, timidum gens nostra Mosellam,
Accola Neptuni Nicrum. miscentur in unum
Vangionum Batavûmque manus, non Trevir euntem

Sistit, & oppositis populosa Moguntia castris.
Stant acies. verum si mens non læva fuisset,
Lentaque cristatus traxisset prælia Teuto,
Non jam Cantabricæ turbarent prata cohortes,
Victorique Nicer fasces submitteret Istro.
Inter bella animum pugnæ inflammabat amore
Magnus Otho, quem Bistoniis Germania peltis
Ire gravem, atque aquilis perjuras cedere Lunas
Lætior adspexit. nunc victrix dextra Roberti;
Nunc bellatoris virtus generosa Renati
Subdebat stimulos, tantoque alimenta furori.
Quò fessum Dux summe rapis trans æquora vatem,
Et vastos pelagi fluctus? regemque salutas,
Crinibus augustum triplex qui intexuit aurum.
Non mea regales tecum pudibunda subibit
Musa lares, nec tanta rudi fiducia Phœbo est.
Tu patriæ voces & nostri jussa Senatus
Perficis, & magnæ juratum fœdus Elisæ,
Publicaque egregiis confirmas commoda curis.
Nec solum Auriacas Mavortia nomina lauros
Condecorant; sed Marte gravis, bellique trophæis,
Consiliis augetur honos. Respublica felix
Te Duce, te suasore manet; consultaque gaudens
Suspicit, & calidos Prudentia dirigit enses.
Virtutum tibi templa patent, exemplaque factis
Prælucent antiqua tuis. dum libera quæris
Imperia, audacis succurrit gloria Bruti.
Dum mortem populo impendis, te Consulis umbrâ
Solatis Decii. urgentes si sistat Iberos
Dextera, magnanimus monstrat tibi flumina Cocles.
Bella trahis? suasit Fabius. victoribus instas?
Jam repetita redux attollit signa Camillus,
Et raptum tibi Roma decus, Latiique resarcit
Opprobrium. cum dura pati fortuna coëgit,
Plurima ab intonso sumis documenta Catone.
Commendat faciles Trajani gratia vultus;

Nec

Nec patitur Titus esse ferum. Si lurida vexet
Castra fames, non jam Curios, contentaque parvo
Pectora Fabricii solus mirabitur Auson,
Et Belga rudis herba placet, calidoque recocta
Sole dapes, & quæ mediis obsonia campis
Lixa parat. Si sancta fides promissa reposcat,
Regulus exemplo est. Fastus contemnitur effrons
Tarquinii, Manlique rigor, sævique Neronis
Funera, & immanes quos olim Roma tyrannos
Indignata fuit. menti constantia sedit
Adversis infracta malis, & crimina solum
Haud credit licuisse sibi, nec jura favori
Donat avaritiæ rabies, aut nescia recti
Ira gravat. cunctos clementia temperat actus,
Et metui servile putat. plus roboris addit
Imperiis securus amor, blandoque potestas
Nixa supercilio; nec se terrore tuetur
Majestatis honos. querulæ vaga murmura plebis
Rectorum scis esse vices, regnique labores.
Ipse probas, quæ facta cupis; nec subdolus aures
Tundit adulator, sævoque ferocius hoste
Lingua nocens. totâ livor proscribitur aulâ,
Dum solus damnetur Iber. Te patria primum;
Tu patriam, sed primus, amas. vocat illa parentem,
Tu sobolem; dubii patrisque & Principis inter
Nomina pergratis cives erroribus hærent.
Felix illa dies, mediis quâ Belgica castris
Elegit gavisa Ducem, fraternaque fratri
Sceptra dedit. felix eadem, quâ splendida tecum
Astrææ venerandus adit delubra Senatus,
Æternumque tuo capiti meditatur honorem:
Favistis superi Batavis; dum Principe ab uno
Iura Themis, Mars arma capit. non horridus ultrà
Terret, & ultrices Divûm pater explicat iras,
Aut cœlo portenta trahit. post funera Princeps
Nasceris, & nigros feralia pondera peplos

Exuit alba dies; & quæ modo præfica cantu
Luxerat Auriacum, tristes te Præside lessus
Nescit, & excusso reparat sua gaudia luctu.
Applaudit tibi Belga favens, primusque Sicamber
Accinit auguriis, tibi propugnacula Mosæ,
Et totum pandit Vahalim, divisaque Rheni
Flumina, & invictas ferratis mœnibus arces.
Nec minus alma tuis genitrix Hollandia cunis
Læta novo fulgore micat, natoque superbit
Principe, & augustas submittit fascibus urbes.
Omnia præsenti postponit secula duris
Emergens Toxander aquis, & Flandrica donans
Imperia, Auriaco littus custode tuetur.
Te Flevus, Drusique labor, donataque mitrâ
Oppida, te dominum divisis castra salutant
Gentibus; ipsa suo vel quas fœcunda virorum
Albion excivit gremio, vel proxima Rheni
Fontibus ora dedit, vel quas Germania pugnax
Casside & aratis armavit Gallia gæsis.
Eoi tecum restaurant fœdera reges.
Rectorem Tidora colit; ditesque Moluccæ,
Iavaque odoratis onerant tibi mercibus alnos,
Victricesque rates: fulvum Guinæa metallum
Spondet: Hydaspeis ornantur pilea gemmis,
Atque alibi jam lucet Eos, Arctoaque cingit
Tempora. transmittit longinquis munera terris
Taprobane; fundunt reduces tibi thura Sabæi,
Et Syriæ molles populi, ac vicina Damasco
Mœnia. Cuncta tuas venerantur littora laudes,
Totaque Nassaviis vel pâret machina jussis,
Vel parere timet. vastis circumfluus undis
Neptunus tibi vota fremit, sævumque tridentem,
Nereidumque domos, & magni jura profundi
Mancipat, & totum submittit classibus æquor.
Sume paludatas, Princeps venerande, secures,
Et castris dic jura tuis. Sat multa triumphis

Littera servat Iber. Phœbo subtraximus Indum;
Occiduus restat, nec notus finibus Auster,
Nec passim faciles Afri. Victricia cernat
Signa Tagus, nostrisque minans Carteia carinis
Occidat, &, quondam mundi pars ultima, Gades.
Prædatrix Ostenda ruat, tandemque trophæis
Accedat Dunkerka tuis. hostilia subde
Oppida, securus decurrat puppibus æquor
Navita, nec captus ploret sua fata viator.
Saltem aliqua Batavis Bredanum averte pudorem.
Multa tibi Ætnæis jam fumant æra caminis;
Invictasque Duci galeas, & nescia ferro
Cedere scuta suis Brontes fornacibus aptat,
Vulcanus gladios, Steropes thoraca, Pyracmon
Ferratas subigit frameas, clavisque nitentes
Loricas rutilo gaudens superinduit auro.
Ipsa tibi magno tellus percussa tridenti
Fundit equos, cui Nassavius calcaribus armos
Attentumque latus fodiat, qui flumina velox
Et rapidum tranet Vahalim; nunc culmina doctus
Transvolet, & nulli Cererem subducat aristæ.
Iam video nova regna rapi, Morinosque coactos
Degeneris meminisse fugæ; jam subdere colla
Advaticos: domitis Scaldim mitescere castris;
Latius impexum fines diffundere Geldrum,
Semotoque magis Frisios prædone vagari.
Tu Patriæ dignos ex te concede nepotes,
Auriacumque expande genus, stirpique futuræ
Imperii promitte decus. tibi templa, penates,
Curia concordes æterno fœdere mentes
Despondere velint: nec te Fratrique Patrique
Dissimilem belli videant virtute Batavi.

ARGO BATAVA.

Sive Epinicium in captam classem Mexicanam.

Argolicas classes, spoliumque illustre Pelasgæ
Pubis, & aurifera raptum de Colchide vellus
In Batavis jam, Belga, vides. En Tiphyn, & Argo,
Selectosque duces patria, reducesque carinas,
Et Tartessiaco malè custodita draconi
Munera, & Occidui penetralia diruta Phœbi.
Quas versas, Fortuna, vices? quo crimine damnas
Hesperios irata Deos? dominumque potentem
Vis nutu trepidare tuo? nec regna perenni
Sorte beas? summosque tuo sub numine reges,
Sceptrorum quæ fata, doces? trabeasque, ducesque,
Et formidatas gemino sub Sole tiaras
Tot damnis facis esse reas? Num præscia veri
Grajugenûm nostris prælusit fabula terris?
Et Colchis tum ficta fuit, tum fictus Iason,
Et ficti Minyæ, & cantata pellicis artes?
Inveniunt nunc cuncta fidem. plus Colchide servat
India; Phryxæis pallens mutavimus aurum
Exuviis; nostroque satus sub sidere ductor
Æsonides nunc alter adest, Argiva juventus
Toxandri Bataviquue sumus. non Pelias Argo
Discidit Euxinum trabibus spumantibus æquor,
Aut labor in veteri tantus jam luditur urbe:
Non qui rura secat gelidus ditissima Phasis
Abreptas deplorat opes. stant littore puppes
Auriacæ, queriturque suæ dispendia gentis
Infelix Vesper, nec quondam cognitus orbis
Vincitur, & solum vellet mitescere Belgam.
Presserat Vnanimes Hispana potentia terras,
Imperiumque sibi latè firmaverat auro

Dives Iber; poteratque uni mercabilis esse
Terrarum fortuna Tago. jam cesserat Ortus,
Frenaque Castella pallens admiserat Indus,
Quà Pyrois se mergit aquis. submiserat Afer
Littora, & Austriacis toties Europa favillis
Arserat, & dites poterat metuisse Philippos.
Sæpius iratum Vahalim Mosamque catenis
Strinxerat, & victas Rheno subtraxerat urbes:
Certatumque diu fuerat: num Rege sub illo
Subderet ipsa suos concors quoque Belgica fasces,
An dominis contenta suis pars parvula mundi
Staret jure suo, latumque ostenderet orbi
Libertas speciosa caput: num sperneret audax
Regnatorem Asia, an positis agnosceret armis:
Cum Batavûm sic ductor ait: Tantumne licebit
Hesperia? populosque meos impune lacesset
Cantaber? & socios ultra populabitur agros?
Cur servat Bellona modum? cur segnior æther
Temperat armorum furias? & neutra potentum
Causa labat? cur quas nobis extorserat arces
Eripit Austriaco? vel quas extorserat illi
Donat Arausiada? & mutato Principe mutat
Oppida, & adversis pereunt mihi mœnia castris?
Luditur hoc terra gremio, divisaque belli
Gloria victorum geminus alternat honores
Partibus, & lenti partitur commoda Martis.
Promotum tellure parum est. vicina Sicamber
Bella dolet: Frisius prædatrix finibus instat
Longa ferox: timet armatum Zelandia Scaldim:
Cunctaque circumstant hostiles rura phalanges.
Tentanda est fortuna foris, meliorque triumphi
Materies rimanda procul. quocunque recedam,
Occurret quod perdat Iber. Iam paruit Eos,
Ferventesque mihi fasces misere Molucca,
Taprobaneque ferox, & divitis ostia Gangis,
Et Tidor, & nostris Ambona potentior armis.

Huc aquilas, huc signa tuli, subductaque Bati
Terrarum pars magna fuit. Gangetica fumant
Littora, & Auriacis Malabar perculsa carinis.
Horret adhuc, Batavûmque pavent incendia Javæ.
Oppositum mundi restat latus. aurifer Indus,
Vltimaque Arctois Tethys, spolianda trophæis
Linquitur, & pulchro tellus donata metallo.
Illic pallidulas volvit Pactolus arenas,
Et ditis sunt tecta Midæ, Pelopumque penates,
Attalicique lares. illic in viscera terræ
Itur, & abstrusæ turbat penetralia Vestæ
Fossor, & ipse suo scrutator concolor auro.
Quid Cuscum, Quitumque potens, preciosaque Chiles
Oppida, quid placidis Limam qua præsidet undis,
Commemorem. claramque Peru? capit inde malorum
Argumenta furor, socioque superbia luxu
Ingenii fomenta sui, causasque nocendi
Invenit. hic dirum peregrina pecunia Martem,
Pestiferasque faces, bellique accendit Erinnyn,
Inque neces nostras toties armavit Iberum.
Hæc clypeos tot vena vomit, tot fabricat enses,
Invertit fas atque fidem, regumque ruinas
Ex alto scelerata trahit, tot subruit urbes,
Tot populos, fatale lutum. timuere Britanni
Hesperii rectoris opes, sensitque ferocem
Gallia, terribilem Venetus, Germania fortem,
Belga gravem, sævumque sibi glacialis Ierne,
Audacem Allobroges, regnatoremque profundi
Oceanus. tanto supplex natura magistro
Paruit. hoc uno princeps ditatus ab Indo
Subdidit hunc ipsum sceptris, & margine cœli
Finiit imperium. qui, tot labentibus annis,
Terruit infractos audaci milite Belgas,
Indus erat. qui castra Tago transfudit in Arcton,
Instravitque suis Neptunia regna carinis,
Ille fuit. qua mansuetum tot cædibus Albim

Imbuit, & Nemetum conspersit sanguine terras,
Pars mundi postrema fuit. si cessimus, auro
Cessimus, Hispana nunquam vicere sarissa;
Quæ vicit, dis gleba fuit. tam nobile lucrum
Emeruit fama precium. Quid sedibus hisce
Protrahimus bellum Batavi? Phœbumque cadentem
Negligimus? cur non magnis invadimus ausis
Raptum Attabalipæ solium? prædamque Pisarri,
Barbaricasque pari rapimus virtute tiaras?
Credite Battaviæ proceres, hac parte petendus
Cantaber, hoc uno finiri nostra triumpho
Prælia posse reor, solum locus iste potentis
Imperii suffulcit onus. hæc omnia tellus
Vindicat, hæc mundo pacem victoria reddet.
Ibimus, & si quis fatis locus, ibimus, & mox
Territa Nassovias spectabunt Mexica classes,
Attexentque meis victricia rostra coronis.
Talia Arausiades attenta per oppida ductor
Dum loquitur, subitoque accendit pectora motu:
Et jam magna novi sedit fiducia belli;
In Zephyrum gens tota ruit, divisaque Belgi
Partibus, ingenti coëunt æraria censu,
Et bellum privata parant. post publica cives
Arma, suis fervent studiis; opibusque reposcunt
Conjunctis unius opes. spe concipit Indum
Quilibet, & dubia patriam mercede tuetur.
Nec differre placet tanti molimina belli,
Aut patitur fortuna moram. dat classibus undas;
Duraque Neptuni soboles, interque procellas
Indomito nutrita salo, vagus æquoris hospes;
Huc omnes vertêre minas; agilisque juventus,
Illa suæ vindex patriæ, & Mavortis imago,
Bellona ridente, novas contingere terras
Gestit, & aurifera votis exultat arena.
Ibat ovans animis, spoliisque insignis Iberûm
Ductor; & Hesperiis redimitus tempora rostris,

Æoliosque inter fremitus, noctesque, hyemesque
Suetus honorata traducere tempora vitæ,
Disposuit medio bellacia carbasa ponto;
Auspiciisque Deûm, claro sub Principe, latum
E Batavis molitur iter. sic noster Iason,
Æsonides sic noster abit. velut acer in Afros
Ibat, Agenoreis minitans incendia portis,
Scipiades; postquam Latias sævisset in urbes
Hannibal, inque suis doluissent bella Quirites
Visceribus gremioque geri, victaque fuissent
Post Trebiam infames Cannæ. sic longius ibas
Cum Macetis, Pellae, tuis; cum finibus arctis
Nescires pugnare domi; nec Persa superbus,
Bactraque, Arachosiique, & vasti Orientis honores
Insanum imperii possent frenare furorem;
Cum toto Tyrus alta mari circundata nollet
Ferre jugum, solumque tuis submitteret arces
Classibus, & Graiæ citiùs vicere carinæ.
Ille per æquoreos numeroso remige fluctus
Vectus in Occasum, didicit Solemque diemque
Se jam ponè sequi, atque astris praeuntibus audet
Successus sperare sibi. mox flantibus Euris,
Hinc etiam documenta capit, cœlique favore
Lætior, Albionis populos, & regna salutat
Celtica. at infestum mox prætervectus Iberum,
Vindictam sub corde premit; tacitusque putatur
Fatalem huic dixisse diem. quacunque per undas
Flexit iter, pavido sperata silentia passim
Incubuere mari. fugit Tritonia conjux,
Inque cavernosum se submersere profundum
Nereides. alium Salamina prælia Xerxem
Moliri, pars una timet: pars altera, Trojæ
Relliquias hac classe vehi, rursumque furente
Æneam Iunone peti: vel grandibus iris
Actiacas repeti civili sanguine pugnas:
Aut iterum Hesperio Belgis sub rege parari

Tur-

Turrigeris pœnam ratibus. sed longius actus,
Suppositumque tenens signis ferventibus æquor,
Terruit æthereas Arctoo milite Chelas,
Et timidis vidit Geminos hærere lacertis
Arctius, & trepida pallentia Virginis ora.
Sed non sidereum cepit formido Leonem.
At Batavi postquam vidit depicta Leonis
Signa procul, rostrisque coli se novit in istis,
Nominaque inscribi ratibus, fulgentior ignes
Explicuit, rutilasque faces accendit eunti.
Mox ubi magnanimo tellus inventa Columbo
Ante oculos & rostra stetit, visæque fuere
Cyclades Occiduæ, & scopulis Barbuda tremendis,
Invasit loca cuncta metus. quæ cincta profundo
Cuba jacet, titulisque novis Hispania gaudet,
Adventu tremuere Ducis. turbata Philippi
Imperia, & missis habitata regibus aula
Præsensere malum. grandem transvecta per Isthmum
Attonitam quoque Fama Peru, pacataque latè
Æquora, Guianæque domos, Panamamque Diosque
Perculit. occulti Potosi tremuere recessus,
Inque suis pavidum venis expalluit aurum.
Non sic extimuit Clypeæ sub portibus Afer,
Cum Latiis Pœnam terreret classibus urbem
Regulus, & longi jaceret fundamina belli.
Navigat Arctous populus; veterisque coloni
Orbe novo posuere rates, inversaque belli
Sub Tropico fortuna fuit. quo sidere Phœbo
Meta stetit, nostri quoque lux altissima fati
Emicuit, sociosque astris æquavit honores
Auriaca virtutis apex. Quis crederet? illa,
Illa diu gens pressa domi, vix sedibus, eheu,
Tuta suis, secura, foris peregrina lacessit
Regna procul, mediaque velut stat Colchide victrix.
Hic ubi diffusum latè circumspicit æquor (strum,
Dux Batavûm, jamque in Boream, jam spectat in Au-

Impa-

Impatiens voti, famaque sititor, & auri,
Adspicit ex alto surgentes gurgite longè
Adventare rates, & fœtas mercibus alnos,
Transtraque Phryxæum domino portantia vellus :
Cum sic ad socios puppi præfatur ab altâ ;
Has ego vel bello victor, vel morte tenebo
Certus opes. per tot fluctus, mundique cucurri
Littora, vici hyemes, æstivaque sidera sprevi,
Brasiliaque meis arserunt littora flammis
Nuper, & hic galeis pelagus victricibus hausi.
Nunc restat labor iste mihi, spoliisque litandum
Belga tibi. nullo relegam vestigia cursu,
Dum mea sit spes tota Tagi, dum cesserit illa
Obsequiis dis præda meis : non sospes abibit
Hesperus, aut missum capiet vectigal Iberus.
Accelerate viam, socii, conscendite puppes,
Quæque vehunt Indos, ferro jam vindice Belgas
Transtra vehant, dominosque alios agnoscere discant
Sidereæ puppes, & castra natantia ponto.
Si morimur, patriæ morimur. si sanguine tantum
Constiterit facinus, patriæ debemus & illum.
Vivimus ; hoc etiam patriæ est. pugnamus ; & illud.
Alterius vos nosque sumus. nec talibus ausis
Fama levis petitur. socio comes ibit honori
Vtilitas, rapto cunctis mactabitur ære
Paupertas invisa domi. solabitur Indus,
Quos inopes dudum gracilis damnavit egestas.
Non in Parrhasiis Boreæ consistimus oris,
Non Zemlæ glaciale fretum gelidasque jubemur
Ire vias, non verticibus trux imminet Arctos,
Aut cum carnivoris miseri decernimus ursis.
Cuncta nitent, gaudetque suo natura sereno.
Nos melior cœli regio placidumque cubile
Solis habet. calidos ubi fax Phœbæa negavit
Differri plus posse dies, bis messibus æstas
Turget, & æterni ridet clementia veris.

Inter

Inter opes hostesque sumus. quas cernitis, undis
Divitiæ gazæque natant. hæc carbasa mundi
Fata vehunt, Regumque ferunt diademata puppes.
Nunc pugnare manu, toto nunc robore miti
Vos decet. expansis agedum succurrite velis,
Et vestri faciles jussis parete magistri.
Tales magnanimo dignas ubi præside voces
Ediderat, paret dictis Neptunia pubes.
Ocius hi remis, & contendere lacertis,
Vela alii, laxosque citi explicuere rudentes.
Fervere cuncta mari, & verri vada cærula cernas
Armigeris conspersa viris. nec segnius ille
Imperat, & socios fugientem instigat in hostem.
Iamque pavens, pallensque metu circumdatur Indus,
Et dives bellare timet. quamque anxia res sint,
Discit, opes, magnique gravis custodia census.
At contra spoliis immanibus acrior instat,
Et quantum causa distat, vicinior armis
Belga premit, ratibusque rates hostilibus arctat.
Præda fit Hispanus, confertaque scrinia vecors,
Deserit. aërias scandunt Mavortia puppes
Agmina. non aliter, quam densa grandinis imber
Fecundis incumbit agris; olidumque cadaver
Invadit rostrata cohors; aut acta per auras
Hyblæos mellita tegunt examina montes.
Quis tibi tunc, Havana, dolor? cum littora circum
Erraret tua Nassoviis exercitus armis,
Inque tuis Batavûm fremuerunt classica terris,
Et pavidæ Auriacas classes videre Matancæ.
Exuitur locuples gazis regalibus Astur,
Et latum transfertur onus. portantur Iberi
Regis opes pelago, & tantis Dux HEINIVS *ausis*
In patriam spolia ampla refert. augusta vehuntur
Pondera, & Arctois fato servata triumphis
Belgica inoffenso subeunt navalia cursu.
Sic nobis mercatur Iber. sic India nostra est.

Ignorata diu terris. quacunque per orbem
Possidet Hesperidum rector, quoque possidet hostis,
Sola nec immensi domina est Castella peculi.
Quicquid in hoc reperit Vespucî industria mundo,
Inventum tibi, Belga, scias. quæ regna Columbo,
Iam populo patuere tuo. quæ prælia gessit
Cantaber, hæc nostros etiam confecit in usus.
En coëunt gemini bellis felicibus orbes,
Et quà flammiferi surgit fax inclyta Phœbi,
Quaque ruit, fractisque bibit ferveribus undas.
Dissociat natura duos, victricibus armis
Consociat victor populus, dominisque sub iisdem
Auriacas duplici suspendit cardine laurus.
Credite posteritas. quæ vix trepidantibus olim
Principibus parvâ poterat se sede tueri,
Terra, procul missis diffundit jura colonis,
Et cunctis quatit arma locis, nec limite certo
Omne audet calcare solum. vagus advena mundi
Hac habitat tellure, salo nutritus & undis,
Partiturque suos Nereï cum conjuge fasces.
In ratibus vis summa Ducum est, sceptrumque gerentes
Robur habent. parvæ ratibus crevistis Athenæ,
Totaque se fluidis defendit Græcia lignis,
Vecta mari magno. cur vertice proxima cœlo
Alta Tyrus Sidonque fuit? potuere carinæ
Imperio monstrare viam. dum navigat ingens
Carthago, trabibusque natat, dat jussa Sagunthο,
Gadibus, & Libycis Trinacria paruit armis.
Tuque adeò nunquam Superis tam visa fuisses
Roma potens, Latiis nisi formidata carinis
Ostia barbaricos aquilas misisset in Afros,
Aut Pelusiaci bellacia littora Nili.
Nec Batavùs virtute minor jam clarior exit
Gentibus, & quovis armat sub sidere puppes.
Adspice, Belga, virum, tibi nunc ostenditur author,
Totus ovans; Curibus parvis, & paupere Portu

Missus

Missus in imperium magnum. cui nobile virtus
Stemma dabit, seroque feret praeconia seclo
Fama memor. nondum bellorum in vultibus ira
Subsedere Duci; nondum spoliantis Iberum
Desaevit rabies. dicas majora minari,
Et facinus versare novum. fiducia rerum
Magnanimo sub corde sedet. spectacla, triumphos
Dissimulat; tua vota capit. nec gaudia tantum,
Quam facti momenta probat, sperataque nobis
Otia, & Hesperiae domitos hac clade furores.
Si magnum, vicisse, putas; sine caedibus hostem,
Hoc majus, vicisse, reor. discessit inultus
Cantaber, & nullo nostrorum sanguine Regem
Imbellis placavit Iber. Nos solus Olympus,
Oceanique furor, Boreaeque exercuit ira,
Et docuit plus posse Deos. Sic nempe decebat,
Quae dederant, aliquo discrimine dona parari,
Grandiaque admixto frenari vota periclo.
At vos Battaviae proceres, civesque, duorum
Nomina magna Ducum fastis inscribite vestris.
Qui prius Herculeas audaci Marte columnas,
Et subitis Calpen, Abyla ridente, favillis
Terruit: & quem nunc spoliis spectatis onustum
Materiam belli gravidis vectare carinis.
Heemskerki manes & magni pectoris umbra
Audiat hoc. venit praeclari funeris ultor
Heinius, & cunctis factum memorabile terris
Continuat virtute nova. Dux alter in undis
Castra rapit, rapit alter opes. hic pabula Marti
Eripit, ille rates. alium Bellona secundat,
Huic ultra Fortuna favet, fortisque serena
Gratia. post lituos alius laurosque superstes
Involvit se laude sua: post busta triumphat
Alter, & in media statuit tibi morte trophaeum,
Belgica. diverso geminis decernitur orbe:
Dumque alter veterem sibi subdit, at ille repertum,

Terra-

Terrarum pars nulla vacat. Dux magne Batavûm,
Ingredere auspiciis lætas felicibus urbes,
Et cœlo famulante redux. per mœnia clamor
Tollitur, Ecce venit; portasque effusa per omnes
Agmina patricio cumulant plebeja favore
Gaudia. permiscet senibus se densa juventus,
Virque puerque tuis gestit plausisse triumphis.
O quantum mutata tuo res nostra regressu!
Vt patriæ priscus rediit vigor, urbibus agris
Vita, calorque novus! quanta est spes addita Belgis!
Talis vere novo, pigra post tædia brumæ,
Vis animis membrisque redit, cum celsior acres
Ducit equos, noctisque fugat fastidia Titan.
Ipsa triumphatum antè oculos victoria Batim,
Captivumque Tagum, & preciosa monilia Regum,
Poculaque, & pateras, fulgensque in torquibus aurum,
Exhibet. incusat fatales India merces
Atque iterum sua dona timet, metuitque perire
His ipsis afflicta bonis. Hispania nigrum
Syrma trahit, ploratque sua dispendia terræ,
Iustaque Battavico subduci robora bello.
Testibus his totum facinus vulgatur in orbem:
Grataque posteritas dicet, Te vindice, Belgi
Emicuisse decus. tantis securior ausis
Tempora rostrata cingit tibi Belga corona,
Heroumque libens titulos & nomina donat.
Nec desunt studiis Superi. Tibi sidera servat
Iuppiter; & qua jam rediisti victor in Argo,
Vt videant Batavi, gelida vicinior Arcto,
Clara coruscanti semper fulgebit in auro.

VESA-

VESALIA CAPTA,

Duce facti fortissimo Heroe OTTONE GENTIO, Domino van DYDEN, XIX Aug. ann. CIƆ IƆC XXIX.

Quam pavidos inopina juvant, quam gaudia mœstos
Insperata movent animos, minuitque dolorem
Improvisa boni facies. sic pulpita postquam,
Et personato squallent proscenia luctu,
Et turbata stupet proprios orchestra furores,
Funeraque, & nullum crudelis fabula finem
Sortitur: Deus, ecce, Deus delapsus ab alto
Cernitur, & tragicos absolvit machina motus.
Sic vagus aquoreis Tiphys jactatus in undis,
Quem sua destituit puppis, nudumque carina
Remigio sociisque latus, dum mentis & omnis
Consilii melioris inops, cedensque periclo,
Forte salutarem, quam sors vel gratia Divûm
Advolvit, prensat tabulam, fluctusque per ipsos
Enatat: ingentes securo in littore casus
Admiratur ovans, mediaque in morte saluti
Præsidium roburque capit. Tu dilue luctus
Lætitia jam, Belga, tuos, tumidaque triumphum
Hesperiæ, & sterilis miseranda incendia terræ,
Et quos infelix queritur Velavia campos
Austriacis patuisse aquilis, cladernque Sicambrûm
Successu solare novo. victoria damnis
Obstrepit, & patriæ reparat dispendia pernox
AVRIACVS. *Tibi victa suos Vesalia cives*
Devovet, & pulso nobis placatur Ibero,
Ac patrio frendens se ulciscitur Isala Rheno.
Illa graves portarum obices, & vincula laxat
Ferrea, nec ducibus metuit parere Batavis.
Quin gaudet se læta capi, gavisaque bellî

Vim

Vim patitur, creditque sibi tunc otia ferri,
Dum circum Bellona furit, murisque sub ipsis
Arietat, armatumque equitem penetralibus infert.
Hoc precio grassetur Iber, camposque patentes
Possideat, talem nobis dum debeat urbem,
Et regni momenta sui. viduata colonis
Rura premat, laxisque ferox se jactet arenis,
Et latè prædetur eques: dum fortia castris
Oppida, & Hispano munitas mœnibus arces
Subducat fortuna duci. Brabantia plaudat,
Et jam se vicisse putet, dum gaudia ploret
Imperio damnosa suo. procul audeat ad nos
Intrepidum proferre gradum, dum negligat amens
Insultantem alibi Auriacum. longinqua sequatur,
Dum faciat sibi ponè famem. spe proxima fronti
Devoret, at tergo instantem sic sentiat hostem.
Quod facinus, quam grande cano! dum luctus & horror
Occupat Vnanimes tanto discrimine terras,
Veliferumque bibit bellax Germania Flevum,
Et duplicis circum Rheni se cornua jactat
Cantaber, & raptas Pacata per æquora gazas
Rursum animo votisque capit, nutritque superbus
Stultitiæ fomenta suæ; jam victus & excors
Indecori dat terga fugæ, dispersaque signa
Colligit, & timidis repetit sua castra maniplis.
Haud aliter Latias Pœnus dux terruit arces,
Extremumque sibi victis Capitolia Cannis
Promisere diem: tales tremuistis Athenæ,
Cum ferus iratam Medus transcenderet Hellen,
Totaque barbaricis arderet Græcia flammis,
Cecropidumque lares. rursus se mascula longo
Solvit Roma potens luctu, cum territus Afer
Aspiceret Libyco grassantem littore magnum.
Scipiadem, & retrò amissas remearet ad urbes
Hannibal, & Trebiam Cannasque odisset, & Alpes.
Ille ferox populus, toti qui præfuit orbi,

Quem dominum gentes nimium sensere subacta,
Isala cui domitas trab.bus constraverat undas,
Quo fugiat, vix esse videt. quin sedibus arctis
Obsessi discrimen habet, dum debita versa
Praripiunt alimenta vices. ô quanta malorum
Agmina circumstant pavidum! granaria, messis,
Æra, rates, strictis rigidas mucronibus hastas,
Pilaque, pugnantumque faces, & quicquid in hostem
Bellatrix doctrina parat, stipendia, currus,
Signaque, captivosque duces, glomerata tenemus.
Quàm discit bellare miser, quàm vulnera sentit
Eugenia funesta sua, quàm vellet eunti
Longius amotum ratibus succurrere Scaldim,
Aut Ambivaritos inter Tungrosque locari
Castra suos! periit grandis fiducia cœpti.
Ad veteres fines, Turnhouta ad mœnia fessos
Solvat equos, scribatque sua solatia Sylva.
Exitio, vicisse, fuit: venere phalanges,
Vt fugerent: dicit querulâ convitia ripâ
Romulidum Drusique labor: vidisse Sicambros,
Prô, pudor est: ludit lusum successibus anceps
Diva suum; bellique minax se vertit in hostem
Alea. nostrorum stimulos virtutibus error
Subdidit, & præsens extorsit summa periclum.
At trepidans humeris clypeum vix sustinet agris
Hostis, & astricta pudibundos casside vultus
Abdit, & ingentes animos formidine frangit,
Et multum subita deplorat fata ruina.
Armorum fecunda domus, palatia Marti
Et belli devota Deo, Cererisque penates
Iam nobis Bataveque patent. & quicquid in annos
Lemnos, & arisonis Curetum fecerat antris
Mulciber, accedit spoliis, gaudetque Pyragmon
Nassovio tantos famulari posse labores.
Mutata est scena facies. en patria latum
Exerit os, & se nimium timuisse fatetur.

Ibat mœsta Pales, nec jam, velut antè solebat,
Sylvestrem tenui Musam cantabat avena;
Non herbas pecori, non raptis Thestylis agnis
Lac dabat, aut vitreas vicini ad fluminis undas
Ducebat Melibœus oves, armentaque tutò
Pascebat petulans Corydon. aufugerat Ægle,
Mœstaque Hamadryadum perculsas turba per urbes
Non secura satis culpabat commoda ruris.
At nunc lanigeræ tali rumore cohortes
Marsatios colles & notæ pascua vallis
Certatim repetunt. Damœtas, Thyrsis, & Ægon,
Cæsareos postquam sors improvisa fugavit
Geldrorum tellure duces, assuetaque Dravo
Agmina, & hostiles terris avertere prædas:
Conscia lætitiæ magnis præcordia curis
Expediunt; lætumque choro Pæana canentes,
Carminibus gemitus lacrymosaque gaudia miscent.
Prospera sed quantum nostris spes addita Belgis,
Tantum exempta Tago est, tantum decessit Ibero.
Iam fluvios tranasse piget; jam prædia, villas,
Et circum rabidis fumantia culmina flammis,
Totque iræ monumenta suæ post terga relinquit;
Nec nova prædari cupiens, nec parta reservans,
Hoc metuit, ne militiæ delicta ferocis
Intra septa luat. post se, post flumina retro
Et victas urbes, & victas conspicit arces,
Seque velut clausum circo breviore teneri.
Grande ducis Liguris spolium, circundata vallis
Mœnia, Cantabrici studiis asperrima belli,
Tot nuper defensa viris, qua Lupia lambit
Proximus, & lato Rhenus pater alluit alveo,
Odrysiique potens domus, in qua Regis & arma
Et currus fuit, aversi ceu turbine fati,
Vincitur, & fausto Divûm moderamine, nostris
Additur imperiis, dominumque immutat, & horæ
Momento cessat magno parere Philippo.

Qualia

Qualia Nassovio miracula parturit æther.
Rumpe omnes, Hispane, moras, elabere præceps;
Non ultra tibi nostra patent, si prospera quicquam
Indulsit fortuna tibi, si in viscera Belgi,
In gremium sævire dedit, si portio terræ,
Si cessit pars ista soli, jam bella paramus
Fluctibus, effusis Tethyn laxamus habenis,
Et qua flumen opem negat, objectavimus æquor.
Non uno remeare modo te cogimus. imus
Aggeribus contrà. glebis pugnamus & undis.
Nec satis hoc. claudit jugulum Vesalia castris,
Et prohibet jam victa cibos. inopique famemque
Imperat, & rabiem. Vos ô, vos vivite belli
Fulmina prælustres animæ, atque æquanda Camillis
Nomina. tu Batavûm gentis fortissime DYDI,
Quique ferox justis vincis bellator in armis
VVolfiade, dignamque isto cognomine prædam
Eripis Hesperiæ stabulis. vos Fama loquetur
Per populos, vestris debet virtutibus ætas
Postera. vos, magno patriam turbante tumultu,
Divinam tribuistis opem. vos obsita luctu
Libertas, passisque dolens afflicta capillis
Religio, Pietasque colent, & tempora circum
Suspendent murale decus. Vos urbibus, agris,
Triptolemo, Cererique, Deis solatia fertis;
Auriaci libratis onus, clarique labores
Principis, & belli molem, motusque levatis.
Magne Deus, tibi thura damus, tibi concinit hymnos
Belgica. sic res est. solùm te præside tantum
Respondit voto facinus. te vindice portas
Fregimus, in muro stetimus, conscendimus urbem,
Vicimus, intulimusque adversis agmina signis.
Te duce non equitem gressus, peditemque fefellit
Noctis iter. per te frameæ valuere, globique,
Machinaque; & pavidis miles custodibus acer
Institit: Austriacæ fiducia languit aulæ,

Et sua securo nocuit victoria Ibero.
Sis clemens, facilisque diu: felicia tollant
Nassovii vexilla duces: Tu numine dextro,
Quos gerimus, decora titulis victricibus enses,
Hostiles averte manus, obsessa reclude
Oppida, & attonitum qui nunc, famulantibus astris,
Fulminat ad Mosam, longi post tadia belli,
Battavicas victor redeat Fredericus in urbes.

De Obsidione SILVÆ-DUCIS liber unus, ad PRINCIPEM AURIACUM.

EXcessit sors nostra modum. suprema tenemus,
Quæ fuerat sperare nefas. Mavortius ipsum
Perrupit Phlegethonta furor, rursusque potentem
Contudimus ferro Eugeniam. fiducia quicquid
Iussit, & ingentis felix audacia cœpti,
Fecimus; egregiasque Duci victoria curas
Explevit, solumque hoc uno Belga triumpho
Stat satur, & veteres audet contemnere lauros.
Militat Auriacus patria, preciumque laboris
Grande refert, famamque ipsis jam terminat astris.
Succedunt spoliis urbes, & victa fatiscunt
Oppida. post fractum miserandis cladibus Indum,
Hic jam plorat Iber, propiusque & bella Batavûm,
Et sua damna videt. non jam sua brachia Cancer
Contrahit, aut Tropici spectat dispendia Titan.
Non pater Oceanus, non tot spoliata suorum
Exuviis jam Cuba tremit. non Mexica fumant
Transtra, vel extremâ Zephyrus damnatur arenâ.
Non Tethys exuta dolet. post aquora tellus
Subditur, & pavidis infrendent agmina portis,
Mœstaque Nassoviis trepidat Brabantia castris.
Sic terras durique reas arcessimus undas
Imperii, veteresque in nos ulciscimur iras,
Barbaricasque, Albai e, neces, odiisque litamus,

Sat

Sat memores, Rex magne, tibi. sic spreta tiaris
Regna sibi pacem poscunt, gladioque minacis
Hesperiæ furias redimunt. his supplicat armis,
Et victrix veniam belli fortuna precatur.
Littore Dardanio magna dum mœnia Trojæ
Verberat, & Phrygiis insultat turribus ultrix
Græcia, & iratas acuit vindicta Mycenas,
In partes abiêre Dii: causamque secutus
Quisque suam populumque fuit. pars Ilion optat
Stare loco, & Danaûm jaculata est classibus ignem,
Pars genus Assaraci Priamique evertere gentem
Sæva parat; pugnantque suo sub numine jussæ
Europaque Asiaque acies; trahiturque Deorum
Litibus in decimum Bellona volubilis annum.
At nobis cœlum omne favet, pariterque secundis
Numina conspirant animis, & fœdere læto
In Regem coïere poli. Tu pabula Martis,
Bellator Neptune, rapis, ditesque superbis
Exuis Austriacos opibus. tu Mulciber enses
Frangis, & inviso frameas obtundis Ibero;
Armorumque minas & diri pulveris ictus
Eludis. tu corda gravi formidine Mavors
Corripis, exanimasque Duces. tu lenta Philippi
Jussa refers, regumque procul responsa moraris
Atlantis Tegeæ nepos. qui lethifer annus
Ire solet, lethoque virûm tot corpora stravit,
Mitescit meliore Deo, placataque nobis
Sidera damnatam Phœbus direxit in urbem.
At tibi, tot Superos inter, Tritonia Pallas,
Debetur tantum facinus. tu provida belli
Consiliis, & tantarum moderamine rerum
Instruis Auriacum, tu doctis mœnia vallis
Cingere, per medias Vestam reptare paludes,
Et fluvios frenare doces: attollere montes,
Telluris laxare vias: ipsosque furentis
Irruere in Ditis thalamos, & tramite cæco

Scrutari secreta Erebi, patefacta ciere
Tartara, sulphureasque domos. Tu pandere vatem
Cuncta sinas, causasque & prima evolvere rerum
Consilia, & clari memoranda exorsa laboris.
Tuque adeo, seu jam fracta bellacia Sylvæ
Mœnia restauras victor, captivaque solvis
Flumina, belligeramque immergis fluctibus urbem:
Seu te Cæsareis mœrens sub fascibus armat
Isala, & afflicto reddis sua rura Sicambro,
Carminibus, Frederice, fave. cui sidera cœlum,
Mars gladios, Bellona manus, Tritonia mentem
Commodat, atque ipsi Manes famulantur Averni,
Pieridum quoque templa patent, vatumque Ducumq;
Certatim frondent circum tua tempora lauri.
Est, ubi sidereos inter sublimior ignes
Aurea flammiferis aperit palatia valvis
Iuppiter, heroumque animas & celsa reponit
Nomina, quæ claris aluerunt bella trophæis,
Totaque sub galeis sudans exercuit ætas.
Illic monstrorum domitor, victorque Medusæ,
Regnatorque Asiæ Macedo, Libyæque tremendi
Scipiadæ, Deciique, &, Martia fulmina, Drusi,
Ingentesque habitant Pauli. si sera revolvas
Secula, Borbonicos illic, & sancta Colini
Ora ducis, cunctosque inter spectabis euntem
Terribilem spoliis, populosque & victa trahentem
Oppida Mauritium: pro libertate cadentes
Nassovios; quoscunque recens vel prisca sonorâ
Vexit fama tubâ. quoties suffragia Divûm
Sollicitat Superûm rector, mundique labores
Expendit, num bella velit, num mitia terris
Tempora, non alia cœli regione Deorum
Consiliis rebusque vacat. huc vecta per altum
Ire parat rabido bellatrix Belgica vultu,
Belgica, concordes socians in sidera gentes:
Non pacis vestita habitu, non mollis oliva

Dona ferens, cultuque comas inflexa decoro.
At furor, audacesque minæ, & Mavortius horror
Prælia spirantem fremitu comitantur anhelo.
It sudor per membra Deæ, pars una lacertos
Nudatamque aperit mammam; pars altera nodo
Fulmineam nectit summa cervice macharam.
Incutiunt terrorem oculi, rutilantque coruscis
Ignibus. impavidum pugnax audacia vultum
Asperat, &, veluti ritus imitata Minervæ,
Abscondit galeâ frontem, genibusque trementem,
Quam tenet, argutis vibrat stridoribus hastam.
Objicitur Soli clypeus, pavidosque lacessit
Solis equos. illi pugnæ, certamina, cædes,
Oppida sculpta manu, & patriæ crudelia patris
Funera, prostratus generosâ cæde Varaxus,
Captivique duces inerant, Morinûmque per æquor
Exanimis fugiebat Iber, fugientibus instat
Belga, cruentatas lambit Neptunus arenas,
It juxta Mendosa dolens. Tartessia fumant
Carbasa, turrigeræque rates. stat territa Calpe,
Alcidæque labor. nec longè Grolla recentes
Exhibet ære notas, vacuasque à mercibus alnos
Occasus, pauperque suis demergitur undis.
Talis in augusto Divorum mascula cœtu
Appulit. incomptis stabat Rupella capillis,
Et frustrà sua fata querens, Richelique labores,
Lilia sub manibus, velut indignata, gerebat.
Ipsa catenatum ducens Germania Cimbrum
Flebat, & ultrices secum dum colligit iras,
Circumspectat opem, magno se fassa minorem
Cæsare. divisis infelix Mantua sceptris
Pressa diu dominum populo poscebat & urbi.
Venerat & triplici crines implexa coronâ
Albion, & fesso procurans fœdera Regi,
In malè discordem dictis regalibus aulam
Detonuit, Caroli pro majestate locuta.

Quas inter tales edebat Belgica voces
Ad solium conversa Iovis: Si, maxime rector,
Hæc mea non lævis meruerunt surgere regna
Auguriis, Batavas si nondum despicis arces,
Et medios inter bellorum emergere fluctus
Iamdudum potui: nec de me sceptra Philippi
Occiduis suffulta opibus fixere trophæum:
Advenio supplex. non ut depugnet ad Ortum
Auriacus, Gangemque ultra victricia tollat
Signa, vel in gemino figat tentoria mundo.
Vicimus hic. scripsi extremis mandata Moluccis,
Per terras Solemque audax utrumque cucurri,
Et dominam gentem toto circumtulit orbe
Nassovii fortuna mei, Zephyrique minantem
Sedibus armatis vexi trans vasta carinis
Æquora. transivi Thulen, ipsumque reliqui
Post mea terga diem. tantum nunc mœnia Sylvæ
Vinci posse precor. nostris laus ista triumphis
Restat adhuc; nec me cupidam spes altera belli
Erigit. illa ferox miseris infesta Sicambris,
Iam Vahali Mosaque gravis, funesta Batavis,
Incubat una mihi, & lateri lethalis inhæret.
Illa meas vastat segetes. desævit in arva
Vulneribus servanda meis, victumque famemque
Hesperio librat fastu, gaudetque diurnas
Nocturnis cumulare neces. pars tertia Belgî
Unius fit præda loci. quin undique stagnis
Tuta suis, sparsasque inter secura paludes
Militat, atque sua suspendit fata ruina.
Quid juvat Eoos mihi se submittere fasces,
Si nocet illa domi? leges præscribere Gangi?
Hic mihi jussa dari. quid vectigalia regum
Poscimus? hic proprias redimunt æraria messes.
An præbere cibos tanti est? alimentaque latè
Distentas portare rates? si Geldria Sylvæ
Pascitur arbitrio? vastissima cærula transtris

Metiri?

Metiri? hic arctis claudi vestigia portis.
Libertas concessa alibi est: hic unius urbis
Servitio deformis ago, vulgique fatigor
Fletibus. infestas Latio Carthaginis arces
Divisit Libycum spatiis ingentibus æquor:
At me proh nimium sociis consistere terris
Di cupitis. celsas Hispania transilit Alpes,
In Romam cum bella parat, Brennumque ferocem,
Et Senonum furias tardè sensere Quirites:
Hæc præceps, inopina meis cervicibus instat,
Nec lentè nocitura venit. cur dura tot annos
Arma potens gessi? stravi tot pontibus amnes?
Cornibus infractis Rhenum parere coëgi?
Sustinui muris Martem? noctesque cruentas,
Armatasque hyemes, & ferrea secula sensi?
Æmula si nostris perstant hæc oppida regnis.
Di, quorum auxiliis crevi, succurrite Belgis;
Exorate Iovem: tuque impavidissime Mavors,
Seu jam Sarmatici moderaris prælia Regis,
Sive Italis afflas bellorum incendia terris,
Allobrogumque ducem cognato jungis Ibero;
Huc omnes converte minas. si Martia cessit
Breda tuo pridem Liguri, domuitque potentem
Paupertas inhonora gulæ, si debita culpa
Sors fuit illa meæ; nunc versis inclyta fatis
Sylva ruat, priscumque abole, Gradive, pudorem:
Disjice ferratos obices, & sedibus imis
Fundamenta quate. occumbat victricibus armis
Bellipotens. nec enim jejuno pabula ventri
Ereptum venio, dapibusque imponere legem.
Non precor, ut fallax equitem submittat Hohenlo
Mœnibus. insidiis major fraudesque dolosque
Elusit, superanda manu. non vendita posco
Oppida, vel cives precio. mihi victor Olynthi
Displicet, atque empta, falsis custodibus, urbes,
Et mixtum sceleri lucrum. quid magne moraris

 Iuppiter

Iuppiter, his ipsis Fredericum immittere portis!
Tolli stagna peto: fugiant subducta Deorum
Æquora consiliis: excurrant longius amnes:
Plus urat Titana calor: qua vomeris ivit,
Castrorum nunc limes eat; mundique solutis
Legibus, in celsas assurgant pondera turres,
Permutetque suas Faunus cum Naiade sedes.
Plura perorantem placido Saturnius ore
Excipit. at voces, æternaque verba Tonantis
Implicuere suis Parcarum stamina fusis:
Nec te Breda diu, nec te patiemur inultam,
Belgica. Cantabrici libranda potentia regni,
Signandusque modus sceptro. divisa potestas
Imperii mundo melior. glomerata sub uno
Plurima Rege ruunt. durat moderata, fatiscit
Ardua majestas solii. plus numina curant,
Qui victi vicere Duces. obnoxia cœlo
Regna putat, quisquis regnorum parte carebit.
Tu, Dea, pugnacem victrix penetrabis in urbem;
Inveniet virtus veniam. quin præscia Clotho
Bellorum duplicat lauros, spoliandaque binis
Vrbibus attoniti pallebit regia Mauri.
Quæ ventura brevi, quæ comprobet exitus orbi,
Fatorum secreta loquor. licet undique fundat
Castra Tagus, junctis Germania tota feratur
Auxiliis, Rhenus translatum sentiat Istrum,
Illyricas cieat Romana potentia turmas,
Vndique Barbarici conspirent agmina Dravi,
Pacatusque domi circum te sæviat Albis,
Incassum, regina, tuos remorabitur ausus.
Vos animis junctæ, conspirantesque sorores
In bellum properate, juvet pars ægra labantem,
Dis inopem. sociate novis æraria curis,
Armaque communi pro libertate resumptis
Vertite in Eugeniam studiis. Iam longius Alpes
Territat, atque alio lauros molitur in orbe

Dux

Dux Ligurum: jam rapta tenet stipendia dives
Amstela. quis tanti flectat moderamina belli,
Consultant dubii Patres. suspensa potentum
Consiliis nocet aula sibi, discorsque laborat.
Et tandem lentis venit et Brabantia castris.
En tibi Lemniacis desudant æra caminis,
Nec vigilem Steropes patitur segnescere Bronten.
Spirant ignivomi folles, incudibus ipse
Intonat armorum faber, & fornacibus instans
Tela tuis aptat ducibus; galeasque globosque,
Pilaque funereasque faces, tormenta, secures,
Scutaque laxatâ format tibi Mulciber Ætnâ.
Tu Pavor hostiles frena formidine currus,
Tu Labor ingentes operas, Industria moles
Festina fac stare manu. Berecynthia turres
Concute, & impulsis fastigia dejice muris.
Singula conjunctis concurrant numina votis.
Dixit: at huic subito tumuerunt pectora motu
In pugnas, totisque novum bibit ossibus ignem.
Nec latuit Mavortis amor. diffunditur ipsos
In vultus atque ora furor. de casside pendens
Erexit se crista magis, convusque refulsit
Splendidior, clypeique micans efferbuit orbis,
Inque genis rubor admisso pallore resedit,
Massageta veluti cum lactea pocula miscent
Sanguine, vel candens ebur interstinguitur ostro.
Acclives jam Phœbus equos, annique juventam
Vexerat ad Geminos, pugnacia sidera, fratres,
Et sua bellanti debebat lumina Tauro:
Reddita cum terris, celerique per oppida gressu
Vecta cruentatos porrexit gentibus enses,
Laxavitque viam bellis, ac fervida dictis
Incitat Auriacum: Batavûm fortissime ductor,
Quid cessas parere Deo? defensaque patri
Regna novis auges studiis? & pectore totum
Excutis Odrysium? tibi vasta potentia Belgi,

Et rerum commissus apex. tibi credita fratris
Sceptra tui, nostraque potens exercitus ora.
Iamque tuis crevit Belgarum gloria curis,
Et Salii cessere Duci. jam fracta feroces
Submisit tibi Grolla manus. divisit habenas
Barbaries Eoa suas, domitoque carinis
Vespere, regales donavit America gazas.
At majus tibi fata parant. tuus æthera jam mox
Lambet honos. fraterna armis audacibus ausa
Transgredere, & tanto quæsitos sanguine fasces,
Quos pugnæ, quos mille ducum peperere labores,
Quos longis hæc nostra fides contexuit annis,
In tuto, Frederice, loca. cadat invida terris
Sylva meis, pacemque velis non antè pacisci.
Hanc lauris annecte tuis, his debitus ultor
Inferiis, Fili, patrios ulciscere manes.
Reptasti per castra puer, totiesque cruore
Immaduit prætexta ferox, interque triumphos
Telaque crevisti juvenis. jam frena capessens,
Intrepidus ferri, per prisca exempla tuorum
Circunfer generosum animum. procede secundis
Auguriis. regat audaces Bellona curules,
Disponat mediis miles tentoria campis,
Belliger annus eat. post tot mea damna necesque
Plena triumphato redeat vindicta Philippo.
Hoc pietas polluta rogat, tumulusque Loysæ
Matris, & infandis Francorum prodita mensis
Collinia fortuna domus, memoresque meorum
Mauritii cineres, venerandaque funera Belgis.
Talibus ille Deæ monitis accensus in hostem
Tota mente ruit. sed enim momenta laborum,
Quæ maneant nostras inopina pericula terras,
Quæ bellum sustentet ope, qua castra locari
Sede queant, quæ bellacem spes erigat urbem,
Expendit, versatque novi discrimina cœpti.
Succrescit Martis rabies, præsagia laudum

Exacuunt

Exacuunt pugnæ stimulos. jamque impiger ardet
In densas se ferre acies, & prælia coram
Sustentare manu, castris præscribere leges,
Et jussis animare tubas, disponere vallos,
Sistere præcipites glebis surgentibus undas,
Et circum positos lacerare ligonibus agros.
Continuò turbata quies; Batavûmque per urbes
Bella tonant, sociaque cient Mavortia gentes
Agmina, & imbellis votis proscribitur æstas.
Convenere Duces, sumptisque insignibus alæ
In vultus rediere suos. hi terga fatigant,
Et spumantis equi fodiunt calcaribus armos;
Hic cataphracta phalanx, equiti tutela, pedestri
Lege coit. pars excussa se glande tuetur,
Pars tremebunda quatit rigidis hastilia rostris.
Hic præit aratam portans ad bella bipennem.
Hic acri mucrone ferit. se ferreus ille
Illæso thorace tegit. sed corpora nudus
Plurimus à sola sperat virtute trophæum.
Ingenio constant obitus, miserique feroci
Arte cadunt, ferroque mori tam simplice dudum
Displicuit. formas damnosa industria lethi
Multiplicat, preciumque ipsis mors captat ab armis.
Iam fundit Groninga viros, Frisiusque maniplos
Instruit, & patrias abituris commodat iras.
Marsaciæ venere manus: quasque armiger excit
Isala, & intonso gaudentes crine Sicambri,
Quique bibunt Rhenum Batavi, Chaucique minores,
Quasque procellosis in fluctibus, æthere duro,
Asperat audaces Toxandrûm terra cohortes.
Nec varios linguis populos, junctosque sub uno
Principe Musa sile. nostro notissima Marti
Robora, conveniunt, spretâ formidine, Galli;
Inde Caledonio permixta Britannia Scoto,
Allobrogumque acies, immansuetique Cherusci;
Quæque, gravis quondam vinci, Germania laudi

Deficit una sua, nec se vexata probavit,
Vltima pacato nobiscum militat Albi.
Hos inter cuneos praclari sideris instar
Emicuit Ductoris apex, notusque refulsit
Auriacus, bellique moram damnantia movit
Pleno castra gradu, nec jam suprema timentem
Funera neglectam Superis admovit ad urbem.
Procubat horrendus madidis Gradivus in agris
Ilicet, & tenui secernit stramine cœlum.
Exuvias sibi quisque rapit, crescuntque penates
In numerum, & nullo radiantia tecta pyropo
Paupertas animosa colit. contemtior alga
Heroas dominosque capit, nec dispare formâ
Vivitur, aut petulans distinguit limina luxus.
Æstivum perferre jubar, contendere sueti
Frigoribus, passim recubant; & paupere mensa
Placatur non docta fames, fessosque relaxant
Fabricii Curiique dapes, vel qualia ruri
Fercula disposuit tepido Serranus aratro.
Iam Rhenus per utrumque latus, jam Mosa secundis
Nassovio famulatur aquis, & tergora prabent
Pontibus, & fluida transmittunt castra carina.
Incumbunt fluviis sylva. nemorosaque Tempe,
Hercyniumque nemus, glomerataque robora Pindi
Mille natant ratibus. veluti cum straverat Hellen
Barbarus, & transtris solidato gurgite Tethys
Obriguit. claudunt gravida lethalia puppes
Tondera, & Æolios lassantia tympana fratres,
Quaque ferunt trepidis furibunda incendia tectis,
Et totum Mavortis opus. Describitur ingens
Area, virtutis spacium fatale, laborum
Circulus, & claro causas concludit honorum
Tramite. stat morti limes, stat linea vita
Iugeribus demensa suis, idemque cubile
Et tumulos trux campus habet: somnique necisque
Culcitra; semideûm bellatorumque palastra,

Orbita

Orbita militia, tantis servanda triumphis,
Vel nobis, vel, Ibere, tibi latura pudorem,
Porrigitur, celebrisque stupet molimina belli.
Crescunt in cumulum colles, vallesque profundas
Æquavere jugis. capiunt stagnantia sulcos
Rura, superjectis coëunt castrensia glebis
Mœnia, cinguntur tumulis immanibus undæ,
Atque undis tumuli. mutat cum Tethye tellus
Munia, & antiquis migrant è sedibus ambæ.
Assurgunt elementa, petunt declivia, pendent
Ponderibus librata suis. suspensa tenentur,
Quæ noceant depressa: iterum depressa tenentur,
Quæ noceant suspensa. fodit, secat, obstruit, aufert,
Laxat gnava manus. sursum jactantur arenæ,
Ordinibusque novis resident. hic linea rectum
Ducit opus, poscunt alibi munimina gyros.
Hic cornuta jacent, & diro forfice vires
Conduplicant inimica suas: hic currit in orbem
Machina, Phœbææ formam mentita sororis.
Munit tuta metus. quærit prudentia laudem,
Dum longè ventura timet, dubiisque movetur
Casibus, & varias bellorum prospicit artes,
Quicquid & incautis queat evenisse, veretur.
Attollens apicem mediis urbs ferrea stagnis
Tot circum castella videt, metuendaque tantis
Cingitur excubiis. cernit delubra Deorum,
Sacratasque fores, densisque minacia portis
Culmina, subnixasque jugis ac collibus arces
Vallari, atque ipsis indici bella procellis.
Non jam Romulidûm grandes mirabitur ausus
Posteritas, non sæva tuas Alesia turres,
Et quæ Dyrrachium magna cinxere corona,
Non ditis fatum Capuæ. minus esse putabit
Fama Tyrum, stratumque immensis molibus æquor,
Aut quod cum tumida bellum Carthagine gessit
Scipiades, cedunt Batavo vallante Plateæ,

Massiliæ vilescit honos. non alta Saguntos,
Quod commendet, habet. non qui sua viscera Xerxi
Transadigi permisit Athos, vastoque recepit
Æquora tota sinu. non duris belliger Hæmus
Pervius Odrysiis. mortales omnia dextræ,
Et nostræ potuere manus. hæc mœnia solos
Iurabis cinxisse Deos, pactoque potentem
Descendisse Iovem precio. Cur Dommala turget?
Subsidunt maria? & sulcati navibus agri,
Naïadumque domus, & tecta paludibus antra,
Demersæque patent valles? cur proximus urbi
Subducit se Mosa magis, quantumque necesse est,
Infestas castigat aquas? cur militat æther,
Et conjurati ponunt sua flamina venti?
Dî peragunt incœpta Duci, & communibus urbem
Invadunt studiis. cœlum, mare, sidera, tellus
Damnavere ream pariter. servanda triumphis
Henrici laus ista fuit. nec, vincere fratrem
Hanc etiam, visum Superis. celeberrima laudum
Argumenta cano, rarique exempla laboris,
Militiæque graves operas, excussa potentum
Scrinia, & his raptum pugnans in partibus aurum.
Nempe procul victa peregrino in littore gaza
Hic iterum nocuere Tago, propriisque Philippus
Vincitur exuviis. damno est nimis esse potenti,
Divitiæque premunt dominum. terraque marique
In se versa sui fatalia pondera regni
Sentit, & exuto tot clades imputat Indo,
Invictaque diu labentia mœnia Sylvæ.
Admiranda loquor. totos Eous & Æthon
Absorpsere lacus, & quà sub vere Napææ
Ambrosias lavere comas, sese arduus infert,
Prataque depascit sonipes. quæ sæpius æstas
Imbribus Arctois maduit, pluviasque solebat
Sidere sub nostro tempestatesque ciere,
Ferbuit, & longo latrantem Sirion æstu,

Arden-

Ardentesque focos Cancri, rabidumque Leonis
Limen, & Astraea succendit Virginis astrum.
Expendunt exacta senes, nec talibus unquam
Commemorant nobis ivisse caloribus annum.
Sic facilis mores, tanto molimine rerum,
Invertit Natura suos. non pocula largè
Fudit Hyas, taurique madens in tergore nimbis
Alcyone damnosa fuit; ceu jussa, procellas
Continuit, siccaque Ducum juvere labores
Pleiades, & Batavo jam tunc placatus Orion.
Qui licet in cœlo rutilans humentia latè
Cingula & imbriferum distringat Martius ensem,
Vt vidit fluidos Belgarum sparsa per agros
Agmina, & adversas studio reptare per undas:
Æolios clemens fremitus, solitosque furores,
Bellantique graves populo compescuit iras.
Nassovius, dum tuta vagis munimina castris
Adspicit, & validis secludi mœnibus hostem,
Signa movet, dictisque suos instigat euntes
Talibus: Hesperiam mecum domitura Iuventus,
Tempus adest. si quid quondam meruistis in armis
Belligero sub fratre, meis praestate parati
Imperiis. uno patriam defendite bello.
Audeat hoc mecum facinus, quem causa ferocem,
Non furor, esse facit. non vili fama paratur
Pulvere. Cantabrici caput insuperabile regni,
Austriaci jugulum petimus, roburque potentis
Eugeniae. Quid sola queat fiducia ferri,
Ostentate mihi. non vos per frigora brumae
Lenta traham, gelidique ferent incommoda soles.
Non rigidas calcare nives, cornuque minacem
Exspectare Caprum cupio. victoria praeceps
Poscitur, & nostros passura propinquior enses
Aut ruet in vestris, aut stabit Sylva lacertis.
Nec vos, Pannoniam quamvis concusserit omnem,
Terreat aut Nemetum domitor, vel rector Iberi.

Aggeribus passim circumvallata tuemur
Castra, superfusos fluvios pracinximus illis,
Et pariter terrâ, pariter defendimur undâ.
Ite recepturi, Mavors quam possidet, urbem.
Hispano collecta manus sibi congrua captat
Tempora, conatusque suos & cœpta moratur.
Credite, suspensus Batavum jam respicit orbis;
Regum vota favent. spectat ferus Adria longè
E speculis. dubitat Tamesis, quid Belgica possit,
Formidat graviora Tagus, plus augurat Ister.
Mundi cura sumus. nec vobis degener adsto
Ductor. inaccessas una penetrabimus undas,
Ibimus in terra gremium, cæcosque meatus
Ingrediar, consors fama, consorsque malorum.
Qua miles statione cades, occumbere juxtà
Auriacus poterit. non me discrimina vobis
Dissimilem casusque dabunt. me pondera rerum
Distinguent, non ausa, Ducem. qua jussa probabo,
Exequar impavidus. vestrùˆ fortuna periclis
Æquabit, ceu neutra, meum. Si stagna, lacusque,
Si mihi tempestas urbem, si proxima cælo
Tot castella negant, Superûm clementia victrix
Cuncta dabit, jungentque meo se fata labori.
Talia ubi peditum turma, nunc mixtus equestri
Dicta dedit, studiis animos audacibus implet,
Acceditque mori promtos, belloque, viaque
Instruit. horrendo strepuerunt classica cantu,
Et jussa cecinere tuba. simul impete diro
Æra crepant. stabant arces, praludia pugna
Aspera. sic, Libycis tutela penatibus, altis
Eminuit trux Byrsa jugis. huc omnibus ardor
Ire per ambages, & longa exorsa viarum
Circumferre gradum. qualis per viscera terra
Fossor in occultos ductat vestigia flexus,
Obliquatque sinus. Tu me per tela, per enses,
Per cineres, aciesque Ducum, per funera, pugnas,

Securum,

Securum, Bellona, rape, & furialia pande
Prælia, suppositosque cavis penetralibus ignes
Et lethi secreta aperi. Iam sanguine ferrum
Irrubuit, grandesque calent pugnantibus iræ.
Hæret in ambiguo Mavors, nec certus in alta
Nube quibus dubitat facilem se præbeat armis.
Pandimus abstrusos aditus, Plutonia rumpit
Claustra labor, sensimque truces convellimus arces.
Progredimur fossis. dextrâ lævâque sub ipsa
Stamus humo. disrupta ruunt fastigia flammis,
Et reserat munita fragor, robusta revellit,
Summa quatit belli rabies. nec segnius instat
Fortis Iber, patriasque domos & tecta Deorum
Asserit, & nullo satiantur vulnere dextræ.
Tum Stheneli Turnique cadunt. hic Pandaron, ille
Dejicit adversum Bitian, Rhætumque, Abarimque.
Vulnerat Ortygium Cœneus, prosternitur Astur,
Et præceps animi Volscens. si nomina mutes,
Adspicias illic Troas Rutulosque feroces
Permiscere manus, densisque occurrere turmis,
Alteraque Hesperiâ defendi Pergama dextrâ:
Insultare Phryges, Danaos circumdare muros,
Et propius, cæsis geminæ custodibus arcis,
Ferre pedem. si quando duces adversa vocarent,
Pro nobis etiam Mnestheus, acerque Serestus
Pugnavere: fuit, qui fata extrema secutus
Euryalus calidum vomuit de pectore flumen,
Magnanimamque animam tepidis abscondit arenis.
Ipse Gubernator, claro de sanguine Schetti,
Tunc etiam patria pro libertate locutus
Creditur: & vigili dum prospicit omnia mente,
Aspera consiliis moderans, nec tristibus impar,
Pugnantûm furias, atque intervalla nocendi,
Vincendique modum laudatus flectit habenis.
Nassovius, quanquam magnas sub pectore curas
Versat, & innumeros pernox se fundit in actus,

Nil

Nil lethi mortisque memor, per saxa, per ignes,
Sulphureosque globos, inter tot busta suorum,
Seminecesque viros, & circumstantia pila,
Fumantes terrarum aditus & lurida tabo
Regna subit, gratoque aspersus pulvere belli,
Non his delicias studiis, non præferat aula
Gaudia. quin totus fruitur, dum dispicit hostem,
Et desperatis transmittit lumina rimis.
Ille, ubi barbarico libratur machina pulsu,
Adstat ovans, operasque novis successibus urget,
Quæ sint excubiis, quæ sint loca commoda vallis,
Quà ruat è portis acies: quo robore tuta,
Præsidioque suis noceat, quot vinea repat
Passibus; & tragicæ furialia munia scenæ
Vnius sunt cura viri; magnusque decoro
Militat exemplo ductor. stant prælia famâ,
Nec vita numerat spacium, vel supputat annos,
Cui sua perpetuas despondet gloria lauros,
Et cœlo cognatus honos. quo vivit in orbe
Celsa potestatum species, hoc judice pugnat.
Sic Ducis adspectu cunctæ stupuere cohortes,
Æmulaque audaci promovit signa Britanno
Gallia, cum secum junxisse pericula vidit
Auriacum, tantoque sui stetit obside fati.
Vt Leo, Marmaricis quem nutriit Africa campis,
Cum subit atra fames, catulis comitantibus, antro
Exit, inaccessos quovis sub sidere montes
Permeat, & lethi contemtor opaca ferarum
Ipse prior lustrat. patriis animosior ausis
Erigitur soboles, prædaque ferocius instat.
Intereà adversum quatiens irata flagellum
Tisiphone, totis concussis viribus orbis
Arma movet, Batimque furens Istrumque receptat
Auxilio, traditque truces hostilibus armis
Relliquias. mistis descendit Nervius audax
Advaticis, longisque armati Lingones hastis.

Et

Et quondam fortes Vbii, Tungræque phalanges,
Membraque qui Morini gaudent durare procellis.
Hi castris inferre minas, fractoque laborant
Aggere vexata dudum succurrere Sylva,
Et ruptas animis spirantes grandibus Alpes,
Eminus adsultant vallo. vix classica primos
Excierant vigiles, Batavûm cum Ductor anhelo
Adventat subvectus equo, lorisque solutis
Virtutis quoque frena sua famæque relaxans
Consilio flectit pugnam, festinaque cunctis
Instruit arma locis, & quà vocat hostis & usus
Infert cornipedem. quo deficit aggere miles,
Vtitur auxiliis. hostes Dux inter & urbem
Pugnat, & à tergo clausos, à fronte lacessit
Suppetias Regum: distinctaque cura triumphos
Conglomerat Batavo. Nec jam cognata feroces
Nomina conciliant proceres. nec sanguinis horror
Nassovios placare duces, commissaque magnis
Bella potest odiis. una de stirpe creatos
Mars dirimit, geminosque ingens distare potentes
Causa facit. Sed non Henrici castra fuere
Henrici superanda manu. Tu Dommala testis
Tela virûm, galeasque, & Martia corpora versas,
Hispanique dolos, & tantis cladibus emptum
Eludis facinus: quodque illa poposcerat umbra,
Multa Briaulteos placat tibi victima manes.
Destituit spes ista Ducem, primusque resedit
Impetus. haud aliter, quàm cum de montibus altis
Gurgite præcipiti scopulis illiditur unda,
Atque in se violenta redit, spaciisque repulsa
Pluribus, hac illac multo mansuetior exit.
Mox ubi fulmineis patuere impulsibus arces,
Nudatumque latus miseranda apparuit urbis,
Et jam semiruti montes, avulsaque fumant
Mœnia, & abruptis se nostra ferocia claustris
Explicuit, rapuitque istam gens æmula laudem:

Tum sic Tisiphone, diris intexta colubris
Cæsariem, quassansque faces: Bella altera, restant
Altera bella Tago. quamvis spes prima fefellit,
Plus superest. aliis Belgi satiabere pœnis,
Hesperia. en, tutum aggeribus revocabimus hostem.
Quod cœpi, peragetur opus. quid dextera segnis
In ferrum lèthale ruis? paterisque periclum
Gliscere? quis torpor socii? Phlegethonta movete,
Successus dum summa negant. hoc Filia Regis,
Hoc Rex ipse jubet. nec nobis altera rector
Tarpeius mandata dedit. convellere regnum
Auriaci, atque ipso in gremio consistere terra,
Consilium est. tacuit, fœdosque à fronte cerastas
Dum manibus furibunda rapit, projecit in amnem.
Atque ait: Hoc vindicta loco mihi poscitur. illac
Ite viri. madeat primis insultibus horrens
Isala, confossosque Duces truncataque membra
Hauriat. ut dixit, peditum simul advocat alas.
Ipsa prait, cuneosque equitum transvectat, & atros
Vndique Marsacis immittit finibus ignes.
Irrupere aquila, & vastis se jactat in agris
Cæsar; & hinc Flevi fluctus, hinc proxima Rheno
Pannonius lustrat quadrupes, metasque nocendi
Præscribi sibi posse dolet. perculsa Sicambrum
Incusat regio, nec custodita superbis
Fit spolium ducibus. fugiunt Faunusque, Ceresque,
Et tu cura Pales pecoris; lateque juvenci
Seminecès ructant, & sparsa mapalia tabo
Spirantes adolent epulas. impleverat urbes
Terror, & audaces aliàs invaserat aulas.
Famaque nigrantes agitans formidine pennas
Vnanimes belli tremefecit murmure gentes.
At non Nassovii virtus ductoris eodem
Fracta metu. dubios casus, incertaque rerum,
Instabilesque vices Martis praceperat Heros.
Nec mora se partes alacrem diffundit in omnes,

Vna

Vna salus, roburque suis. vicina tuetur
Præsidiis, pavidis Rhenum circumtonat agris,
Inde latus munit Vahali. Prudentia solum
Tunc pugnare timet, patriæ nec credita ferro
Libertas. peragit placidè sedata potestas,
Quod vis inconsulta nequit, rabiemque fatigat
Circumspecta quies. post te, Thrasimene, morantem
Laudamus Fabium, dilataque prælia prosunt.
Suspice Belga Deum. medio discrimine rerum
Otia dant Superi, Divûm clementia victrix
Pro te bella gerit. cedunt terrorque, pavorque,
Et cunctis sua forma redit. Vesalia latos
Restituit tibi capta dies. En adspice versam
Vt trahat in speciem fugientis Cantaber hastam.
Hei mihi qualis abit, quantum mutatus ab illo,
Qui venit, ut sumptâ redimat sua tempora mitrâ,
Et debellatis figat tentoria rostris!
Adspice, quàm raras in pristina regna cohortes
Attonitus referat, totos qui insederat amnes
Milite. quàm spoliis Cimbrorum exutus & auro
Æris egens abeat, qui voti prodigus ampla
Hauserat urbis opes. turmis truncatus & armis
Fœda legit retrò vestigia, qui modò plenas
Explicuit campis acies. timet omnia serò,
Qui timuit nihil, & nimium secura ruinam
Fata trahunt. quantis, per te, Frederice, tenebris
Eruimur. tua nos tanta caligine rerum
Irradiat toto vigilans industria regno.
Haud secus ac tumidum cum surgere Nerea cernit
Navita, & Æoliis turgescunt æquora flabris,
Iamque ratim subeunt fluctus: ille impiger Arcton
Respicit, & quanam decimis se subtrahat undis
Arte notat, fallitque trucis ludibria ponti.
Tu quoque non parvum tantis, Casimire, triumphis
Adjungis cumulum. tibi prisca Batavia debet
Asserti spacia ampla soli. transire paratos

Agge-

Aggeribus prohibes, objectoque obice sistis
Barbariem. mordent fluviorum irata catenas
Agmina, & in sterili damnant jejunia terra.
Stabat adhuc Sylvæ facies, formasque nocendi
Invenit, & veluti flexus se torquet in omnes
Anguis, & adversus venientem sibilat hostem,
Irrequieta furit. generosum suscitat ignem
Cana Fides, veterisque juvat fiducia belli
Magnanimam. jam Regis amor, promissaque magnæ
Eugeniæ subeunt, jurataque verba Philippo.
Obvia castra locat, strictos dat euntibus enses,
Egreditur, vocat ad pugnas, hortamine fortes
Prævenit, & nusquam timidos expectorat horror.
Vrbis ad Occiduos aditus, cervi[illegible] arctis,
Planities non magna jacet. nam cetera stagnis
Fluminibusque natant. hoc totus tramite Mavors
Sudat, & oppositis acuit certamina vallis.
Conciderant arces. iterum muniminasurgunt,
Protruduntque operas opera. cum cornua frangis,
Lunaris te forma ferit. cum vincitur illa,
Septa struit transversa labor. superata vetustas
Desinat Herculeos istis conferre labores.
Hic iterum se Lerna movet, fecundaque colla
Parturit, inque dies glebosa repullulat Hydra.
Repimus armati sensim, metimur honores
Passibus, & totam non vult se parvula vinci
Area. multiplicat tellus divisa triumphos,
Annumeratque Duci. circum seges horrida ferri,
Pugnacesque micant dextræ, nec limite longo
Ictibus alternis pugnant. cum vocibus æra
Permutata volant, atque intervalla loquendi
Excipit armorum rabies, contermina miles
Tecta locat, geminaque necent confinia parti.
Fatali stat quisque loco, nec cedit inultus,
Permixtosque agitant sociatis gressibus armos.
Vulnera vulneribus redimunt, sternuntque caduntque,

Inque vices redeunt mortes. huic ſæva cruorem
Ora bibunt, ſanieque horreſcit livida cervix.
Illi ſanguinea venerando in corpore grumâ
Canicies aſperſa rubet. trahit ille labantem,
Purpuream vomit ille animam. portantur in haſtis
Exuviæ, libratque exanguia corpora miles,
Fruſtaque lethiferis quærit Libitina cavernis.
Cerno Thyeſtææ crudelia fercula menſæ,
Cerno Lycaonios artus, Buſiridis aras,
Cerno ſacra Phrygum, ſibi quas placanda popoſcit
Taurica ferales obitus, furialia Thracum
Orgia, Achilleos tumulos. quò gloria ducis,
Quò rapis heroum ſobolem? morituraque jamjam
Nomina? proh quanto meruiſti ſanguine vinci
Vrbs cognata polo. non te ſtipendia tantum,
Venaleſque animæ; ſed quas armaverat ardor,
Non emptæ domuere manus, devotaque laudi
Pectora ſemideûm. ſed quis fragor intonat aures?
Annè Gigantea congeſta cacumina dextra
Enceladique ruunt? an mœnia ſubruit urbis
Mars pater? & diris Corybantia flatibus æra
Excutit? alta labant, muroſque irata reſolvit
Machina, perque domos, tonitrus imitata Deorum
Sævit, & immani turres diſrumpit hiatu.
Eſt genus armorum, quo non violentius ullum
Vel Phlegethon, vel Lemnos habet. coit unus in orbem,
Miranda ſed mole, globus; cui plurima venter
Tela capit: latitant permiſto ſulphure ferri
Pondera, & occultas ſervant in funera cauſas.
Hunc ubi ſerpentis vis imperioſa favillæ
Attigit, obliquo ſe tollit in aëra motu,
Flammivomamque trahit caudam: mox lapſus ab alto
Horrendum ſonat, & magno ſua viſcera niſu
Rumpit, & ingenti involvit vicina ruinâ.
Quos ubi nocturnos flectens Latonia currus
Vidit, & ipſa Deûm circum delubra rotari,

Creditur

Creditur attonitis retro cessisse quadrigis.
His quoque pugnatum. tandem se vinea fossis
Ingerit, & cæcis suppositi mœnibus ignes
Extremus venere labor. disrupta patescunt
Oppida, & incertam spondent suprema salutem.
Exitium tunc Sylva timens, cladesque suorum,
Et nudum perfossa latus, postquam irrita Bergi
Cœpta videt, totamque imis à sedibus urbem
Corruere, atque arcta muros indagine cingi,
Tales sollicito profudit pectore voces:
Quàm nihil imperiis tutum, quàm cuncta revellat,
Quæ steterant, Fortuna procax, Regumque superbis
Insultet malefida bonis, devicta docebo.
Illa ego Brabantûm decus inviolabile regni,
Quæ bis Mauritium, Mosâ indignante, fugavi,
Debebor fratri spolium. quæ Martia sprevi
Bellorumque minas, subnixaque fraudibus arma,
Inque meos usus agrorum commoda verti,
Totque mihi populos solo terrore subegi,
Ludibrium sum, Belga, tibi, vesana potentum
Fabula, & infidæ exemplum memorabile sortis.
Hei mihi quò prisca vires, quò concidit ille
Indomitæ virtutis honos, trepidataque dextræ
Fama mea? quæ trans fluvios spaciosa vagabar,
Aggeribus captiva premor. cui robur in undis
Omne fuit, jam sicca tremo; solitasque cadenti
Immutant elementa vices. adamantina forti
Castra jacent superata manu: præcordia fossor
Ipsa tenet: calco tumulos & busta meorum,
Quò me cunque feram. si tantas, maxime rector,
Promerui pœnas, si parcius imbuit aras
Relligio neglecta mihi; tua fulmina sontem
Dejiciant, Batavis quàm me servare triumphis
Opprobrium crudele velis. da secula Pyrrhæ;
Supplicio leviore fruar. num templa Deosque
Respicis? æterno fumantes thure penates,

Mitra-

Mitratumque patrem, sacra tot nomina turbæ,
Vestalesque tuas? num tot mihi culta per annos
Migrabit veneranda Fides? mandataque magni
Præsulis, & Romæ potero dediscere leges?
Hoc debes mihi Breda mali; vindictaque de me
Clade tua petitur. Patrem quoque funere nostro
Expiat Auriacus. longi dispendia belli
Sera luam, clarisque accedam fortè trophæis
Vltima. Quàm memini, me, cum tentoria figi
Adspicerem, & positis hostes consistere signis,
Illusisse Duci! Turres attollite, dixi,
Immensos siccate lacus, advolvite sylvas,
Sistite præcipites fluvios: imponitis Ossæ
Pelion, excelsam manibus rescinditis æthram
Incassum. cunctos obices & vincula rumpam.
Mille patent nobis aditus. penetrabimus illac,
Aut illac. dabitur meliori pervia causæ
Semita, nec vili succumbam Martia sulco.
Iam Phaëthontæis dicebam Belgica curis
Regna regi, & stolidæ committi frena juventæ.
Nunc & Aloidas geminos super astra negatas
Affectare vias: bimari nunc ludere in Isthmo
Romulidas. cæco raptari turbine, quisquis
Adspiret Sylvæ spoliis. regalibus ibam
Altior auxiliis. suffulta potentia sceptris,
Et gemini Titanis opes, Isterque Tagusque,
Scaldis, & armatis veniens Germania castris,
Subdiderant animo stimulos. nunc omnia retrò
Versa ruunt; veniamque simul vitamque precaris
Cogor, & invisæ fasces submittere terræ.
Heu, dedi jam Sylva potes, jam fracta fatiscis,
Hactenus inconcussa cadis. flos ille potentis
Occidis Europæ, & victam te Marte fateris.
Attamen est aliquid, quod te non degener hostis
Occupat. illa tuis restant solatia fatis.
Si cadis, Auriaci dextrâ cadis. inde, reflexis

Ad victorem oculis, infit: Cape, maxime Princeps,
Imperii nova jura mei, atque extorta Philippo
Mœnia Belgarum cunctis præpone triumphis.
His dictis siluere tubæ, pugnaque resedit
Impetus, & positis Mavors desævit armis.
Verticibus recidunt galeæ, clypeique lacertis;
Hasta jacet, laxant læta thoraca catenæ;
Non ultra adversis cervicibus imminet ensis,
Sæva vel oppositos lacerat catapulta penates.
Castra vacant, veteresque abscedunt partibus iræ.
Iam quater æstivum Phœbe reparaverat orbem,
Radebantque cavas Titania lumina Lances:
Cum leges mansueta capit, Batavoque coactum
Subdit Sylva caput. fesso lux prævia Marti,
Laurigerosque ciens felix Aurora jugales,
Ingentem nobis consummavere laborem.
Panduntur portæ, Dominisque Potentibus arces
Nassovicque patent. miscet clementia dextras.
Et simulatus amor. torquet sua gaudia civis,
Dum dolet, & plausus contraria vota sequuntur.
Spectatrix venere cohors, & læta juventus,
Tardigradique senes arvis ac mœnibus adsunt
Vndique. commendant etiam jam bella puellæ,
Et graditur per tela Venus, studiisque fatetur
Disparibus sua bella geri. non littora quondam
Isthmia, non tantis fremuit concursibus Elis,
Cum celeres Hieronis equos, currusque stuperet
Græcia, victricesque rotas agnosceret Argos.
Omnibus idem ardor, longo qui tramite currunt,
Gramineos calcare foros, sinuataque vivo
Cespite metiri spatia: hic in milite vultus
Intrepidos gressumque notat. probat ille superbæ
Molis opus. vastos alii mirantur hiatus
Murorum, nostrique juvant spectacula belli.
O quam lætus adest, qui nunc illustrior exit
Gentibus, & victor populus quem consecrat annus.
Quam-

Quamvis Auriacas semper comitata secures
Laurea bellatrix fuerit, totiesque triumphos
Et domitas urbes clypeis inscripserit æstas;
Hic tamen antè omnes toti fulgentior orbi
Emicat, & victâ præfert sua tempora Sylvâ.
Ad facinus Mars ipse stupet, nec viribus ultrà
Invictum quicquam esse dolet. nunc pervia ferro
Sidera, nunc ipsos Superûm nutare penates,
Securumque nihil Belga pugnante fatetur.
Fortius haud unquam, nunquam violentius itum
In latus Hesperia, simili nec clade ferocem
Fregimus Auroræ dominum. fortuna labori
Annuit, ingenio robur, fiducia cœpto.
Quàm Superis, Frederice, places. tibi sidera format
Iuppiter, & totus facilem se accommodat æther.
Quàm populis, Henrice, places. æraria cives
Pandimus unanimes. tibi, fortia nomina, Belgæ
In lintres fregere nemus. tibi mille ruebant
Per fluvios plenæ cuneis & frondibus alni.
Submersæ sedere rates, per stagna, per undas
Ivimus impavidi. confudimus æquora terris,
Terrasque æquoribus. Tu, Ductor magne, secundis
Conficis auspiciis bellum, gladioque coërces
Luxuriem fati. patriis virtutibus addis
Plus audacem animum. Fratris successibus olim
Clarus eras, nunc ipse tuis; & sanguine parta
Crebra paludatos ambit tibi laurea fasces.
Quod gaudent Batavi, Batavis quod secula currant
Aurea, vicinum Vahalis quod nescit Iberum,
Nostra quod imbellem miretur Belgica Mosam,
Debet quisque tibi. dubiis formidine rebus
Incœptum damnare caves. constantia casum
Risit, & ancipitem sprevit prudentia lusum.
Vincere num Bredam tanti est? ibi tempora longas
Traxerunt dilata hyemes: hic vincere brumâ
Vinci penè fuit. partas ibi respite grandi

Impensa mutamus opes. non stagna lacusque
Circumfusa nocent Liguri. non viribus ullis
Vicit, at imbelles jugulos ingloria fregit
Supplicio, non Marte, fames. Tu fossor in undis
Munimenta locas, immanique aggere fluctus,
Neptunumque domas. Tu totos abluis agros
Æolus; & ventos tempestatesque secundas
Ad tua jussa vocas. idem Tu miles in ensem
Insurgis; subigisque trucis Mavortia Sylvæ
Robora, dum plenas indulgent horrea messes.
Certavere diu Superi, quis vinceret illam.
Certavere Duces: donec decreta Deorum
Excipis, & cœli dirimis certamina victor.
Sæpius Alciden stupui, seu stringeret angues
Trux puer, aut sævi lassaret terga juvenci:
Sive Cleonæi discerperet ora leonis,
Subderet Antæum lucta, Stymphalidas arcu.
Plura tuæ potuere manus. plus proderit orbi
Brabantûm domitor. soli gravis hydra paludi
Vixit, in Arcadiæ partem vastator abibat
Sævus aper, crudi Thracas Diomedis imago
Terruit. hæ multis nocuerunt sedibus arces,
Vna nec hoc monstrum vallis, non una pavebat
Insula. per Batavos vicinaque rura Sicambrûm
Ibat, & adversas lacerabat dente Salinas.
Mersit Scylla rates. sed & hoc: armata Chimæra
Ignibus ira fuit; vomuêre incendia Sylvæ.
Bellerophon tu noster ades. tu densa rotantem
Brachia Geryonem, raptorisque atria Caci,
Latrantemque domas, victis custodibus, aulam.
It gradibus fortuna suis. præludia famæ
Grolla dedit, dites vexerunt nomina gazæ
Latiùs, admovit grandis Vesalia cœlo,
Vltima pugnantem virtus permiscuit astris.
Macte novis, Princeps, titulis. En ardua pennis
Ipsa tuos circumvelitat Victoria currus.

Frena

Frena tenet Mavors, agilesque in prælia lentè
Ducit equos. circum galeas disponit, & enses,
Scutaque, sanguineasque levans Bellona macharas.
Dextrum Cura latus, lævum Prudentia claudit.
Stat Labor, attritosque gerit post terga ligones.
At Timor, & validis Formido innexa catenis
Ponè subit, laceratque suos crudelius artus
Livor, & insanum furiis discerpit Iberum.
Vna salutantum vox est. confundimus omnes
Vota renascentis patriæ. clamoribus urbes,
Compita, rura sonant. studiis concordibus aula,
Curia, templa favent. victo sic clarus ab Indo
Thyrsigeris rediit subvectus Lyncibus Evan,
Et debellato domitor Tirynthius orbe.
Sic Latium, sic Roma suis spectabilis olim
Occurrit Ducibus, tunc cum Capitolia Paulus
Scanderet, & vinctum spectarent rostra Iugurtham.
Adspicis, ut belli Proceres, & in ære micantes
Adsultent te circum equites? petulansque superbis
Passibus incedat sonipes? crebroque peractum
Hinnitu testetur opus? Tibi concrepat arma
Miles, & in lusus bellorum seria vertit.
Ordine discurrit, vibrantur cominus hastæ,
Nunc stat tota phalanx, geminis nunc scissa catervis
Obvia procedit. fugiunt, iterumque reflexo
Agmine restaurant pugnam. pars altera victrix
Militat Auriaco, pars hæc mentitur Iberum.
Est, ubi in excelsis picturatisque columnis
Carmina suspendant vates: ubi picta Leonis
Adspectes Batavi clauso pomœria septo.
Ille coruscantes adstricto fasce sagittas
Vngue tenet, Bredaque novis admurmurat iris,
Et pavidam caudæ perstringit verbere Lingam.
Floribus ornantur Satyri, Faunique bicornes
Exiliunt, nectit festas Galatea coronas,
Victoremque rudi sequitur modulamine Phyllis.

Quæ clypeos nuper calcatis sumserat agris,
Triptolemo ridente, Ceres, jam pristina rursus
Rura colit, gladiosque suis occultat aratris.
At procul æquoreis pugnans Neptunus in undis,
Acrior ad famam, transtris hostilibus instat,
Atque omnes Tritona jubet deferre per oras:
Ire per Hesperium pelagus, terroribus aulam,
Et Siculos implere Deos: narrare potenti
Borbonio, Tamesisque patri: mox longius actum
Ire per Ionios fluctus, ubi militat acer
Adria, & Ausonii librat discrimina belli.
Ivit & Arctoum qui nuncia ferret in orbem,
Qui fractum erigeret Cimbrum, Sueonumque tiaras,
Et lætis Gothicum recrearet vocibus ostrum.
Fortunate Ducum, magni, Frederice, parentis
Gloria, cui titulos frater transcripsit, & enses,
Indue te patriæ meritis, laurosque triumphans
Continua. placidam Libertas aurea frontem
Explicet: Vnanimes societ concordia terras,
Te monstrante viam: faciles dent rostra secures:
Sit fœcunda domus: patrios exsurgat in ausus
Filius, & teneri cupiant è casside vultus
Adspectare tuæ bellacia mœnia Sylvæ.

Triumphus super CAPTA OLINDA, Pernambuci urbe, Brasiliæ Metropoli.

INvenit spes nostra viam. patuere Philippi
Imperia, Hesperidumque domus; & Vespere ab ipso
Affulsit Batavis lux optatissima terris:
Quaque cadunt rutilique ruunt Hyperionis ignes,
Belgarumse tollit honos. Ah, ipsa laborat
Gloria. non unus nobis quoque sufficit orbis,
Quærimus audaces alium. confundere mundos,
Et procul adverso divisos cardine Soles
Pars mundi tantilla potest. nos vincimus ipsi,

Et causis majora damus, famamque fidemque
Transcendit nostrum facinus. tu cœpta parentum
Successusque patrum veniens miraberis ætas.
Necdum etenim furor Hesperiæ, sævique dolores,
Et debellatæ magnis ululatibus urbes,
Insontesque rogi Procerum, flammaque piorum
Exciderant animis. istis ex ossibus ultor
Nascitur, & feros acuit vindicta nepotes.
Concutitur fortuna Tagi, convellimus arces,
Vincimus indomitas urbes, spoliavimus æquor,
Regales partimur opes, abradimus usque
Austriaci titulis aliquid, sequimurque potentem,
Quà prait, Auroræ dominum. si terreat Ortum,
Et sua longinquis figat vexilla Moluccis;
Regnamus juxtà socii, medioque natamus
Oceano, jactatque suum Battavia nomen,
Et bellum Ternatæ gerit. Si Sole perustus
Afer, & in Libycas Nigris spatiatus arenas
Littoraque & populos victori cedit Ibero:
Imus in adversum ratibus victricibus hostem,
Carbasaque hac ipsâ defigimus invida glebâ,
Et commune solum nobis, commune profundum
Credimus, & paribus mercamur finibus aurum.
Quà Persas Arabasque domat, calidoque sub axe
Fervida Erythræis dominatur fluctibus Ormus,
Objicit arma furor, totoque occurrimus Indo.
Sin satur Europæ Princeps, Asiæque potentis
Ebrius imperio rector Plus cogitat ultra,
Occiduoque infert aquilas & nomina mundo:
Ponè subit Boreæ populus, tranquillaque sulcans
Æquora pacificis etiam depugnat in undis;
Aut inventa secat freta, vel vicinius Austro
Invenit, aut nostris Chilen ardere favillis
Adspicit, aut celsæ trepidare palatia Limæ,
Proregumque domos, timidique abstrusa metalli
Viscera, & immensis turbari Mexica damnis.

Laxat regna sitis lucri. spe militat istâ
Quilibet. utilitas fines metitur honesti.
Quaque datur, Batava Mavortia pectora pubis
Sternunt ense viam. certant fortuna, laborque,
Alternantque suas ratio atque audacia partes.
Nunc belli rabies, nunc est prudentia laudi,
Nunc malè compositos ausus sors ipsa secundat.
Nunc nocet Oceano Nereus, nunc Æolus Austris
Asperat infestas hiemes, classesque moratur.
Morbida jam fluidas vexant contagia turres,
Et languent squallore Duces, irataque membris
Ignavas virtus queritur vilescere dextras,
Nec Marti constare viros. per densa malorum
Agmina, per varios casus, per saxa, per undas
Scrutamur, qua parte nocens mortalibus aurum
Pullulet, & dites designet fama recessus,
Ac scelerum prudens abdat fomenta Creator.
En Tartesiaci majestas fulgida sceptri,
Et Siculus subsidit apex. dispendia rursum
Et clades Olysippo suas, damnataque fata
Occasum Castella dolet. post subruta Sylvæ
Mœnia, & attoniti tot propugnacula Rheni,
Externo Mars orbe furit. nec terra, nec æquor
Otia dant, Rex magne, tibi. devovimus omne
Terrarum pugnis spatium, cunctisque paramus
Prælia sideribus. specta, stant littore toto
Carbasa Belgarum, & peregrinas mordet arenas
Anchora. Nassavias exponunt panda cohortes
Corpora, bellacesque viros penetralibus edunt
Distentæ castris alni. sic ultima mundi
Discant Auriacas admittere regna secures.
Et jam Mosa pater, jam nunc vetus accola Rheni
Barbaricos potant fluvios, & divite portu
Brasiliæ fixere rates. bellator Olindam
Belga tenet, geminasque rapit pavitantibus arces.
Pugnant Arctoæ Phœbo spectante phalanges,

Flumina

Flumina. Hyperboreas vectant ferventia lintres,
Insuetos fugit unda viros, & sanguine nostro
Fumantes tinguntur aquæ. ferale cadaver
Ignota procumbit humo. novus advena, quâ vix
Constiterat tellure, jacet. quin rupibus altis
Stans aliquis, vultus alios agnoscit & ora,
Miraturque suis Batavos considere terris,
Et streperis patrium lituis intendere carmen.
Adstant indigetes, & si quos terra recepit,
Vel dedit ipsa, Duces. horrent appellere puppes,
Adventare acies pelago; tormenta parari,
Torvaque Arausiacis impleri tympana bombis,
Et ferro nova regna peti. Nos Sole sub ipso
Cernimus ardentem capiti Phaëthonta minari,
Verticibusque instare rotas. miramur, ut aquis
Penè secet cum nocte diem Latonius horis,
Nec septemgemini surgant de more Triones.
Nunc umbras nemorum rectas, nunc ire sinistras
Adspicimus, tepidasque hiemes, bis jugiter annum
Messe coronari. monstrat Neptunia proles
Nunquam visa prius mutari sidera cœli.
Thuribulumque notat, Grajæque aplustria puppis,
Inque suis variè sinuosum partibus Hydrum.
Huc postquam oppositis classem flexisset ab Afris
Rector, & ignavum superasset puppibus æquor,
Mœnia conspiciens tantis servata triumphis,
Ad socios tali fertur mox voce locutus:
O socii, seu me partes rectoris habere,
Seu vobis comitem cupitis, quacunque paratus
Lege adsum. bellum paribus commune periclis
Aggrediar; patiarque meis, discrimine nullo,
Me quoque signari monitis. quam cernitis urbem,
Credite materiam laudis, famæque perennis
Argumenta dari. nostris hæc Pergama dextris
Expugnanda manent. hæc mecum mœnia latè
Scandite, nec tantis desit fiducia cœptis.

Hoc nuper fletimus mundo, cum turgida gazas
Evomeret Matança suas, cum territus Astur
Argenti vacuas Cuba de littore puppes
Cerneret, & totos vectaret Belgica montes.
Hic malè servatam nuper possedimus urbem,
Hoc arsere rates pelago. præmissa futuri
Dant exempla fidem. quisquis contempserit hostem,
Iam vicisse putet. quondam Milesia fortes
Terra tulit. fuerit toties Hispania victrix,
Iam timet, &, quod custodit, stat concolor auro.
Successus si fata negant, hæc terra sepulchrum
Præbebit, tumulosque viris, vel corpora Triton
Littoreis subducet aquis. remeare negatum
Ad veteres Belgî fines. hic vivere victos
Prô pudor, hic servire genus miserabile pœnæ.
Si fugitis, negat unda fugam: si montibus abdi
Et nemorum cupitis latebris, his barbarus antris
Iste latet, vivo distendens viscera pastu.
Nec patitur res nostra moram, per singula lethum
Impendet momenta. duces excitaque cunctis
Latè signa locis aderunt, afflataque pauci
Præscribunt alimenta dies. si bella nequibunt,
Vincet fœda fames miseros. non horrea nobis,
Aut fera Eleusinas collegit America messes.
Deserimur terrâ, pelago. spes omnis in armis,
Et virtus sua quemque manet. qui fortiter hostem,
Securus feriet. morti vicinior omnis,
Qui timet, & lethi causas formido ministrat.
Hic domus, hic cunctis patria est. quos struxit Iberus,
Transcribet brevis hora lares. victoria justis
Nuncupat hæredem titulis. quæ surripit hosti,
Præmia justa putat. non hoc raptoris iniqui;
Militis officium est. veteres migrare colonos
Bellonæ lex prisca fuit. fecere Quirites,
Et clarum genus Æneadum. mihi cana senectus
Quamvis tela neget validis torquere lacertis,

Primus

Primus iter pedes ingrediar. cum dextra fatiſcet,
Pugnabo monitis. O quantæ Iuppiter urbis
Hoc libras momenta die. ſi numina proſint,
Hac fati modus in dextra eſt. Sic Ductor euntes
Incitat, & colles ultrà progreſſus & amnem,
Iſta iterat, patriæque decus, preciumque laboris,
Spem Batavûm miſcet dictis. cum nulla furentem
Vis tenuit populum, tantoque à principe quiſque
Incaluit, ſumſitque animos. Non ſaxa retardant,
Non fluvii. cedunt cuneis fugientibus hoſtes,
Vincuntur delubra manu, furor efferus inſtat,
Vrbs capitur, ceduntque altæ pugnantibus arces.
Non aliter quàm cum cæco rex Æolus antro
Luctantes ventos tempeſtateſque relaxat
Iuſſibus, & clauſos tenebroſo carcere fratres
Solvit, & Ionio patitur ſævire profundo.
Illi indignantes, quæ ſors dedit obvia, ſaxis
Impingunt rabiem, fluctus ad ſidera tollunt,
Tenſaque perculſis diſcerpunt lintea nautis.
At contra furiis immanibus invidus ardor
Occupat obſeſſam Heſperiam. victoribus urbem
Dum nequit, eripuit prædam, fœtoſque penates
Mercibus; & propriis damnans congeſta favillis
Scrinia, vota Tagi noſtrûmque intercipit amens
Livor, & iratis donat ſua munera flammis.

Ergò iterum extremis lauros ſuſpendimus oris;
Rurſus ovans alibi Belga eſt, & diſſita longe
Imperia ignoto victor ſibi vendicat orbe.
Cœlum aliud Solemque videt; Zonæque rubentis
Hoſpes agit peregrè; & quà flammea dividit axem
Linea, cum magno partitur regna Philippo.
Si propius noceant Morini, ratibuſque minentur;
Et nobis Duynkerka patet: regalis Olinda
Occiduum vaſta mundum prædabitur orâ;
Claſſibus inſtabit Siculi rectoris, & auro.
Hæc raptas ſervabit opes. hæc regia claris

Ditescet regum spoliis. hæc altera surget
Carthago, Hesperiam contrà & Tartesia longe
Ostia. Nassovios currus & Principis arma
Hic metuet vesanus Iber. Iamque oppida Sanctis
Nominibus devota rapi, tot flumina subdi
Auguror, & pavidis Platam pallescere ripis,
Compesci castris Ienerum, servire Maragnon,
Patagonumque domos, & cruda barbara victu
Corpora civili sensim mansuescere cultu,
Annuaque excelsis extundi sacchara cannis.

TROPHÆVM ARAVSIONENSE;

Sive in interceptam, ad Scaldis ostia, Hispanorum Classem,

POËMATION.

Continuat nostras Superûm clementia lauros,
Rursus victor ovat populus; domitisque triumphans
Hostibus, exuti spoliis exsultat Iberi,
Et formidatum cernit pallescere Scaldin,
Hesperiosque duces; atque infelicis Elizæ
Transtra rapi, & toto palantes flumine puppes,
Belligerasque rates & castra natantia mergi.
Sic belli Fortuna moras, & longa resarcit
Otia, cunctantemque diu Victoria cingit
Auriacum. quæ segnis iit, sine motibus, æstas,
Illustri se fine probat, Martique trophæum
Figit, & ignavi dispendia corrigit anni.
Constitimus Morinûm terris, tot navibus æquor
Stravimus, hostiles latè calcavimus agros,
Terruimus famâ populos. timuere potentes,

Et quondam dites Brugæ. quin conscia culpæ
Nos etiam potuit longè Duynkerka timere.
At tum cura Deûm cœptis & pronior æther
Defuit, & pulchram Flandrorum vincere gentem
Immeritum visum Superis. nunc numine lævo
In Scaldin flexere minas. ubi Martia turres
Tollit, & Albanâ stat formidabilis arce
Andoverpa potens. illic generosa Philippi
Progenies, regum soboles, jam dedita cœlo,
Nec minus & lituis Princeps intenta tubisque,
Tales magnanimo profudit pectore voces:
Illa ego, quam niveis toties Fortuna quadrigis
Vexit & innumeris auxit Bellona triumphis,
Quæ sceptris parere meis devicta coëgi
Oppida, bellacis fregi Mavortia Bredæ
Mœnia, & in mediis suspendi signa Sicambrûm
Visceribus, per tot fluvios, urbesque cucurri,
Et Flevum Vahalimque cavis thoracibus hausi,
Victa cadam Batavo? vel nunc imbellis habebor
Femina? si solitis fraudata est viribus ætas,
Non tamen hæc animis est exarmata senectus,
Consiliisque animus. veteris mihi flamma juventæ,
Et belli nova cura subit. non impiger ultra
Oppida Nassovius, me milite, vincet inultus,
Et pariter terrâ, pariter superabimur unda.
Cessit Sylva Duci, cessit Vesalia doctis
Fraudibus, atque alio tristes sub Sole Matança
Ereptas doluere rates. accessit Olinda
Cladibus, & gemino decessit gloria mundo.
Non alias adversa magis constrinxit in arctum
Res Bellona meas. num dedignantibus astris
Bella gero? num Martis amor plus gliscit in hoste,
Destituitque meos? ubi nunc vis effera Iberæ
Gentis, & heu, nostra metuenda potentia dextra,
Et tanta lux prisca domus? num regia nutant
Imperia, & nobis aliquod male numen amicum est?

Non ita Dî patrii faciant, maneſque meorum,
Degener ut credar magno pregnata parente
Filia, & Auſtriaca titulis indigna tiaræ.
Imus in adverſos hoſtes; nec deſide cura
Eugeniæ marceſcet honos. hæc induet arma
Canicies, preciumque meis Mars ſumet ab annis.
Rumpe omnes, Iſabella, moras, totque inter & hoſtes
Et terras, luat illa, ſuis quæ tuta procellis,
Suaviter hunc belli gaudet ſpectare laborem,
Et fruitur, ſecura mali; conſultaque pacis
Deſpicit, & noſtris nutrit ſua commoda damnis.
Hæc pacem mihi victa dabit. diſcentque propinquò
Marte fatigatæ tandem manſueſcere gentes,
Et pacata loqui. VValachrûm divulſa Batavis
Natio, crudeles bellorum leniet iras.
Hîc vos, ô ſocii, temeratæ ſumite pœnas
Principis, hîc victæ pridem depellite Sylvæ
Dedecus & tantum gladiis abolete pudorem.
Cernite, quas circum Tethys colit horrida, terræ
Argumenta ferent laudum. ſit quæque furoris
Materies & cauſa mei. quamcunque tenebo,
Sentiet una ſibi naſci diſcrimina Berga,
Bellaceſque peti tantis ambagibus urbes.
Sic ait, inſtigatque Duces, bellique potentes
Inſtruit. aſſurgit vano Brabantia faſtu,
Et tumidas jactant populi ſuffragia voces,
Eventuſque notant, & gratum partibus omen.
Accelerant mandata alii, permiſſaque ſylvis
Æra ſonant. grandes aptantur navibus orni,
Et totos ſorbent naſcentia carbaſa lucos.
Spirant bella trabes; & quà diſſecta pateſcunt
Robora, ſanguineis ducuntur fila lituris;
Vel percuſſa gemunt, cladis præſaga futuræ.
Illic murali reboantia corpora pulſu
Cymba vehit, terretque ſuo trux machina vultu,
Sulphureas claudens immani ventre favillas.

Parte

Parte alia aratas capiunt aplustria glandes,
Telaque, funereasque faces, thoracas ahenos,
Et quascunque furor, mensque ingeniosa recentes
Invenit exitii causas, formasque nocendi.
Adventare Duces cernas, milesque cruentum,
Qua graditur, sibi signat iter. pugnacia saevis
Pectora flagrabant studiis, & classica votis
Praecipiunt, ardentque adversa lacessere regna.
Qualis aper, fulvusque Leo, cum tempora circum
Luxuriant rutilantque comae, jamque obvia prensat
Unguibus, & cupidis spumant sub dentibus ora;
Antra fugit, pigrosque specus, & monte relicto
Optat in oblata morsus defigere praeda.
Caerulea tum forte domo, vitreoque cubili
Extulit os pelagi rector, cui plurima mentum
Et circum fluidos velaverat alga capillos,
Eque humeris multa surgebat arundine vertex.
Utque oculis classem bellatricesque triremes
Vidit, & insano caeptum molimine bellum,
Spumiferos alto ructans è gutture fluctus,
Risit, &, En alter Phaethon jam navigat, inquit,
Et male qui rexit patrios auriga jugales,
Praeficitur jam nauta rati. quam lata meorum
Praeda venit manibus, quam mox vesania poenas
Inconsulta dabit, dum centum vecta per altum
Remigibus sperat Toxandrûm appellere terris,
Et totis junctas animis divellere gentes.
Hic clades, Hispane, tuas, tumulosque tuorum
Adspicies, hic busta vago circumflua ponto,
Et deplorata lugebis fata ruinae.
Sic fatus laevis implevit pectora curis,
Ipsaque funesta juvit primordia pugnae.
Ibat ovans animis, bellique accensus amore
Nassovia de stirpe aliquis, famaque sititor
Improbus, attonitas remis audacibus undas
Fregit, & Oceano puppes fugiente secutus

Tethyos alterna infidas trajecit arenas.
At contra Auriaco vigiles traducere noctes,
Explorare vada, & mersis imponere terris
Præsidium tunc cura fuit. nunc undique fines
Tutari; nunc arma armis, ratibusque feroces
Objectare rates, & quo vocat usus & unda,
Neptuno famulante, sequi. dum cominus hostem
Occupat, & junctis crudescunt prælia dextris.
Tum densæ coïere acies, & judice ferro
Bellantûm fortuna stetit. maduere cruore
Transtra, fori, & fuso rubuerunt sanguine fluctus.
Puppibus incurrunt proræ, securaque rostra
Illidunt lateri. pugnant, sine mente, carinæ,
Ponderibusque nocent. fragili sua gloria ligno est.
Et concussa bibunt multam rimosa paludem
Carbasa, & abducto segnes hæsere profundo.
Accendit Bellona viros, ensisque manusque
Incaluit. veteres acuit pugnantibus iras
Libertatis amor. nescit non vincere, quisquis
Desperat victus veniam. cui triste paratur
Servitium, satis potius, quam cesserit hosti.
Certavere duces, & toto plurima bello
Emicuit procerum virtus. hic milite puppes
Instruit, acceleratque rates; qua deficit, urget.
Hic curvos servare sinus, hic pandere vela
Hic revocare jubet. peragit prudentia partes,
Bellatrixque manus. donec vallante corona,
Et geminis hostile agmen concluditur alis.
Quid referam? pugnæ faciem, Syrtesque repletas
Stragibus, & cœco cumulatas gurgite mortes?
An fluvii refluos æstus? tardasque carinas
Occultis hæsisse vadis? an flamina jussis
Conjurata Deûm regalem exscindere classem?
Singula miratur victor. miratur & illud,
Pro nobis pugnasse Deos, pelagusque, polumque,
Nos fatis, hostemque manu. spes irrita cœpti
Mergi-

Mergitur, armataque acies, revolutaque tela
Autori nocuere suo. Rhamnusia fallax
Intersit, vertitque rotam. premit illa ruentem
In sua fata ducem, dispersas disjicit alnos,
Disjectasque fugat. nunquam fluitantia late
Largius Arctoos pavere cadavera pisces.
Corporibus premitur Scaldis, obstructaque passim
Ostia conclusas remorantur fluminis undas,
Ne possint remeare vaga. gens nautica, fati
Prodiga, districtis odium mucronibus explet,
Et lethum praefert spoliis, juguloʃque cadentum
Pro mercede petit. quotquot furor iste pepercit,
Victorum strinxêre manus. mirabile visu.
Illa cohors nostris minitans incendia portis,
Battaviaque alta famulas cervice reposcens
Supplex ante pedes, tanti jam nescia fastus
Ponit signa libens. cujus properantia sero
Vela die, tumidasque minas timuere feroces
Toxandri, sua vela fuga, pavidasque rudentes
Destinat, exuviasque mari transcribit & hosti.
Hic clavi, transenna alibi, casisque phaseli
Remigibus per summa natant. hic lintea ruptis
Funibus insternunt fluvios. retinacula spernit
Anchora, & antennis jactantur suppara fractis.
It maestum portis agmen. pars nuda trahentes
Corpora, pars vani damnans exorsa laboris,
Aversosque Deos. quos spes erexerat ingens,
Demissa cervice gemunt. spectantur inermes
Dux, miles, totasque trahunt ergastula turmas.
Tales Romulei, trepida Carthagine, portus
In Libyam misere rates, cum transtra ducemque
Illustris caperet Xantippo vindice Byrsa.
Sic credam pugnasse Tyrum, cum navibus arces
Cingeret, & tumidis juvenis Pellaeus in undis
Fluctibus immersa muros convelleret urbis.
Sic Persam tumuisse ferunt, cum sterneret Hellen.

Sic Persam periisse ferunt, cum parvula magnum
Regnatorem Asiæ vixdum subduceret alnus,
Et victrix totum sorpsisset Græcia Medum.
Hic quoque Thermopylas, hic providus arcta viarum
Obsidet Auriacus. Salamis hic altera fauces
Stringit & exili Xerxen intercipit alveo.
Allia ferales Latii reminiscere clades,
Dic casus Thrasimene tuos. vos dicite Cannæ
Ductoris Pœni rabiem. non dispare fato
Pugnat Iber. captiva, duces & signa tenentur,
Armaque cum sociis, & cum vectore carina.
Partiri nescit Batavus. capit omnia victor,
Materiesque mali multos congesta per annos,
Deseritur pelago. Martis scelerata supellex
Vndique colligitur, cumulataque plaustra metallo,
Æraque, quæ Corybas diros fabricavit in usus,
Et Lemni sudantis opes, Steropisque labores.
Iam timeas, Brabante, Deos, tot fidere rostris
Desine, molirique rates, instare procellis,
Et superimpositis insternere flumina sylvis.
Victrix causa Diis placuit. si victa probatur
Eugenia, causa partes & vindice distant.
Nostra tamen melior. quorum victoria velox
Auspiciis effecta Dei est. quid classe lacessis,
Inque suo demens audes vexare profundo,
Indigenas Nerei, populos? queis pontus & æquor
Sunt natale solum, Castor cum fratre Penates,
Lar Triton, quibus unda sitim castigat, & omnis
Vita procellosa traducitur Amphitrite.
Luna quibus pro Sole micat, pro luce tenebræ,
Horridus impavidum flabris exasperat ævum
Æolus, & gelidæ indurant præcordia noctes.
Terra tua est. laxos aciem dispone per agros,
Hæc belli sit meta tui. sors una Batavûm,
Neptuno propiore frui, facilesque profundi
Explorare vias. ista se jactat arena

Belgæ

Belga meus, nostris hæc area panditur armis.
Hic documenta damus, quantum Neptunia possit,
Prompta manu, soboles. nescis? non longa revolve
Tempora, cum fluidas ultrix Hispania turres
Conderet, & multa Tartessus puppe nataret,
Fœdaque deberet toto ludibria ponto.
Vel cum Cantabricas bellatrix Horna carinas
Subderet, & captus gemeret sua vincula ductor.
Tu mea, tu raptas vidisti Antverpia puppes,
Cum victrix Vlissinga, tuis sub mœnibus audax,
Feralem raperet prædam. flevere cadentem
In ratibus Ligurem Morini, captasque triremes
Et debellati fatalia damna Philippi.
At Tu, summe Ducum, patriæ virtutis imago,
Ingenti nec fratre minor, tutela tuorum,
Illustris Frederice, tua præconia terræ
Collige, & has læto voces concede poëtæ.
Egrederis famæ spatium, laudumque theatrum
Imples Marte tuo. cœli convexa coërcet
Limitibus natura suis. tu sidera transis,
Et Superos bellator adis, qua Persea magnum
Inter & Alciden sidus venerabile fatis
Servant fata tuis. vasto stat terminus orbi,
Non tibi. Romuleos æquant tua bella triumphos,
Quæque tuis semper comes est Victoria castris
Annuit, & gestit tecum Fortuna pacisci.
Te Duce decurrunt nostris felicia rebus
Tempora, signanturque notis victricibus anni.
Iam pater Oceanus, jam flumina vincta trophæum,
Iam victæ præbent urbes. cum militat æther,
Dissentire cavent undæ. cum militat unda,
Iuxta terra favet. si Ver applaudit amicum,
In partes trahitur placatis mensibus æstas.
Quique gravis morbos Autumnus parturit, uni
Auriaco gravis esse timet. cum cerneret ipse
Scaldis Arausiacas undis innare phalanges,

Pro

Pro te, pro Batavis jam tunc oracula fudit,
Faustaque de gemina fremuit tibi carmina ripa.
Sis precor assidue felix, Mariique senectam,
Et senis Augusti numera. sit Belgica concors
Te ductore. truces terris averte Philippos.
Cingat sæpe tuos bellatrix laurea currus,
Istaque venturi stupeant exempla nepotes.

TRIVMPHVS FEDERATI BELGII,

Super debellatis ad Mosam urbibus, VENLOA, STRALA, RVRMVNDA, TRAJECTO, &c. pluribusque ad Scaldin victis Castellis.

IT Batavo Fortuna comes, rursusque Potentes
Dat fama Bellona Patres. sub Principe læti
Vincimus, & gaudent sibi successisse triumphi.
Omnis in extremum virtus Mavortia Mosam
Vertitur, & veteres belli vindicta Sicambros
Poscit, & haud uni jam nunc gravis incubat urbi.
Talis in Ausonias victor dum fulminat arces
Hannibal, & Trebiæ geminant dispendia Cannæ,
Tot Pœno patuere urbes, totumque ruenti
In prædam cessit Latium. quin oppida latè
Sidonio cernas sub bellatore pacisci.
Ipsa Croton portas, Lacedæmoniumque Tarentum,
Et trepidans Atella aperit. nec subdere colla
Sublimem puduit Capuam. se Samnis, & acer
Brutius, & versis mox dedidit Appulus armis.
Stabat Roma stupens, & tantæ conscia cladis
Defuit una sibi. nec te, Brabantia, Romæ
Dissimilem jam credit Iber. lenta agmina ductas
Degener, & seris ordiris prælia castris,
Dum cataphractæ tuos circumdant agmina muros,

Con-

Concussaque ruunt, concussis urbibus, urbes.
Sic tibi, sic magna Mavors pater esse locutus
Dicitur Eugenia, sic incusasse morantem:
Quam mea discordi jam numine regna tuentur
Auriacus, geminoque graves sub sole Philippi.
Languit Afrorum domitor, titulique pudorem
Incutiunt Asia domino. quos supputat orbes,
Alter habet, grandisque labat fortuna peculi.
Stat quovis jam Belga loco. jam victor ubique est,
Quem constat vicisse domi. jam vincere spectas,
Atque iterum superare domi; quem gloria belli
Pracinxit non una foris. jam puppibus audax
Imperat Oceano, & lituis navalibus aequor
Personat immensum, formidatumque tridentem
Neptuno trux nauta rapit. jam flumina stringit
Legibus, attonitoque extorquet littora Scaldi.
Nil sinit intactum Auriacus. non ferrea Sylva
Mœnia, & assuetas sceptris regalibus arces
Perdomuisse satis. pronis fiducia fatis
Occurrit; quantumque sibi promittit, ab armis
Impetrat, & quavis lauros suspendit arenâ.
Non virtus, non dextra Ducem, non provida fallit
Sedulitas, patet ipsa dolo Vesalia, nec se
Totâ nocte tegit. divulso cardine pandit
Claustra Sinon, portasque potens intercipit astus:
Ille rates raptaque tibi compendia classis
Vertit in autores, & per tua currere doctus
Ostia, debellat fluvios; & ahënea laxans
Castra, Gigantaa paulatim adremigat urbi.
Sic stabulis pecorique gravis Massylus in horas
Crescit, & indomito debellat dente ferarum
Antra leo, semperque novas despumat in iras.
Vnius Hesperia cecidit decus. otia Batin,
Et mala pugnacem jam damnat inertia gentem.
Non cupit à segni tractari Principe regni
Publica majestas. animo quod deficit, ipsi

Deficit

Deficit imperio. quantum virtutibus audit
Inferior, fit sorte minor. formidine surgunt,
Et gliscunt adversa metu. cum plebe labascit
Cura patrum, torpetque omnis, ceu femina, rector.
Non ducis Albani rabiem, tinctasque cruore
Barbarico laudabo manus. laudabimus arma
Belligerasque manus, Siculo tot reddita regi
Oppida, & exutos castris ac mœnibus hostes.
Quantus eram, Transalpinum cum duceret agmen
Farnesius. cum quisque notis victricibus annus
Curreret, & nostros signarent prospera fastos
Prælia. cum supplex excussos Belgica fasces,
Et spretas iterum Morini coluere tiaras.
Nec te, magne Ligur, tacitum, aut tua facta silebit
Fama memor. tu diviso fera cornua Rheno
Fregisti, & valida signasti fœdera Bredæ.
Tu dare Germanis leges, tu cogere Nicrum
Cunctando poteras, & vafris fallere pactis
Teutona. quot mediis Liparæ fornacibus æra
Sudavere tibi; subito cum nescia vinci,
Placaret sola victorem Ostenda ruinâ.
At tu sceptriferam Brabantia segnis inuris
Castellam maculis, æternaque probra potenti
Admisces populo. priscæ, vah torpida, famæ
Diva dees, cladesque tuas circumspicis excors.
Militia quondam titulis, procerumque vigebas,
Consiliis, septumque tua inviolabile terra
Asseruit dudum Genuas. nunc ægra labantes
Vix clypeos hastasque trahis, laxataque sponte
Labitur, & tremulo subsidit vertice cassis.
Non una ratione peris. te plurimus error
Arguit, evincitque ream. cur Spinola ductor
Mittitur Insubribus? quo non felicior alter
Flectere vel belli poterat vel pacis habenas.
Scilicet ut tali infelix viduata magistro,
Ignaro dubioque diu rectore perires.

Æmula

Æmula cur vexat tumidam vesania Calpen,
Cantabricosque duces? cur fastus livor inanes
Immiscet populis? ut cum sua castra movebit
Impiger Auriacus, ducant consulta moraque
Devotam cœlo Eugeniam. succurritur Istro,
Vt pereat Scaldis. defendant arma Mosellam,
Vt nova neglectum maneant discrimina Mosam,
Et Batavis cedat detonsa Sicambria signis.
Non minor Austriaco, & Romani pondere belli
Causa tua est. fatis geminæ communibus aulæ
Surgitis, occiditis fatis communibus ambæ.
Poscit Cæsar opem, sed non ut proxima nutent
Imperia, & vacuas hostis custodibus urbes
Insideat. nimium propriæ secura salutis,
Damna aliena caves. socios improvida curas,
Immemor ipsa tui. gaudes te perdere demens,
Dummodo cognatis constet reverentia sceptris.
Quin tua dum tacitis flagrat dissensibus aula,
Et foribus gravis ambitio est; dum luxus Iberas
Sorbet opes, & nostra vorant stipendia mensæ,
Expensæque leves; incassum æraria miles
Sollicitat, gratisque negat pugnare cohortes.
Heu nimium faciles læsis diffidere rebus.
Invertit mox scæva fidem, & proscribit honestum.
Pauperies, dominumque suum fastidit egena,
Nec crimen jejuna timet. tunc irrita belli
Sacramenta putat, meritis cum præmia desunt,
Raraque bellaces implent sestertia dextras.
En agros hostilis eques, damnataque fatis
Rura tenet. mediis grassans exercitus hæret
Visceribus, quassatque faces. spumantia circum
Cornipedum te fræna sonant, umbraque minaci
Et spisso totos involvunt pulvere campos,
Dedecoris monumenta tui. cur arma, diesque
Projicis, & timida sequeris compendia vitæ?
Et sordes ignava domi? succumbit inermis

Venloa,

Venloa, nec Martis perfert Rurmunda laborem,
Stralaque victorem patitur. nunc nobile luget
Trajectum, bifidamque urbem cinxere corona,
Vt poßis mox tota capi. Tu inglorìa pergis
Spes damnare tuas, & deplorata fatiscis.
Iamque Duces infensa tuos, sperataque longe
Rhaticolas ultra Pyrenæosque recessus
Consilia incusas, alienaque crimina culpas.
Quod si non alios populo, Regique, tibique
Impendes animos; restat ferale tropheum,
Quod superest restatque tui. Bruxella timebit,
Horrebunt Grudii, & concusso cardine regni
Dediscet veteres Antverpia dives habenas,
Mutabunt dominum Brugæ, & languentibus armis
Vltimus Auriacos sperabit Nervius enses.
Hæc metus, hæc Parca, sceptrique volubile pondus
Subjiciunt animo. veniet labentibus annis
Iste dies, nec me incassum monuisse quereris.
Hæc ubi pacatæ Mavors infrenduit atrox
Eugeniæ; subit ira Deæ, priscusque recursat
Gentis honos, grandesque jubent assurgere curæ
Decrepitam. simul arma capit viresque juventæ
Canities augusta. manu quin ipsa trabalem
Hastam intorsit agens, & vertice Brabantino
Marti signa dedit. subitis Dux advolat alis,
Et formidatas aquilas, subductaque Nicro
Castra trahit, castrisque locat Gonzala propinquis:
Plurimus admißis sonipes calcaribus ardet,
Naribus ignescens patulis. quin arva pedestres
Consternunt cunei. redeunt animique, minæque,
Votaque: disposita ad leges & jussa severi
Ordinis incedunt turmæ. propiusque monentur
Instaurare vias, tempusque optare nocendi.
At Batavûm ductor stipantibus undique vallis
Hæret & obsessam clarus bellator in urbem
Detonat, & densis palantem dimovet hostem

Aggeribus, rabiemque jugis immanibus arcet,
Ac circumfusâ securus militat undâ.
Non aliter spinas intra revolutus echinus
Bella gerit. vel tuta suo fera tigris in antro
Ridet oberrantum conamina mille ferarum.
Tantum opus accelerant dextræ. stat terrea moles,
Titanum qualis fuerat labor. ordine longo
In circos glomeratur humus, sinuataque vivo
Cespite præcipiti surgunt fastigia clivo.
Ambit terra viros. terram spaciosa coronant
Cingula Naïadum. circumdatur orbibus orbis,
Et tanto constat bellatrix scena paratu.

Nox erat, & rutilos tenebris involverat ignes
Vix Phœbum pregressa soror. sed languida quamvis,
Non tamen armorum vacuas incedere turmas
Passa fuit. truculenta cient insomnia Bætin
Frendentemque Tagum. strictos quin ocyus enses
Expedit, & violenta movet certamina pernox.
Irruit in vallos alacer, munimina flammis
Rumpit, & audaci castrensia mœnia cœpta
Verberat, & valido torquens reboantia nisu
Fulmina, non una perfundit cæde maniplos.
Nec minus invigilans sub Dictatore Batavo
Belgica, tela quatit; nocturnaque tempora gaudet
Plus servire sibi. disjectis Cantaber armis
Sternitur, & latis expandit corpora campis,
Dum curat sic velle mori. funesta ruenti
Imponit Libitina modum, pugnæque quietem
Imperat, & sola furibundum morte relaxat.
Vt scopulis illisa ratis, quam nubifer Eurus
Versat, & immites trudunt in littora Cauri,
Frangitur, & tumido desævit naufraga ponto.
Bellantum pars magna jacet. super ipsa cadentum
Colla premunt gressus alii, numerumque priorum
Auget posterior. calcant cognata jacentes
Agmina, & in cumulum congesta cadavera surgunt,

Nec sparsis cecidisse licet. Sic sæpius alas,
Adversasque acies, vicinaque castra cruentus
Implicuit furor. at nobis prosperrima lenes
Prælia confecere Dii, pavidæque phalanges
Abscessere retrò, trepidæque in terga reductos
Abduxere gradus: ut latus vallibus imis,
Cum cervam venator agit, cursuque fatigat,
Illa fugit, silvisque timens sese abdit opacis.
Tum Gallus, Scotusque ferox, avidumque Britannus
Assilit in ferrum miles. per vulnera quisque
Hostem certa notat. coëuntibus undique telis,
Occumbunt sine lege duces. mors ipsa triumphus
Creditur, & præsens commendat gloria lethum.
In medios ruit ira globos, sesèque periclis
Ingerit, & nullo glíscens saturata cruore
Martia laudatis audacia crescit in armis.
Quippe animis Mavors Deus insidet. acrius urgent,
Qua pugnæ vis sæva rapit. quem jussus inire
Quisque locum, victor tenuit, vel corpore texit.
Dux Iber, ut nullo perrumpi robore vallos
Sensit, & infaustis tentari prælia signis,
Fluminibus certare parat, bellumque profundæ
Efferus indicit Mosæ. mortalibus impar
Aggreditur Gonzala Deos. consternitur unda
Lintribus, armigerosque exponunt carbasa nautas.
Ipse gubernator tremulos, jam jamque cadentes
In ripas agit, & rapidum dimittit in amnem
Nequicquam, fluvioque suos immergere tentat.
Tum nova se lethi facies & luridus horror
Obtulit, exanguesque metus, vultuque cruento
Proxima Mors. adsunt occultis ensibus acres,
Adversæque manus Batavum, cymbasque carinasque
Et fastiditæ jam tum telluris amantes,
Sorpsit Mosa viros. expletaque fluctibus ora
Hauserunt totum streperis singultibus amnem.
Texit subsidens fugientum corpora tellus,

Et limo defixa pedum vestigia vanis
Gressibus elusit. nutans sub cespite putri
Ille labat; ripamque natans dum prensitat alter,
Fallitur, atque una sese mersere ruina.
Hunc alius madidum cupidis amplectitur ulnis,
Emersumque vado generosa morte trucidat.
Hos illatus aquis, & multo vulnere fractos
Cogit equus medio remeantes gurgite mergi.
Quosque necant unda, dubia ne morte perirent,
Tela super glomerata necant. pariterque sepulchrum
Mobile pracipites donant sub gurgite lympha.
Talis erat facies, Trebiam cum Roma lacusque
Sorberet, Trasimene, tuos; cum scuta nefastus,
Castraque & Ausonias devolveret Allia parmas.
Ipse suis animosus aquis turgentia membra
Explicuit tum Mosa pater, plenisque tumescens
Vorticibus, grandi se laxius extulit alveo,
Vt posit nocuisse magis. sed percitus irâ
Astur, ut innumeris conspergi cadibus undas
Vidit, & Hesperio rubicundas sanguine: Mosa
Eripiam tibi nomen, ait, Trebiamque vocabo,
Indignumque mea posthac decurrere ripa.
Impediam cursus veteres, fontemque recludam,
Quo te primum aperis. solves mihi, perfide, pœnas,
Et si fata sinent, per Gallica rura vagantem
Proximus abducet Rhenus. quid sava minaris,
Et regnis inimica meis? cur castra recusas
Regia, nec pateris nostras impune phalanges
Ire vadis, equitemque vetas transire reducta
Hinc illinc tellure patens? tunc ille senescens
Attollens caput & dictis infensus amaris,
Hoc quodcunque genus vindicta reddimus, inquit,
Reddimus Austriaco; toties qui vincula nobis
Strinxit, & insontes vetuit traducere merces
In Tungros Batavosque. alio me vindice tutam
Di cupiunt. nescit Dominos jam Mosa superbos.

Cum Vahali sociamus aquas, cum Principe dextras
Jungimus. Hesperia non ultra jussa moramur.
Vt noceam Regi, campis incumbo propinquis,
Et geminum plus laxo latus. mea terga carinis
Sternito, quas perdam. non his tua pinus & alni,
Fluminibus, cymbaque natant. nec margine nostro
Stet sonipes tuus, inviso quicunque ferocem
Indicat hinnitu Batin, aut horrida prodit
Stagna Tagi, raptoque jubas intexitur auro.
Iam partes hic Mosa sequor. jam neuter haberi
Desino, jam dubii titulis exolvar amici.
Perdere, vel perdi mihi mens. obsessa salutem
Mœnia, & hac aliam spondet victoria sortem.
Interea lacrymis miserorum & sanguine pastus
Saxonicus grassator adest, cui livida tabo
Cassis, terribilique horrebat Gorgone scutum.
Hic alia cades, alius furor. itur in ictus,
Et flammis lux fera micat. perterrita Phœbe
Obstupuit, piceaque tegi caligine cœlum
Indignata, suas studiis mortalibus iras
Miscuit, & toto defendit robore Belgam.
Nam simul ac lituos Mavors, hastataque diras
Inflassent nova castra tubas, illa acris in hostem
Pro nobis tum Diva stetit. disjectaque ferro
Agmina, rapta virûm spolia, informesque dicavit
Exuvias, Gradive, tibi. cumulata superstans
Corpora, truncatosque adversis ensibus enses,
Et fractas calcans membris spirantibus hastas,
Sanguinea sibi strage litat. vestigia retro
Vrgentes sequitur. sed enim languentia gressum
Arma pedesque negant timidis. huic haret in altum
Ad cadem sublata manus, feriensque feritur.
In mediâ ruit ille fugâ, nec tela fatiscens
Sustinet, immorsisque cadens superincûbat armis.
Confundunt tenebra cuneos, seque ipsa vicissim
Signa premunt. errant incerto vulnere dextra,

Et

Et numero turbâque nocent. trieterica non hæc
Lux venit, Germane, tibi. non orgia Bacchi
Adspicis, & pleno Bacchum spumare falerno,
Imbellem ad sonitum. non hic raptanda supellex
Occurrit, conjunxque suo viduata marito,
Innocuaque nurus. mediis in cædibus hæres
Æger, hians, fessusque jaces. nec jam amplius iræ
Assurgunt. tantum distentis aëra buccis
Pellis, & exertâ lambis tua vulnera lingua.
Hic fama stat meta tuæ, nomenque flagellat,
Et cristam melior miles. circumspice colles,
Seminecesque artus & mille cadavera mœstus
Collige. sic discas Batavos in bella venire,
Sic pugnare viros. has læso solvimus Albi
Inferias, totidemque nefas ulciscimur umbris.
Dux Patriæ, quanquam multo se milite septum
Vidit, & Advaticas circum crebrescere turmas,
Non tamen abstinuit cœptis. quin acrius urbi
Instat, & oppositis infert hostilia vallis
Agmina, sulphureasque domos molitur, & arctis
Subruit arva viis, caligantesque profundæ
Telluris thalamos, nigri penetralia Ditis
Sollicitat, terrasque ingenti fossor hiatu
Solvit, & excelso Vestam confundit Olympo.
Saucia sublatis densantur nubila sulcis,
Et strident motu Zephyri. dumque icta reposcit
Gleba locum, vivos operit, clauditque sepulcro.
Sic ubi in Ætnæo fessus se commovet antro
Enceladus, magno resonant vicina boatu,
Et piceos ructant concussa cacumina fumos.
Lucent Ioniis sublimes fluctibus ignes,
Lapsaque Trinacrios insternunt pondera campos.
Quas ibi tum strages, quas victrix dextera cædes
Ediderit, quos flamma viros, quos straverit ensis,
In fastos Bellona refer. tibi cernere coram,
Et gladios vibrare datum. Sed fata suorum

Auriacus tumulo propius dum spectat ab alto,
Iamque animi plenos, jam, fracto robore, & ipsa
Cade fatiscentes, tensis ad sidera palmis,
Dî, quibus imperium est, inquit, si numina rector
Vestra pius colui, si me moderante sacerdos
Supplicibus placide populis oracula pandit,
Tot vobis delubra patent: assuesce vocari,
Magne Deus, nostrisque favens allabere votis.
Non veni patrios ferro populare penates,
Non aris inferre faces, avertere pacem
Gentibus, & lentis impendere secula bellis.
Libertas asserta mihi est. his quaeritur armis
Certa salus ac vita meis. instamus Ibero,
Et pugnare juvat, ne sit pugnare necesse
Amplius. irarum finem, longique furoris
Hic donet Batavis limes. mihi pareat oro,
Quam corã premimus, quam circumcinximus urbem.
Tu mihi, tu pugnae Princeps, tu ritè secundas
Augurium, & vario positum discrimine servas.
Auspiciis sunt gesta tuis, quae gessimus antè.
Quod Sylva cecidere tuum est, te vindice Grollam,
Et Salios superare datum. tu spicula & hastas
Tu gladios pugnanti acuis. tu tempora donas
Commoda, tu vanis ludis conatibus hostem,
Atque animos aptas armis, armisque cohortes.
Iamque mihi prono famulari sidera coelo,
Iam terras fluviosque cupis. succurre roganti:
Si mihi Trajectum nolint submittere fata,
Me rape Trajecto. felicior illa ruentis
Sors fuerit, quam mixta meo fortuna pudori.
Armat fama ducem, quaesitaque gloria bello,
Pro stimulo est. non hinc victo remeare licebit,
Victori dabitur. mecum tua caussa laborat,
Hac perstat defensa manu. qui militat ensis,
Militat hic idem Superis. hic asserit aras,
Rostra, focos. ipsis regni cum finibus exit

Latior & pietas, & quæ pietate virescit
Relligio. per te patrios explere labores,
At simili virtute, velim. tibi debeat orbis
Excidium Hesperiæ debellatosque Philippos.
Pro te, summe pater, mundi quascunque per oras
Ibimus, & nullo sub sidere dura timentes,
Solstitio Gades, brumâ vexabimus Istri
Pyrenesque Deos, tostisque sub ignibus Indum.
Non erimus patriæ indecores. hoc sanguine Belgas
Vindicat Auriacus. vitam si impendimus hosti,
Civibus asserimus. nostro placet empta periclo
Belgica. quæ Regi rapimus jam mœnia blandis
Subdimus imperiis. cupio parêre beatos,
Non miseros servire mihi. sub legibus îsdem
Vivitur, officioque pari. clementia cunctis
Annuit, & victos ipsis victoribus æquat.
Nunc hostes urbemque inter conclusus utrinque
Bella gero, cingor geminis, & cingimus unà.
Hinc Tartesiacæ renovant certamina partes.
Hinc aquilas, hinc signa movet contraria Cæsar.
Hæc arcet manus. hæc objectis rupibus instat.
Has inter titubans errat Victoria curas.
Ecquid Arausiade, rector supreme, moraris
Ferratos portarum obices, & pandere claustra,
Et tandem hac ipsa muros diffringere dextrâ?
Sic superos, sic ille Deos affatus, in atris
Proximus assedit latebris. ubi mœnia miles
Perforat, & tenebras inter tumulosque suorum
Quærit iter. juvat audaces præsentia Turni.
Quos sic alloquitur: validis incumbite dextris
O socii, hostilem manibus diffindite terram.
Hic domus, hic patria est. hic tecto vivimus uno,
Fortè uno moriemur, ait. hæc aula paratur
Et vobis pariterque mihi. jam pristina sordent
Atria, & aurato fulgentia tecta pyropo.
Hæc secreta placent, his nunc angustius antris

Degitur. hos ipsos sceptris præstare ligones
Iuro equidem. has sordes rutilo pensabimus auro.
Vestraque qui fœdat jam pulvis corpora, fama
Argumenta dabit. nos jussis vincimus urbem,
Vos operis. nos consilio, vos robore saxa
Frangitis, eruitisque viri, & convellitis altis
Sedibus. hac postrema dies, hac vespera laurum
Nassovio, patriæque feret. sub mœnibus hisce
Tot nati cecidere Ducum. communia magnis
Funera funeribus, vestrasque adjungitis umbras
Heroum tumulis, & sorte occumbitis una.
Hic simul exequias inter, cineresque rogosque
Differimus, litisque caput sit parvula terra
Portio, & exiles acuunt certamina sulci.
Hic partes faciunt gleba. de pulvere rixa est
Nobilis. hanc celeri causam decidite ferro.
Quà foditis, quicquid foditis, quocunque meatu
Ibitis, illa via est vitæ, lucrique necisve
Omnibus, illa via est famæ vivacis & ævi.
Hæc ubi dicta dedit Princeps Mavortius, omnem
Vertit in obsessos aciem, totisque fatigat
Viribus. immani donec se mœnia pandunt
Verbere & occultæ lacerant munimina flammæ.
Pendent semirutæ turres, lacerataque fractos
Oppida denudant artus, lapsuque sub uno
Pervia fulmineo dantur vestigia Marti.
Ilicet oratum pacem stationibus altis
Adsunt exanimes, & fœdera blanda precantur
Diffusæ crines & aperta pectora matres.
It clamor trepidis per propugnacula muris.
Nec grave Nassovio est, facili sub lege pacisci,
Et cives meruisse sibi. mirantur amari,
Quos ferri damnasse queat malesana libido.
Ergo ubi ter varium Phœbe reparaverat orbem,
Et Cancri chelas & adusti terga Leonis
Emensus fuerat Titan; asperrima bello

Inflexit regina genu, dominosque Potentes
Et nostrum veneratur ebur. Brabantia nudum
Deplorat latus, & veluti se indagine cinctam
Adspicit infelix. hic currus, arma, facesque,
Tela, coruscantes clypeos, hastilia, peltas,
Fulmineosque globos, atque omnia Martis haberi.
Nuncia lætitiæ totum se fama per orbem
Explicat, & sociis mandat nova gaudia terris.
Battaviæ antè omnes. niveis quæ vecta quadrigis,
In quibus Auriaci pugnas signaverat auro
Docta manus, spoliisque ipsos distinxerat axes,
Principis ad limen vehitur, patriæque parenti
Pronior assurgit. constans Prudentia currum
Laudato temone regit. Formido, Pavorque,
Seque vorans Livor, ferratis terga catenis
Innexi subeunt. generosa Sicambria crines
Spargit, & apponi gaudet tot finibus urbes,
Et Mosa propiore frui. dispendia Scaldis,
Toxandri sua lucra putant, plenisque theatris
Suspendunt mediis superatas fluctibus arces.
Hinc Frisius Saxo, gens nescia cedere ferro,
Aptat se pompæ, & populi suffragia plausu
Colligit, atque alium Alciden, & Thesea magnum
In Batavo rectore stupet. sed gaudia justus
Castigat dolor, & venerandi funeris horror,
Et manes, Erneste, tui. Quæ proxima Rheno
Adspectat Chaucos tellus mitrata minores,
Pellææ relegit miracula plurima dextræ,
Nec dispar facinus. quin vinctum compede Mosam
Comparat Euphrati, fortem cum Tigride Rhenum,
Strymona cum Vahali, captamque remotius urbem
Persepolin, celsamque Tyrum aut Chalcedona dicit.
Isala, quem nuper densis legionibus hostis
Straverat, & latis grassans spoliaverat agris,
Desperare vetat. mutari fata, Deosque
Gradivumque patrem, nostris qui præsidet oris,

Non uno constare gradu. timuisse fatetur
Se quoque, nunc timidam meliori sorte timeri.
At Groninga potens tantarum conscia rerum,
Sic ait : ô quam nunc facies mutata meorum est,
Hoc Duce, Romuleo populum qui vindicat ausu.
Non jam regnanti fasces submittere Elizæ,
Aut alibi cupiat demissus Belga precari.
Reddunt amissas vires, & robora fortes
Nassovii, & fines ultra statuere trophæum.
Has inter voces aliquis de sanguine vatum
Ista triumphali fremuit præconia cantu :
Tu mihi, tu seri, Princeps, virtutibus avi
Materiam pandis, fraternaque nomina factis
Irradias, Frederice, tuis. te Sequana Pyrrhum,
Te Martem jactat Tamesis, te maximus ille
Regnator Boreæ, Gothico sublimior ostro,
Nunc sua per Viadrum, nunc raptans signa per Albim,
Nunc Istrum, Rhenumque bibens, nunc fervida Mœni
Frena lavans, tantorum operum consorte superbit.
In geminos divisa Duces se gloria belli
Explicat & geminis donat victoribus orbem;
Quem complent jam Marte duo. Germania duplex
Militat. Arctoum vocat ad sua federa regem
Altera, Nassaviis se mancipat altera jussis.
Ambo animis fortes, ambos & classica & inter
Horrida belligeras aluerunt castra phalanges.
Ambo coruscantes clypeos, & spicula docti
Intrepida vibrare manu. pugnaque vel ipsos
Immiscere Duces. ambo per signa, per enses
Reptarunt pueri, & conspersos pulvere vultus
Detersere suis. patriæ conjuncta saluti
Ambos causa movet, pressaque injuria gentis,
Austriacique graves. ambos vindicta parentum,
Ereptusque animis Deus & delubra lacessunt.
Tempus erit, Gustave, tuas cum dicere laudes,
Sarmaticasque acies, & fractum Teutona totus
Aggre-

Aggrediat. tunc alipedes in prælia Finnos,
Lappionasque tuos, & quos tibi fundit ab altis
Verticibus trux Savo viros, domitumque Borussum,
Imbellemque canam contusis cornibus Istrum.
Iam mihi Tu salve, magnum patris incrementum,
Cæsareæ stirpis soboles, cui mascula Cattus
Stemmata dinumerat, maternaque nomina grandi
Collinio, Druidumque illustri sanguine ducit
Nascendi series. Tu nunc spaciosior exi
In Famam, famæque tubam clangoribus imple,
Successuque novo. tibi se bellacia debent
Flumina. te Rhenus, te jam veneratur ovantem
Mosa pater, cunctasque tuis accommodat urbes
Imperiis. audit semotus jussa Sicamber,
Plaudit Eburonum tellus, & amabile Tungri
Ferre jugum discunt. quæ circum proxima sudant
Marmora, credibile est totis conatibus uni
Plus sudare tibi. quin te vincente propinqui
Sanius adspergunt languentia corpora fontes.
Condrusii montes, Romanaque saxa Namurræ
Te poscunt dominum. plenus tibi Sambra quietas
Spondet aquas. pandet sacros Ardvenna recessus,
Et totum in pontes franget nemus. atria Phœbi,
Et Grudias uni submittet Dela Camœnas.
Quantum profueris, quas debellaveris arces,
Attonitis aspecta oculis. hic pabula Marti,
Hic ferrum dis vena vomit. thoracas ahenos,
Loricas, galeasque labor robustaque formant
Brachia. non alibi Lipara est. hic altera Lemnos
Exercet fabros. hæc nudus rura Pyracmon,
Hæc Brontes Steropesque colunt. uberrima belli
Materies illic terra penetralibus altè
Abditur, & solido firmantur regna metallo.
Scipiadas inter regnatoresque Camillos
Nomen habes. in te Fabios, magnosque renasci
Cernimus Æmilios. surgit tua, Brute, potestas,

Fabriciique fides, & quicquid Claudia gessit
Gens invicta manu, nunc te spectantur in uno.
At pater Auriacus, quam lætus ab æthere cernit
His natum vicisse locis, fixisse trophæum,
Quondam ubi Nassovios trux Alba fefellerat ausus.
Quæ dum composita repetit jam mente beatus,
Vindicta fruitur, natoque ultore triumphat.
Te canimus, Dux magne, tuo Parnasia latè
Numine templa sonant. per te, fortissime Ductor,
Scandimus Aonios colles, & fonte rigamur
Castalio. quanto fatis sublimior Heros
Tolleris, audaci sequimur tua prælia cantu.
Hactenus Oceanum, fluviosque & subdere terras
Concessum, Frederice, tibi. nunc sidera Virgo,
Et Trajectensis submittit Lucifer ignes,
Et cohibet, te Sole, faces. Insignia victor
Adspice, quidque tibi portendant fata sagaci
Volve animo. si plus socio cœlestia Phœbo
Astra valent, hæc Stella tuo moderamine vires
Diffundet generosa suas. prænuncia regni
Sidera sunt. hæc ipsa tibi famulantia spondent
Laxius imperium Patribus. tum sidera nutant,
Nutant regna aliis. & nunc labentia Regum
Deterior sors sceptra videt, retroque referri
Hesperiam. majus moveo. Tibi sidera servat
Iuppiter, & cœli victorem parte locabit,
Stellarum cui cedit honos, cui lumina mundi
Æthereique ruunt radiis languentibus ignes.
Arripe fortunam, conspirantesque verere
In tua vota Deos. nuper tibi fervidus arsit
Cynthius, & madidos exsiccans Sirius agros.
Nunc pluviæ laxum præcludunt hostibus amnem
Pleiades, atque frequens obstacula parturit imber.
Obsequitur natura tibi, litesque vicissim
Componunt elementa suas. auctura verendum
Sors incerta decus, certa tibi lege ministrat.

Annuit

Annuit ingenium forti, roburque secundat
Ingenium, vigili firmantur robora sensu,
Et cunctos matura regit Prudentia casus.
Non sic, cum domitis rediit Semeleius Indis,
Lydorum strepuere lares. non lætior olim
Extulit os Tiberis, cum victrix laurea Crassum
Cingeret, aut Persen raperent in vincula Pauli.
Nonne audis ex plebe sonos, hæc verba referri?
Hic ille Auriacus, quo res moderante reluxit
In Batavis secura salus. hic maximus ille
Antistes patriæ, cui se debere fatetur
Belgica, & unanimes decernit læta triumphos.
Hoc Duce libertas populis mansuetior exstat,
Non audent peccare mali: non obsuit ulli
Esse bono: nunquam civi solatia desunt:
Nil licet invidiæ: non obruit ambitus artes:
Stringit inoffensas vindex Astræa secures:
Luxuriant vates: sua nec mandata Senatus
Pertimet: innocuis constat reverentia templis:
Aureaque Vnanimes decurrunt secula Belgæ.

RHENO-BERCA CAPTA,

Federatorum Ordinum auspiciis, Duce belli Illustrissimo, & Invictissimo Principe, FREDERICO HENRICO, Arausionensium Principe, &c.

HÆremus rursum Batavi Belgæque. nec arma
Omnibus, aut pax alma placet. cupit ille cruentum
Fulminei Mavortis opus; cupit ille serena
Pace cruentatos mutari falcibus enses.
Omnis in ancipiti patria est. pars utraque donat
Votis verba suis, causasque interjicit illis.
Hic Tartessiacæ grandes exaggerat aulæ

Et Siculi rectoris opes; & mobile cæca
Ingenium moresque Dea: quam nesciat uno
Mars alius constare loco: quam nostra laborent
Et longo lacbryment attrita araria censu.
Alter fucata molimina subdola pacis,
Suppositosque timet studiis fallacibus hydros.
Nec Martem cessare cupit, dum Marte juvamur,
Dum dissentit Iber, dum magnas inter habetur
Pauper opes; vario regalia castra vagantur
Principe, dum geminus nobis acciditur Indus,
Et promissa sibi sperat stipendia miles
Nequicquam; dum Finnus ovat, tot mœnibus Ister
Exuitur, cunctisque ruit victoria campis,
Ipsaque prudenti arrident Capitolia Gallo.
At vigil Auriacus, tanta dum pondera molis
Vnanimes volvunt Patres, stat certus eundi
Quo belli fortuna vocat, quo classica totum
Invitant rapiuntque Ducem; nec fluctuat anceps.
Quippe animo patrius vigor incubat. otia nescit
Mens cognata polo, solers instare labori,
Successus urgere suos, captare nocendi
Tempora. Te, veteris domitor fortissime Galli,
Nassovius virtute refert. se pectore in isto
Impiger agnoscit Macedo, gentisque Libyssa
Ductor Agenoreus. quibus ipso à limine vita
Omnis sub clypeis bellatrix transiit atas.
Has animas vis major agit. sublimior aura
Adflat semideos & rebus nata gerundis
Pectora, nec claras patitur segnescere mentes.
Vna triumphatrix animosi gloria lethi
Accendit vegetatque duces. non pulvere fesso
Tardant Phœbai radiis flagrantibus ignes,
Non revocant insani imbres, cœlique ruina,
Non labor aut duris paupertas obvia castris.
Nil grave pugnanti est. dicas regnare potentes
Cum Iove, & adversis animos opponere fatis.

Ver

Ver erat, & rigidam cœli clementia brumam
Truserat in Tanain. jam Sol Ledæa tenebat
Sidera, vicino subducens lumina Tauro.
Arma capit Batavûm pubes, & plena furoris
Neptuni soboles alias exsurgit in iras,
Ingentisque animo repetens lacerata Philippi
Imperia, æternæ pulsat proscenia famæ,
Et precium exactis gestit conferre triumphis.
Tu, quæ sæva jaces Vbiis contermina priscis
Berca, catenati prædatrix improba Rheni,
Posceris, & forti quondam regnata Quirino
Auriacis audax opponis mœnia castris.
Stant turres, labor Ausonius, celsoque minantur
Vertice, defendunt terrestres oppida clivi,
Et validæ cingunt dorsis immanibus arces.
In fluviis castella natant. prætenditur urbi
Non unum Mavortis opus, densisque suorum
Cingitur excubiis & crebro fulminat ictu.
Talis in hostilem sublimis Alesia Romam
Inconcussa stetit, tales pugnasse Plataas
Fama fuit, cum Sparta suum circumdaret agmen
Stipitibus. sic Byrsa truces Didonia vallos
Obtendit Latio, pugnantem Thala Metellum
Detinuit, Mariumque ferox munimine Capsa.
At contra in bellum terræ victricis alumni
Ibant, nec reditura omnis selecta juventus,
Quæ Martem inscribit genti, atque insigne superbum
Armat terribiles in regum colla Leones.
Adsunt Battaviæ populi, validusque Sicamber,
Et Mosæ potator, & insuperabile bello
Æquoreum genus, & mediis habitator in undis;
Quique Caledonio se durus in æquore lavit
Scotus, & indutus gentilia lina Britannus,
Gallorumque manus, braccataque corpora Rhæti,
Et procul Hercyniis Germanus missus ab oris.
Stat sonipes, camposque novis hinnitibus implet,

Atque jubatorum phaleras dissolvit equorum
Acer eques; nec jam curat substringere loro
Manantes cervice jubas, vel ephippia poscit
Auratis distincta notis. spumantia frenis
Ora placent, crudique feris calcaribus armi,
Et galea minitantis apex, & missile telum,
Et mox abdendi jugulis hostilibus enses.
Sic Pœnum incessisse putem, cum cincta doleret
Excelso quondam consurgens colle Saguntus.
Quam circum Libyæ populi & stipata premebant
Agmina, & incassum bellax cingebat Iberus,
Magnanimam claudens sinuatis flexibus urbem.
Ipsa suis animosa malis, patribusque Latinis
Infelix fidei custos, dum signa manusque
Expectat socias, siccatas sanguine venas
Vrit & æternis arsit victura favillis.
Instant audaces Belgæ, fossisque viisque
Adrepunt taciti. terrarum involvitur ordo,
Et mutant elementa vices, dum tramite flexo
Abdita bellaces sternunt vestigia talpæ.
Occubuere duces ferro, queis præmia belli
Invidit fati rabies. qua proxima laudi
It via, fit letho propior. fiducia gressum
Promovet ulterius, perferre facillima mortem,
Et secura rogi, quoties audacia pulchris
Nititur officiis; patriæque ferocia causam
Promovet & fines intra pugnatur honesti.
Audiit insolitum belli sub gurgite murmur
Rhenus, & attonitum vitreis caput extulit undis.
Illi de summo pendens barba hispida mento
Horrebat, bifidoque fluens divisa meatu,
Canitie veneranda fuit. mox totus aquosis
Cinctus arundinibus, muscoque revinctus & alga,
Vt vidit positis pugnam incrudescere castris,
Alternoque virûm pensari damna cruore,
Sub pedibus trepidare solum, nigrantibus astra

Vortici-

Verticibus flammisque tegi, semiusta cadentum
Corpora suppositis socios portare lacertis.
Hæc inter miseranda ducum certamina, voces
Auriaco Patriaque senex infrenduit istas:
Maxime Tartesii domitor, quo vindice rerum
Ipsa sibi tandem possit Bellona timere;
Discant Scipiadæ, discant producere vallos
Iuliadæ Drusique, meas celebrata per undas
Nomina: qua validi fregisti robora Mosæ,
Hos muros subverte manu, portasque feroces
Armis rumpe tuis. en propugnacula nutant,
Iamque omen fecere Dii. locus iste propinquo
Incubat imperio, & toties mea flumina sævis
Iussibus, & fœtas inimica coercuit alnos.
Illa per extremos missis prædonibus ivit
Marsacios, vinxitque tuum pater Isala civem.
Bructerus hanc Saliique procul timuere, nec usquam
Per mea securus perrexit rura viator.
Imprecor arma armis. damnant te, Berca, ruinâ
Vltores superi. vultus tibi torva cruentos
Eumenis obvertit, totamque à sedibus urbem
Convellit, crebrisque aperit tua mœnia telis.
Huic agedum succumbe Duci. quæ sæpe tot hostes,
Tot circum positas sensisti obsessa phalanges,
Conciliare mihi. memini, cum Cantaber illâ
Victor staret humo; memini, cum victus Iberus
Cederet. atque iterum captas conscenderet arces
Impavidus Ligur. in partes nunc scriberis istas,
Nunc alias. magnis Ducibus servaris arena,
Nec constas vincenda tibi. possessor in orbem
Commeat, inque vices alternant numina fasces.
Non equidem Divûm titulis cœlestibus horrens
Eugenia tibi Fossa potest præbere salutem.
Nassovio pars una patet, qua Venloa regis
Dedidicit jam jussa sui. latus, ecce, laborat
Oppositum. cessa nobis Hispane, minari;

Vici-

Vicinumque meo confundere flumine flumen,
Et miscere Deos. isto lusistis in Isthmo
Incautæ mentes, & toti fabula mundo
Facta est sedulitas intempestiva nocendi.
Quot longè castella jacent, tumulique minaces,
Et custoditæ profugo jam milite glebæ,
Accedunt spoliis. fruitur fossore Philippo
Nassovius, vallosque tenet, quos fecerat alter.
Iamdudum armatæ gentes & classica regnis
Insonuere meis. Nemetum diffusa per agros
Ipsa Palatinis Hispania collibus atrox
Consedit, fusoque alibi rubuere cruore
Vangiones. priscis veneranda Moguntia sacris
Irasci sibi posse Deos & numina sensit.
At nunc tranquillæ currunt mansuetius undæ,
Atque alius passim rerum mihi nascitur ordo.
Accepit dominum Nicer, & Cantabrica fregit
Vltrici vexilla manu; Sueonumque sub armis
Maurorum cessit soboles, ac reddita Phœbo
Extorres ad se vocat Heidelberga Camœnas.
Tu quoque, qui nobis animos, laurosque, decusque
Restituis, Frederice, cui Mavortia semper
Indomito vis igne calet, quem fama per altas
Cælicolum vectat sedes, rebusque secundis
Involvit Superum favor: hanc quam cingimus urbem
Redde mihi & victam reliquis attexe trophæis.
Sic tibi pacato decurret flumine Mosa,
Et Vahalis, mea progenies. sic, hoste remoto,
Continuas Vbiis Belgarum regna vetustis.
At vos belligeræ, quibus inter tela globosque
Contigit oppetere, & pulchra succumbere morte,
Ite, decus terrarum, animæ; camposque tenete
Elysios, placidasque domos habitate piorum.
Illic & Decios inter, fortesque Camillos
Tercentum immixti Fabiis errate, creberque
Manibus occurset Paulus, conjungite dextras

Miltiadi,

Miltiadi, & coram magni Philopœmenis ora
Et Nicias spectate, & quotquot Roma cadentes
Vidit, & asserta civili sanguine Thebæ.
Per vos nudatis Libertas tracta capillis
Ostentat generosa caput. Respublica vestra
Stat defensa manu, vestris asserta lacertis
Incumbit tumulis lachrymans, testataque Divos
Spondet perpetua flagrantem lampada fama.
Hoc aliquis certè patriis projectus ab oris
Optabit cecidisse loco; fixisse trophæum,
Alter ubi Æacidæ telo jacet Hector, & alter
Sarpedon, ubi tot nostris demersa sub undis
Extremos repetunt spirantia corpora Catthos,
Aut Flevi sorbentur aquis, vel in æquora tendunt,
Helia qua laxos expendunt ostia fluctus.
Queis vero belli melior fortuna pepercit;
Audite ô gentes. belli cognoscite causas,
Nec sceleri donate manus. vos commoda recto,
Non lucris postferte fidem. terrore modesto
Frangite præcipites animos, animisque morantes
Castigate metus. à clara pauperis umbra
Discite Fabritii patriam defendere gratis,
Et Curii laudare dapes. adversa Sicinni
Vulnera degeneris doceant contemnere pugnæ
Opprobrium. vindex fugientes occupat ensis,
Stantibus avertit virtus. taciturna probatur,
Propositique tenax vana est fiducia linguæ.
Discite justitiam, & strictis insistite jussis
Imperiisque Ducum. victis compescite dextras
Hostibus & tutæ ne spernite fœdera pacis.
Displiceat promissor Iber. tunc credite lenem,
Cum timet, & facilem vobis, cum succubat armis.
Hoc Batavus sociique monent, quos legibus æquis
Iunxit inabrupta concordia longa catena.
Vix ea dicta dedit, Rhenus, rigidumque sub alveo
Abdidit os, cum Berca sui terrore pericli

Fracta stetit, spectansque opera interrupta, minasque
Murorum ingentes, & collucentia flammis
Oppida, surreptas cœptis audacibus arces,
Hesperiasque alia nugari parte phalanges;
Annuit Auriaco, & dominos venerata potentes
Nascentem auspiciis felicibus inchoat annum.

POEMATION

In DVCATVM LIMBVRGICVM, additum Federatorum imperio, armis & Virtute Illustrissimi Principis FREDERICI HENRICI, Arausionensium Principis, &c.

POst urbes jam regna ruunt. post oppida totis
Limburgum famulatur agris, & vindice ferro
Longius Auriacis radiat sors nostra triumphis.
Vix debellata Mosam mitescere ripa
Vidimus; & valido contundi cornua Tungro,
Altaque Nassovia convelli Pergama dextra;
Hesperios trepidare duces, Batimque superbum
Credere, quàm præstet querulis Concordia terris;
Vt Batavûm solo felicius ordine virtus
Pugnet, & Austriacas frangat discordia partes;
Quaque solet dubiis rebus comes ire potentum
Suspiciosa fides, & regum credulus error:
Cum pater Auriacus, (nec enim cessare ruentem
Sivit amor patriæ) tantis successibus acer
Institit, & claras sceptris regalibus arces,
Et formidato titulum subduxit Ibero.
Nos fecit Fortuna Duces. invadimus armis
Iam Comitis, jam Regis opes. ut nomine distent,
Imperio Belgæ fasces confundimus uno.
Hactenus unanimi septem viguere Sorores
Et bellum gessere manu. secura sub isto

Libertas stabas numero. Tu magne Sicamber
Totus in adversum contorto crine Philippum
Torsisti tua tela ferox; Tuque ultime Rheni
Accola, qui gemino spatiosam gurgite Tethyn
Neptunumque bibis, Catthis illisus arenis,
Sprevisti mandata Tagi, dominumque potentem
Iam cogis meliora loqui. qui Martius undis
Innatat, & patula circumdatur Amphitrite,
Signa per oppositos duxit victricia mundos
Toxander, geminoque potens apparuit Indo.
Pugnavere graves Frisii, mitrataque juxta
Oppida, sacrorumque satur surrexit in hostem
Civis, & immitem excussit cervicibus Albam.
Isala pacato junxit sua federa Vidro,
Atque eadem potuit devicta causa placere
Multorum, Groninga, tibi. tot sedibus hostes
Excivit, Rex magne, tuos afflicta piorum
Religio, & spretas lachrymans Respublica leges.
Hæ vicere manus. istis ductoribus in te
Vltrices toties acuit Bellona phalanges.
Adspice, quem nostris sentis frendere Leonem
In ratibus, celsisque trucem præludere rostris.
Quot tenet exerto glomeratas ungue sagittas,
Tot dominos regnator habet. nunc additur illis
Alter, & octavos poscunt subsellia Patres.
Crescimus, & parvis diffusa potentia cœptis
Conatus stupet ipsa suos. penè ebria votis
Deficit, & metuit cursus fortuna secundos,
Diffiditque sibi. quò non virtute vagamur?
Quò Patriæ se tollit honos? an æmula Romæ
Gens sumus? & cupiunt aliquid concedere Divi,
Quod sperare vetant? qui pastoralia Tybris
Mœnia, & exiguo surgentes cespite portas
Vidit, & angustis didicit subsistere rebus;
Qui Senonum furias sævique incendia Brenni
Pertulit, ut posset bellis majora mereri;

Crustuminos Vejosque domat, Rutulosque Faliscis
Addit & Ausonias serpit bellator in urbes.
Gliscit cura Ducum, totumque Quiritibus orbem
Latius expandant Superi, crescensque potestas
Iura triumphatis voluit præscribere Medis.
Sic aucta spes Grajugenûm. sic Pella superbam
Hellada, & augustis junxit Babylona trophæis,
Thessalaque extremis fremuerunt classica Bactris.
Qui primùm timidis hæsere palud bus, exin
Sceptra per Adriaci vastissima littora ponti,
Euganei fudere sinus, Cyprumque Rhodumque
Et cunas tenuere Iovis. Nos, nescia frangi,
Paupertas fecit dominos, & conscia recti
Memnonios ultrà fines protrusit egestas.
Ivimus & pressi nunc huc, nunc fleximus illuc,
Atque humiles aliis animos ereximus ausis.
Non aliter, quàm cum Boreas immanior igni
Incubat. ille leves intendit flamine motus,
Et vicina vorat flammisque sequacibus instat.
Quod deerat, supplevit Iber. libavimus amplas
Occidui rectoris opes, spatiisque sub arctis
Assueti regnare, vagi per cærula Nerei
Æquora digressi parvas res auximus armis,
Oceano monstrante viam. nunc, Marte secundo,
Hic terras, Hispane, tuas partimur & urbes.
Dos regnatricis Mariæ, quæ jure nepotum
Cæsarea quondam coiit sub conjuge, Belgis
Burgundo genitore satâ, divisa tenetur.
Scribimur hæredes armis. devolvitur ad nos
Portio, sed belli studiis. tibi sanguinis ortus
Continuat tam grande bonum. nos gratia Divûm
Participes Mavorsque facit. tu stemmata patrum,
Tu genus & longo numeras patrimonia censu,
Nos agros finesque tuos virtute meremur.
Audi posteritas Batavæ miracula gentis,
Et facinus, quod sera probes. si Dardana quondam

Fortiter Argolicos remorata est Troja furores,
Nec voluit subito vinci: si longa Saguntum
Bella domant, tardi Mutinam fregere labores,
Et lentis cecidit prafracta Numantia castris:
Nassovio pauca donant nova mœnia luces,
Et pulchri jus omne soli. Vos oppida Reges
Vincite, vos ternis tandem diffringite muros
Mensibus. est aliquid Morinûm perrumpere portus,
Aut fastidito Bredam cessisse labori.
Subditur hac nutu regio. stat culmine celso
Arx invicta, potens, Capitoli immobile saxum.
Quale fuit, vel qua suamet fastigia Petra
Horruit. & quamvis dura se rupe tuetur,
Dat victas mansueta manus. sic Dacia capta
Accessit Trajane tibi, gnarusque sagitta
Pannonius, Dravusque & torvi barbara Savi
Gens, durata malis. sic summo chara Tonanti
Surrexit Iudaa Tito. vix pulvere campi
Et circumfuso fumabant milite colles,
Et feriit catapulta domos; mansuescere corda
Sensimus, & certa concedi pignora pacis,
Obsidibusque fidem stringi. Tunc ipsa serenos
Limburgum explicuit vultus, grandisque senecta
Virginis os habitumque gerens, his ora resolvit
Vocibus, Auriacumque decens affatur ovantem:
Quos tibi submitto, Princeps invicte, penates,
Hi sunt, quos priscis junxit Brabantia sceptris,
Armorumque mina forti rapuere Sicambro.
Iura Ducis Casar dedit, & pralustribus ire
Sublimem voluit titulis. Lotharingica sensi
Imperia, & nostro manans ex ordine primum
Ostendit diadema Tago. non vile capessis
Nomen, in illustres victor transmitteris oras.
Quanquam omnis, quicunque tuis decurritur annus
Auspiciis, faustum dederit successibus omen,
Sitque tua toties laurus circundata fronti:

Hac

Hac tamen ante omnes lux exoptatior, actus
Irradiat, Frederice, tuos. Tunc clarius orbi
Flammiferi lucet lampas pulcherrima Phœbi,
Cum cœli suprema tenet, Cancroque paratur
Solstitium, atque humiles declinant sidera terras:
Haud aliter Batavi sidus venerabile regni
Hac fulges statione magis. quanto altior astris
Inferor, atque meus brumam glaciemque nivesque
Servat apex, nixaque jugis immanibus ædes:
Tantum se nostro tua tollit colle potestas
Celsius, & summa radit fastigia laudis.
Hic Druidum vicina vides, Gallusque fluentem
Stringit lege comam. latus insuperabile claudit
Iuliacum, Spadaque rigant confinia fontes.
Ferrea Eburonum soboles viresque animumque
Subdit, & umbrifera prabent solatia silva,
Ardvenna nemus, & viridanti Fannia luco
Nobilis, attonitisque adolent altaria Faunis.
Triptolemus fœtis Cererem profundit aristis,
Pan ovium custos plus me, quam Manala, curat.
Luxuriant passim Satyri, & lasciva Napaa
Numina, fontanis turgescunt flumina rivis,
Lata susurrantes saliunt per gramina lympha,
Mobilibusque rigant circum pomaria guttis.
Hic Bajas spretis Italis agnosce, locosque
Fortunatorum nemorum sedesque beatas.
Me jaculis Dictynna ferox cursuque pererrat,
Iejunique canes in apricis collibus errant,
Spesque suas prensant oculis. me Phasidos ales,
Argoa primum qua deportata carina est,
Nutrit, & auritis distinguens tempora plumis,
Prabet honoratis lectissima fercula mensis.
Fundunt effossi durissima marmora montes,
Vt discam quoque dura pati. qua fabricat enses
Vena mihi vario currit distincta metallo,
Et qua fulgenti distinguat jaspide pectus,

Aut

Aut rubicunda notis tingat flaventibus ara.
Belgi fumen habes. tales tibi Iuppiter agros
Destinat, & sanis totum beat athera flabris.
Me cape consortem, Princeps. en federis adsum
Pars, forsan postrema, tui. dum fata sinebant,
Regalem colui Eugeniam. nunc turbine rerum
Custodita minus dominum cum milite muto.
Tu, precor, excelsas habita tranquillior arces;
Neve meas violet belli vis effera portas.
Da requiem, civesque tuis amplexibus abde,
Infestosque meis propulsa rupibus hostes,
Dum tua sum, tutare Deam. servator honesti
Hos moderare lares. armis si succubat impar
Sors mea, tu rara vincas pietate triumphos.
Bis vicit, quicunque suos dum perdomat hostes,
Demissa se mente domat. Dis proximus ille est,
Qui cœlo debere putat: qui castra coercet
Legibus & placidis informat moribus urbes.
Quam late bellator abis, quoque fama vagatur
Iustitiæ fideique tuæ. non fessa relanguet
Officii virtus. media inter tela facesque
Castigas Martis rabiem. pugnare paratus
Parcere vis, bellique levas probitate furorem.
Accipe me, civesque meos. tibi flumina subdo,
Oppidaque & votis famulantia rura secundis.
Vt dixit, plausum Virgo dedit. inde per omnes
Auditur sonitus colles, Corybantia qualem
Cymbala dant, quoties festo Berecynthia curru
Invehitur, crinemque rotant gaudente Lyæo
Mænades & festo resonat clamore Cythæron.
Ilicet accensi fundunt nova sulphura campi,
Plus omnis reviréscit ager, plus saxa renident,
Vberaque insolito distendunt pascua lacte.
Quique rigat terras piscoso VVasius alveo,
Lætitia dat signa sua, Mosamque propinquo
Largius amne bibit, Batavûmque audacior arma,

Loricas galeasque vehit. Sic desinit annus,
Et tanta imbriferi gaudent appendice menses.

VENVS BRITANNICA,

Sive in nuptias Celsissimi Principis, D. GVILIELMI, Arausiorum Principis, &c. Cum Serenissima Principe D. MARIA, Serenissimi, Potentissimique Magnæ Britanniæ, &c. Regis CAROLII, Filia Primogenita.

HVnc primum, Guilielme, mihi concede laborem,
Dum Sponsum te sceptra creant, teneraque juventa
Augustos regina Paphi decernit amores;
Amplexusque tuos & vix jam conscia rerum
Oscula, & arsuros flammis regalibus ignes,
Veraque Nassovii suspendit gaudia lecti.
Dat myrtum, sed non thalamis inspargit amantum;
Insontesque Rosas, nulla quæ cuspide lædant;
Malaque Arausiacâ decerpit ab arbore, sed quæ
Ipsa sibi vellent minus immatura videri.
Sic juvenis quondam Cyprin dilexit Adonis,
Cum nondum pharetratus erat, nec tenderet arcum,
Nec jaculis saviret Amor, nec montibus altis
Parvulus attonitæ premeret vestigia damæ,
Dianæ Faunique comes. sic pulcher Iülus
Nascitur, & magnæ servatur pronubus Albæ,
Imberbis licet, & nondum custode remoto
In se ventura servaret semina Romæ,
Tarpeiosque patres, tantique exordia regni.
Templa patent portæque Deûm, cœlique sacerdos
Verba prait juranda Tibi. sed templa Dione
Claudit adhuc, Venerisque puer; dum mascula totum
Exspectat natura virum. regalibus inseris

Federi-

Federibus promissa thori; das federis arrham
Conjugiique fidem. sed dulcem conjugis usum
Nescit Hymen. blando cuncti sub nomine tecum
Ludimus, & Sponsi festiva vocabula latus
Ingeminat Tamesis verbisque effeminat aulam.
Non es, quod mox esse voles. sis jure maritus,
At nondum officiis exples. tibi rector Iernes
Donat in uxorem, quæ nondum ducitur uxor.
Nubitur & nondum nupta est. tua dicitur esse
Intereà, dum Virgo manet. plus lege ligaris,
Quàm consorte thori. nectit consensus utrumque,
Quos dirimit cortina duos. spes nulla cubili est,
Quod socio nondum ignè calet. non lumina præfert,
Non thalamos Hymenæus adit. non Phosphorus Oetam
Deserit aut vestros tenebris involvit amores,
Absconditque diem. Mariam cum respicis, aquâ
Voce juvas; certisque beas Celsissimus ostrum
Pollicitis, & sola tuæ præludia flammæ
Ostendis, primique doces elementa furoris.
Cum grandis te Virgo videt, quàm vellet adulto
Posse loqui, quæ nescit adhuc. suspirat amantis
Purpura & infirmis veneranda irascitur annis
Virginitas. & cur passim sibi tanta paretur
Scena, stupet. cunctas jam fastidire puellas
Incipit & sensim vultu præferre maritam.
Magne Heros, toties lauros & prælia scripsi
Patris, & armorum tot victis mœnibus artes,
Nunc stratum castris Vahalim, nunc compede vinctos
Et Mosam Rhenumque Deos, tremefactaque Scaldis
Littora dispersosque Duces. interritus ivi
Per medias Belgarum acies, fossasque globosque;
In vallis, sine cæde, steti. perrupimus arces.
Sum factus, sine fraude, Sinon. mea tympana Phœbi
Percussit furor & tantarum publica rerum
Nuncia Musa fuit. regali incendia classi
Nuper & Hesperiis immisit puppibus ignem,

 Audaci

Audaci Mavorte pater. tunc buccina facti
Ingentes cecini Batavûm per regna triumphos,
Et formidatam Aönides mersere Teresam.
His alias, Guilhelme, faces, nec noxia vibras
Fulmina littoribus, nec te grandæva profundi
Diva pavet, trepidatque tuis Nereia flammis
Filia Nereidesque Dea. quin æquore in ipso
Fluctibus adspergunt venientem & mollibus unum
Floribus & verna Tethys totum induit algâ.
Et cantus iterant illos, quos tempore Pelei
In Thetidis thalamo Æmoniæ cecinere puellæ,
Totaque divina recitavit Phtia marita.
Tum pelago periere rates. tibi salva paratur
Conjugio devota ratis. tunc sanguine Duna
Irrubuit. nunc Sponsa rubet sentitque pudoris
Auspicia, & teneris nascens se prodit in annis,
At nondum sibi notus, amor. tunc montibus altis
Constitit & subitis stupefacta Britannia latè
Ignibus, attonitum gaudens damnavit Iberum.
Nunc eadem, dum transtra videt Batavûmque carinas,
Auriacumque suum & Sponsi venientis honorem,
Plaudit, & optatis disponi sidera poscit
Sedibus & prono Sponsis præludit Olympo.
Tunc genitor Regum terror fuit, aspera belli
Tempestas & turbo maris. nunc mitior audis
Regis amor Mariæque tuæ. tunc præmia pugnæ
Captiva cessere rates & cognita Bati
Nomina bellacesque viri. mitissima nunc te
Adspicit & tibi donatur generosa virago,
Libertatis amans titulo. nectique marito
Intemerata cavet, neque vult divulsa vocari.
Princeps digne Iuventutis, capit Anglia magni
Incrementa Ducis, Sponsique in imagine cernit
Formari non falsâ virum. Augustissime surgis
Majorum fulgore, tuoque attingis Adolphos
Sanguine, Cæsareasque aquilas, & fulmina belli

Nasso-

Nassovios, Chalonumque domos, fortisque Renati
Stemmata, & invictos Asiæ per regna Robertos,
VValravosque patres, &, vim Mavortis, Othones.
Natales vehit Haga tuos, Comitumque potentum
Fornicibus capis illustris primordia vitæ,
Et decus hoc infers cunis, quas horrida Tethys
Alluit & tumidis ferit implacabilis undis.
Non lasciva Paphos patria est mollisque Cytharon,
Non Amathus, non Ida levis Cyprusque Gnidosque,
Sed Martis domus & studiis asperrima belli
Terra potens, duros jam dedignata Philippos.
Hoc nasci te fata loco voluere, serenum
Libertas ubi pressa caput victricibus armis
Extulit & pulso civem servavit Ibero.
Adstitit ad cunas Lachesis, præsagaque dixit:
Ista rotant Fabium cunabula. totus in illis
Vultibus hæret avus. patruique hac fronte notatur
Martia majestas, & non concussa cadentis
Colinii constansque fides; fiducia patris
Impavidumque malis pectus. facundia, qualis
Ameliæ genitricis, erit. mens cauta Loysæ.
Tum cunas taciturna Rosis conspersit. at illas
Miratur, nescitque parens his fœdera Regum
Signari & Mariæ portendi vincla Britannæ.
Inter tela puer crescit; cinctusque sarissis,
Innocuis adflas rutilos vagitibus enses;
Et prensas hastile manu, galeaqua tenellum
Abscondis caput & bellorum exordia tentas.
Ipse pater juvenum turmas totasque cohortes
Conscribit, Guilielme, tibi, parilemque juventam
Ductor agis, formaque Ducis præcedis ephebis.
Sic pueros inter Thraces propè Strymonis amnem
Ipse pater Mavors ibat, Rhodopenque ferocem
Exciit ad pugnas. talis Chironis alumnus
Inter Iäsonidas bellatoresque praivit
Pirithoos, juvenisque suo cum Castore Pollux

Militia documenta dedit. sic parvulus olim
Armavit patrias, sed subridente Philippo,
Pellæus persæpe manus, vel germen Epiri,
Imberbesque ferox Macetas. cum victa parenti
Oppida disruptasque adferrent nuncia portas,
Successu meliore doles; atque omnia patri
Cedere, virtutique tuæ nil grande relinqui,
Conquereris tecum tacitus, ceu navita fluctus
Cum secat, & docto moderatur carbasa motu,
Quæ sedet ad proram soboles, sibi talia credi
Vellet & annoso jam tunc succurrere patri.
Nec minus egregiis nascentes dividis annos
Artibus, & quantum magnis Sapientia robur
Mentibus, & celsis stimulos heroibus addat,
Vt formet doctrina Ducem, quæ munia paci,
Quas gladiis belloque moras, quos suggerat ausus,
Discis, & exemplis florescens grandibus ævum
Instruis. in cunctis dictat Prudentia seclis
Fortunæ præcepta tuæ: Pietate probari
Sceptra, nec hæc unquam magis inconcussa teneri,
Quam Superûm cœlique metu: plus surgere gentes,
Sub rectore pio, & domino parere lubentes,
Cui curæ est, parere Deo: tunc omnia quemque
Ferre, suis postquam constat reverentia sacris.
Nec quatitur recti tenor & laudabile regnis
Iustitia Themidisque forum: nec figere leges,
Quas non ipse facis: populis hæc sola juberi,
Quæ ratio probitasque jubent: feritatis iniquum
Nomen & invisi damnari frena tyranni:
Et faciles potius leges & jussa placere.
Armis abstinuisse bonos: sed & illa reposci,
Cum tutis minus esse licet, rabiesque quietis
Incubat & stricto grassatur barbara ferro.
Vlterius tunc jura foris differre potentes,
Cum, nulli possessa, vacant: aliena cavere,
Communi sed lege frui: civilia cautè

Devitari odia & tacitis fomenta negari
Dißidiis, pacemque suis præstare serenam.
Esse datos populo reges, & regibus illos ;
Officiisque duos jungi : violenta timeri
Principibus quassamque ratem : nil fœdius aulis
Gliscere, adulantum studiis : luxuque vorari
Immensas regnantis opes ; deforme, sinistris
Cladibus irasci, nec frangi mascula duris
Pectora, sed contra fortes audentius ipsis
Infractos se offerre malis, & posse dolores
Condere & ex ipso solatia poscere luctu.
Hoc etiam didicisse studes ; æraria fidis
Commisisse viris : his nervis castra valere,
Et pugnare tuos : Patrum consulta vereri,
Et meliora sequi : magnas in Nestore verti
Imperii partes, & consultoris egere
Regnatorem animum ; nec tam sibi fidere semper,
Quàm fidis Procerum monitis & vocibus æquis.
Se præstare Titum, veri Ducis esse ; Numamque
Iungere Trajano : nunquam dimittere tristem,
Qui rectoris eget, nec fastidire querentes :
Trudere Avaritiam lucrique cupidine fervens
Pectus, & eximiis, crebris hortatibus, usque
Ingeniis aperire viam ; preciisque tueri.
Nil regale magis, nil convenientius ostro,
Quàm servasse fidem, nec solvere fœdera falsò.
Fama grande decus, pulchrumque jubentibus esse,
A vitiis revocare gradum, civique praire
Mortales virtute Deos, cum mentis honestæ
Gloria fax trabeas inter fascesque refulget.
Mox antiqua legens, arcanis regna revolvi
Motibus, & tacitis tolli diademata causis
Miraris, summosque apices & culmina mundi
Majores calcare Ioves & tollere parvos.
Sic celsam cecidisse Tyrum, cecidisse superbum
Ilium & has ipsas, quas prisca Semiramis arces

Condidit, & veteres, nudum nunc nomen, Athenas
Et detestata Ausoniis Carthaginis alta
Mœnia & attritam longis Lacedæmona bellis.
Cum relegis septem subnixam montibus urbem,
Et nondum notæ populis primordia Romæ,
Hanc armis crevisse putas, fortisque Quirini
Auspiciis totum cessisse nepotibus orbem,
Et terras alias extremaque nomina Gades.
Hic tibi cum Bruto patriæ communis amorem
Esse voles, Curiosque probas mensæque minoris
Convivas celebres, & qui Dictator aratro
Poscitur, ingentemque animam reducisque Camilli
Signa & honorati victricia rostra Duilli.
Nil tibi cum Gracchis studii est. in Cæsare primum
Displicet impietas, hinc regni insana libido,
Et cœptum Rubicone nefas. Cicerone peremto,
Despicis Augusti laudes, Capreasque Tiberi,
Et Caligæ fœdum facinus Claudique furorem,
Atque illaudati cædes flammasque Neronis.
Prætextæ placuere doli, vocesque Papyri,
Scipiadesque patris vindex, immotaque virtus
Attilii, regemque arcens in flumine Cocles.
In Grajis quam multa stupes. hic Thesea clarum,
Hic Niciam, tibi Sparta gravem; pugnasque ferocis
Eumenis & Sicula validum tellure Dionem.
In Persa plus regis opes, quam militis arma,
Et currus falcesque facis. Venerabile Cyri
Imperium Dariumque colis, rigidumque tribunal
Cambysis, fratresque magos Xerxenque pererras
Lector, & à primis hauris oracula Medis.
Omnis ab Assyrio majestas Principe venit
In populos, primusque suis è finibus audax
Exiit, infidæ feralis victima nuptæ.
Hæc terrent portenta ducem, juvenisque fateris
Femineæ cruda ausa manus, stimulosque furori
Subdere, quæ rabidum dementat purpura sexum.

Mox

Mox in Belgarum fastos & tempora raptus,
In Batavis quàm pulchra notas: adamabile genti
Esse tua, priscis majorum moribus urbes
Et gentes & rura regi: Comitumque Ducumque
Legibus adstringi titulos, indultaque nullo
Iure rapi: leni flecti præcordia motu:
Irasci feritate, & libertatis amori
Devovisse animas, ipsam pro Principe vitam,
Proque focis arisque Deûm decernere ferro.
Omne tibi seclum discenti panditur. ætas
Qualibet Auriacum format, dignisque regentum
Inserit ordinibus. Latiæ facundia linguæ
Hoc ipso docet ore loqui, quo digna locutus
Arpinas Crispusque fuit. tibi verba disertus
Suggerit & Druidum Ligeris sermonibus implet,
Et Teuto sua sensa aperit, vocesque ministras
Arioviste tuas. tenera solertia dextra
Pugnaces versat gladios, pugnamque capessit
Legibus, & doctè joculares ponderat ictus,
Luminaque adversum defixa obvertit in hostem,
Et gradibus numeroque ferit læditque, cavetque
Lædier, & veris præcedunt ludicra bellis
Prælia, & oppositos in imagine sternis Iberos.
Quin spumantis equi fodiens calcaribus armos,
Antevolas, Gulielme, Notos, frenoque coerces
Cyllaron & facili ducis per compita flexu.
Nec non & foliis acies depingis in ipsis,
Et vallos & castra locas, & construis arces,
Et qua parte ruant quassatæ glandibus urbes,
Et qua parte suis tutæ stent mœnibus urbes,
Observas, fragilique moves certamina chartâ.
Talibus instructum monitis & Pallade tota,
Nassoviæ florem, regina Britannia, gentis
Excipe & augustis promissa cubilia tedis
Illustra, Mariamque atavis è regibus ortam
Iunge Duci, Batavumque tuis annecte tiaris.

Hic locus, hac patria est, quam bellatricis Elizæ
Asseruit jurata fides, metuendaque Bati
Femina ab iratis voluit servare Philippis,
Tutarique manu. stetimus, regnante Stuarto,
Federibus, regique patri debere fatemur.
Nunc Caroli socias jungit clementia terras,
Hoc sponsore novo. tanti velut obside lecti,
Cum Tamesi loquitur Vahalis, se Mosa Tuedæ
Exhibet & Sabrina suo dat basia Rheno.
Quos populos junxere rates, commercia, concors
Relligio, propiore ligat Cythereia nexu,
Et thalamis vult esse pares. prait, ecce, procator
Auriacus, scribitque suis sponsalia Belgis,
Quæ fas quemq; sequi. quamvis mare laxius Hagam,
Et pater Oceanus vastis discriminet undis,
Tranat amor, pelagusque suis, en, transvolat alis,
Velaque distendit, flabris quæ lenibus Hymen,
Et placido Æolii propellunt turbine fratres.
Viderat Arctois in fluctibus Amphitrite
Nassovias properare rates, & præscia fati
Extulit os pelago, & felicibus, inclyte, dixit,
Auspiciis procede puer. Tibi digna parantur
Conjugia & regum claro dignate cubili,
Indue regales animos, & sanguinis alti
Iam consors, æqua partibus virtutibus illum,
Augustisque triplex diffunde nepotibus ostrum.
Cum summa cœli Titan regione vagatur,
Cunctaque sublimi radios è vertice fundunt
Sidera, plus meliusque micant. Tu vectus in altum
Terrarumque Diis mixtus, fulgentior exis,
Spesque tuas auges, & quæ fortuna Batavis
Victrici concepta solo est, te vindice surgit.
Vix ea fata fuit: cum certior omina Nereus
Addidit & cladem Hesperiæ funestaque vates
Tempora Tartessoque vices prænunciat augur.
Ipse ratem trudens facilis per murmura ponti,

Littore in Albionis salvam stitit. ilicet omnes
Intonuere cavæ sonitumque dedere caverna,
Lætaque de pandis strepuere tonitrua passim
Ventribus, & fessos vomuere anfractibus ignes.
Non aliter quàm cum Siculis trux Ætna caminis
Saxa, faces, cineresque procul jaculatur, inhorret
Trinacris ingentique tremunt vicina boatu.
Tunc placidis stravit Tamesis sua flumina ripis,
Accepitque pius generum, Rutupinaque circum
Mœnia præsensere Ducem. se fudit in unum
Anglia, & in tanto dissolvit gaudia Sponso.
Nam placuit vultus populis, erectaque morum
Simplicitas, pulchrisque innata modestia membris,
Ingenii vigor & lux circumfusa paterni
Nominis Auriacaque jubar venerabile terræ.
Talis in Emathias Peleus cum posceret urbes
Tethyos immensæ neptim, Phtiatica Tempe,
Argivaque domus, Larissaque nobilis, omnis
Deseritur latè Scyros. cupit obvius ire
Thessalus atque novos regi gratatur amores.
Et licet in Geminis Sol currat & occupet annum,
Passim rura vacant. non fessus taurus aratro
Ingemit, aut scissis vomer splendescit arenis:
Aut nunc curat oves Damon, vel lana Britanno
Tingitur, aut coctis fumant fastigia pannis.
Laxantur solitis Caroli palatia curis,
Sollicitæque dies festiva intervenit Aulæ,
Et gaudet regina parens; sobolisque maritum
Adspicit & patrem paucis exspectat aristis.
Rex sceptro, quod fortè manu sublime tenebat,
Attingit geniale caput. pelagique ratisque
Tædia sperata pepulit præsentia Sponsæ.
Illa verecundas inter formosa puellas,
Iamque genas non maturo depicta pudore,
Atria magnificâ verrebat splendida pallâ,
Virgineos induta habitus. sed casta vittam

Vincula stringebant, demissaque pilea frontem
Et strophium mites aliquà velabat ocellos.
Qualis Sicaniam flores lectura per Hyblam
Inter cœlicolas ivit pulcherrima divas
Persephone, nondum plenis Dea nubilis annis.
Hanc simul ac cupido conspexit lumine Princeps,
Hæsit & occultis potuit caluisse favillis.
Hunc simul ac timido conspexit lumine virgo
Regia, plus illum jam tunc potuisset amare,
Si mollis plus Sponsa foret. tamen arsit & aulæ
Vocibus, hoc, quicquid Sponsa est, se credidit esse.
Et nunc antè aras Superûm pia vota sacerdos
Nuncupat & sacris firmat connubia verbis,
Agnoscitque Deus thalamos. Tunc Anglia pictam
Læta trahens humero chlamydem, cui classis Ibera
Disjectas pelago puppes, flentemque Medinam
Attonitosque Tagi dominos innevit Arachne,
Pugnacesque Rosas quondam, cum candida rubræ
Oppositis iret studiis; sic ora resolvit:
O dilecte Deo Princeps, quem Martia tellus
Auriaco duri genuit Tritonis ad undas,
Battaviæ columen, proavûm clarissime famâ,
Cum Maria me junge tibi. tibi nubimus ista in
Conjuge. nec tantos livor divellat amantes,
Nec nisi sera dies. Fidei manus illa tuetur
(Et simul exertam porrexit in æthera dextram)
Et regni momenta mei. tu tempore duro
Huic gladios, Dux, stringe tuos. hic omnia vicit,
Qui Superûm pro jure stetit. defensor Olympi
Has terras pacatus habet. Belgisque placebis,
Belgarum cum sacra probas, & civibus una
Asseritur Pietas & mens obnoxia cœlo.
Quos cives privata ligat tua causa, ligabit
Publica. nec volet hoc Anglus, quod velle Batavus
Non volet, aut nolit Batavus, quod mavelit Anglus.
Intemeratà meis tecum concordia terris

Gliscat

Gliscat & hoc nostro tollantur in omine tedæ.
Tum gravis & surgens animis ingentibus, infit
Nympha Caledoniæ: mea sunt, nunc dicta sorori.
Communis mihi causa tua est. qui pronior æther
Adspicit haud una munitos Orcade Scotos,
Has tibi magne faces Ductor, faustisque secundet
Auguriis promissa thori. cum fecerit ætas
Te matura virum, & poteris risisse cubili,
Nascatur vobis, expers formidinis, alter
Mauritius, quem tunc Morinus vel territa Calpe
Horreat, & cujus metuant incendia Gades,
Signaque nunc Oriens Titan, nunc Vesper adoret.
Ille per Occiduos fluctus, in Mexica puppes
Oppida vel ditem mittat sua carbasa Cuscum,
Auriferamque Peru. vel Scotica prætervectus
Littora semotos undis glacialibus Indos
Quærat & extremos hoc tangat tramite Sinas.
Intereà veri crescant ambobus amores,
Et sperata prius fest.net lumina vobis
Hesperus aurataque Venus quæ præsidet aulæ.
Vota favens vobis Tethys mea scripta corallis
Mittit, & assiduam belli mea regna ministrant
Materiem, nostroque tuis dant robora castris
Milite. quàm cupiat vestro frondosa Caledon
Delicias conferre thoro. quàm Grampius optet
Pronos ferre lacus & totos piscibus amnes
Porgere. Vos gelidæ pròcul amplectuntur Ebudæ,
Et juvenes nuptis extendunt Hebrides annos.
Tertia tùnc cœpit fari regalis Ierne,
Insons una mali, tristisque ignara veneni:
Vivite, ait, grandes animæ, & quæ gratia Divûm
Me beàt, irradiet vestras uberrima terras.
Sit cœlum sine labe calens, sine frigore duro
Brumà tepens. tellus se luxuriantibus herbis
Explicet, & cunctis abscedant toxica Belgis.
Nascere progenies, quam se Fredericus in unam

Transfundat totum genitor. Tunc altera spes est,
Vinci alias iterum Sylvas & mœnia posse,
Occiduasque alibi Auriacis heroibus urbes,
Memnoniasque patere domos. Vehet illius arma
Taprobane, ditesque agnoscent signa Molucca,
Nassoviumque suis Mariamque inscribet in oris
Indus & accipient hac ipsa vocabula Iava.
Nos cygnos aquilasque damus, ceu symbola celsa
Sortis, & in festis largimur fercula mensis,
Atque ipsam pro dote Palem. fontesque lacusque
Fundunt Principibus latices; & Duris & acer
Ausoba Liberiusque senex certansque Boando
Argita, vos placidas vellent vectare per undas,
Charaque postremus venerari nomina Senus.
Finierant. tunc insolitis sua brachia miscent
Nexibus, & digitis ter conscia numina signant,
Ter manibus quatiunt tedas, fixasque coronis
Concussere Rosas, permixtaque lilia matris
Regina nituere magis, ter purpura coccum
Quaque bibit, micuit rutilum sub crinibus aurum,
Et melior triplici majestas addita regno est.
Nuncia conjugii celeri jam Fama volatu
Ivit in oppositum Tamesi trans aquora Belgam,
Victoremque diu populum. clamoribus urbes
Patritiis resonant. gavisaque Curia lites
Abrumpit, nescitque reos. sua munia differt
Civis & athereis implet delubra sacerdos
Officiis & grata Deo praconia solvit,
Tantarumque pius causas & semina rerum
Altius arcessit. Maria vox blandula cunctis
Ore natat. Maria placet appellatio cunctis
Matribus. haud alio signantur nomine partus.
Guilielmi Mariaque levi depicta tabella
Ora gerunt. hac in thalamis spectacula prostant,
Illa domos species, hac atria, tecta, columnas,
Hac & Arausiacos decorat pictura penates.

Cum

Cum veniet Regum ſoboles, cum littore noſtro
Stabit & in Batava ponet veſtigia terra,
Aſſurgent illi Vnanimes ex ordine ſeptem
Applaudentque Deæ, valida quæ ſpicula claudunt
Concordes ſeptena manu. quas vindice ferro
Aſſerit Auriacus ſolique opponit Ibero.
Vltima, quæ patriam excellens Hollandia Sponſo,
Et lucis primum genitrix indulſit honorem,
Hæc dixiſſe cupit: Batavûm celſiſſime gentis,
Cuncta mihi faciles Superi & quæcunque popoſci
Conceſſere. meis Patris cunabula Delphis,
Tunc puerum, complexa fui, cum ſanguine diro
Tingeret afflictam latro temerarius aulam,
Atque expers tutoris eram. Tu naſceris infans
In gremio venerande meo, te fovimus ulnis,
Tu mihi ſpes generis dudum bellique fuiſti,
Solaque nunc ſuper-es. ſed quàm mihi ſidera rident,
Quod tuus à Regum jam creſcat ſanguine ſanguis,
Quod pulchro Mariæ ſperetur germine germen,
Quod ſoboli ſperetur avus, quem Gallica fratrem
Sceptra vocant; patruum quod fortis Cimbria regem
Det tibi, quod Medicea ſuam clariſſima neptim
Elocet; illa trium mater celeberrima Regum;
Quod te Sponſa colat, magnis hinc cincta Britannis,
Inde Caledoniis; quod trux manſueſcat Iverna
Ad ſoceri mandata tui. Quò te ardua raptat
Naſſoviæ lux priſca domus virtuſque tuorum,
Fati cura vehit. Fortunatiſſime, ſi me
Vis nuptæ dare dona tuæ: concordia Belgî,
Totque Fides Batavûm & gentis cultura Stuartæ,
Obſequiiſque ſtudens animus promittitur uni.
Non peregrina mihi, poterit mihi nata vocari.
Expungam patriæ titulos & jura cubili,
Quæque Britanna fuit, fas eſt jam dicere Belgam.
Auriaci thorus eſt. patriam ſi vendicat ille
Battaviam, tu Sponſa tuo cum Principe muta

Nomi-

Nominaque & populos. & dum servaris amori,
Servaris quoque tota meo. dulcissima, quot Te
Plausibus excipiet Vahalis, Rhenique bicornis
Accola, quot cinget venientem classibus æquor,
Quot tibi de summa suspendet puppe corollas
Navita, quàm multa velatus arundine Mosa
Ducet in optatos Caroli venerabile portus
Depositum, Mariamque vehent cervicibus omnes.
At postquam Auriacos intrabis læta penates,
Et Tartessiacis inimica palatia sceptris,
Ibis in amplexus, toties quos horruit atrox
Cantaber & dextram tanges, cui libera debent
Colla mei cives. oculos spectabis Ibero
Terribiles, ensesque mea secura salutis
Præsidia & centum fulgentia tecta trophæis,
Fornicibusque inserta Ducum vexilla, cavisque
Suspensas altè victas laquearibus hastas.
Ibis in Ameliæ amplexus, matrisque futuræ
Oscula & in tanta gaudebis Principe Princeps.
Quod si Toxandrûm tumidis allaberis oris,
Ecce, procellosis emergens sævus ab undis,
Non sæva te fronte Leo spectabit, & unam
Mulcebit, propriasque Ducem deducet in urbes.
Se Vlissinga tibi, pulsataque fluctibus altis
Cives Vera suos submittet, & illa propinquo
Quassa mari castella. tua pars digna Sicamber
Dotis erit, crinesque suos torquebit in orbem
Bellator, vestrisque regi post busta parentis
Imperiis jussisque volet. Tibi sacrat habenas
Mitra suas, & jam rectorem scripsit ephebum,
Qui tuus est. dicet præstans Groninga magistram,
Isula rectricem; & celsis Zutphania muris
Tuta, suam vestris subdet sub fascibus urbem.
Cum venies, hic Breda tua est, & Martia rupes
Geertrudis, Lingaque domus, bellisque superstes
Meursia. debetur frenis Diesthemia tantis,

Et

Et Grimberga potens & pronis Gravia portis,
Et Bura & Mariæ nomen venerata, Sichemum.
Cum venies, formidatas exercitus alas
Pandet, & hinc equites inter peditesque Camilla
Stabis ovans. flectet densus se in cornua miles,
Militiamque jocum faciet. concurret & hostem
Finget adesse sibi. teneram vexilla maritam
Involvent, cernesque tuo jurata marito
Castra, Duces, lituos, & quàm metuenda supellex
Mavortis. quantis acer sese afferat armis
Libertatis amor. cernes, quas Rottera turres
Attollat; quàm se mansuetis Leida Camœnis
Crediderit; quàm se geminum diffundat in orbem
Amstela, quam latè spargant pomœria civem,
Vt silvis trabibusque natent fastigia densis,
Et quovis glomerentur opes è cardine, quovis
Axe petat pavidum mercator callidus aurum.
Cum venies, saltus supplex umbrasque recludet
Haga suas, Zephyrisque rotas currusque ciebit
Lenibus, & celso nutantes vertice quercus
Pro te sternet humi: Faunus, dum fortè per umbram
Diffugiet, vestros hic cantillabit amores,
Et venatrices arcesset Delia turbas,
Quas Dux una reges. celeris vestigia cervæ
Ponè premes, trudesque vagas in retia damas.
Tota tibi fuero Phocisque & Thessala Tempe
Et Præneste Deûm. Soboles augusta, perenna,
Exoriare istis vindex ex ossibus alter,
Qui face Cantabricos ferroque sequare colonos,
Tartesiique graves dominos. Par grande, triumpha,
Euboicique precor transcendite pulveris annos.
Quæ cum dixisset generosa Batavia, sensit
Communes Europa faces. sua commoda quisque
Supputat & censet multis nupsisse Stuartam.
Terra Palatinis lugens in collibus, optet,
Iam profugo, rectore frui, Bavaroque regendi

Indixisse

Indixisse moram. tot fracta Alemannia bellis
Suspirat; regnisque suis hoc federe robur
Addi posse putat. bellatrix Gallia vellet,
Austriaco irasci Carolos. sociosque, Britannum
Et Batavum, indomitis obvertere rostra Philippis.
Excussit modò frena Tagus, sed poscit ab isto
Præsidium viresque thoro. quin Adria longè
Castella videt è specula ridetque laborem.
Ipse meis columen terris arcemque parari
Belga reor, magnumque minus jam posse timeri
Hesperiæ dominum. Quæ non sua gaudia gentes
Connumerant? quid non Batavi speramus amantes?
Magne Britannorum rector, qui sancta verendæ
Nomina pacis amas: cujus vindicta nec hostis
Sanguine tinxit ebur: cujus veneranda Tonanti
Majestas populoque vacat; cum tempora sceptris
Acta tuis memoras; hunc, quem nunc parturit æther,
Signa mente diem. septem Tibi filia gentes
Alligat & cunctis Fidei defensor amaris.
Nupta Duci est, dimitte pater. stant littore classes.
Nupta Duci est, dimitte duos. hoc Belgica poscit.
Nupta Duci est, Regina fave. quos junxit Olympus,
Ne toto prudens Genitrix distingue profundo.

AVRIACVS TRIVMPHANS,

Sive in victam Potentissimi Hispaniarum Regis in Freto Britannico, Classem,

POEMATION.

Siste gradum, Frederice. tui fastigia fati
Nescit mens demissa sequi. licet alite penna
Erigar, atque ipsis cupiam sub nubibus abdi,
Altius erigeris, Princeps; Superûmque penates
Semi-

Semideûmque domos pulsas. quin vecta per altum
Subducit se Fama mihi; & sublimior astris
Gloria languentem ridet secura poëtam.
Nec me Castalios in singula ducere fontes,
Tam cumulant se multa, finis. Tua bella sequutus,
Et lituos & castra sui. sub mœnibus ipsis,
Sub portis, Dux magne, steti, & victricia tecum
Signa per adversas duxit cataphracta cohortes
Calliope & mediis defixit in urbibus hastam.
Mox nova Borbonias scripsere exordia laudes,
Et crevit sub Rege labor. dum Lilia tollunt
Nassovium & pronis capit incrementa tiaris
Auriacæ virtutis honos; se miscet honori
Testis & Amsteliæ fundunt præconia Nymphæ.
Non plausus tibi, summe Ducum, non publica deerant
Præmia & illustres, te bellatore, triumphi,
Aut quicquid communis amor, Belgique Potentes
Excellens tribuere tibi: consensimus omnes,
Et patriæ vox una fuit. laudavimus arma
Successusque tuos & totum clara per orbem
Belligeræ tot gesta manus. Nescivimus unum,
Nomine quo tantum felix Respublica dignè
Compellet vocitetque Ducem. Dum fluctuat orbis
Arbiter, & Batavi nescit cognomina Martis,
Distinctumque decus: tandem Tu Gallia nomen
Mittis & Arctoo precium largiris Achilli,
Et Celsum cognata vocas. qualem esse priores
Credidimus, talem nobis tu prima fateris.
Erigimur cuncti titulo. surgitque potestas
Altius, & celsam sentit se Belgica dici,
In rectore suo. quantum Dux ipse verendæ
Majestatis habes, tantum sibi vendicat illa,
Alteraque alterius sese splendore tuetur.
Sic astris Dictynna suis venerabile lumen
Commodat æthereique micant illustrius ignes,
Phœbææ facis adspectu. cum nomina Magni

Pompeio pia Roma dares; patriaque Parentem
Diceret Augustum Tiberis; non dignior unquam
Romulidûm celebres involvit gloria cives.
Nunc, quem terra Ducem fecit, quem Gallia celsis
Inserit ordinibus, talem victricibus armis
Æquora continuant. Tibi grandis filia Nerei
Fluctibus adspergit caput, & Mavortia totum
Oceanum in pugnas aperit. sic altera Martis
Excelsum te forma facit, mutataque laudis
Causa placet. dum disjecta per cærula puppes,
Rostrataque tua radiant in fronte corona.
Post urbes, domitaque ingentia mœnia Bredæ,
Et debellatum præfracto milite Mosam,
Inde catenati concussa cubilia Rheni,
Conficiunt tibi nomen aquæ; pelagique marisque
Te statuit fortuna Deum. quem sub Iove summo
Armat in Hesperias bellatrix dextera classes.
O Superis dilecte Pater, cui fundit ab alto
Veliferas Mavors acies, puppesque trucesque
Accelerat Bellona rates; cui carcere missi
Lenius Æolii spirant in classica fratres;
Te lauris involve novis, famaque superstes
Longum vive tua. Iam formidata residunt
Carbasa, desævit rabies bellacis Iberi,
Detumuit Castella ferox. metuendaque Calpe
Horret, & attonitus luget dispendia Vesper.
Tot silvæ periere Tago, tot robora Bæti,
Tot quercus sorpsere faces, tot ab ignibus Arctos
Arsit & in gelidis incendia fecimus undis;
Fumantesque trabes, exustaque transtra, forique
Æquoreas flammis exsiccavere procellas,
Naïadumque domos. conflagravere penates,
Ennosigae, tui. caluitque à fomite tanto
Tethys, & accensis serpserunt fluctibus ignes
In thalamos, Neptune, tuos. stupet horrida Triton
Bella senex, conchaque vagum circumsonat æquor,

Commit-

Committitque Duces. toto jactantur Iberûm
Regis opes pelago. quassátaque scrinia, gazæ,
Argentique graves loculi, discrimine magno,
Spem Batavis fecêre sui. preciosa supellex
Credebat se posse rapi. sensere metalla
In ponto non esse fidem, dubièque teneri
Divitias, quas fluctus agit. tunc omnia Belgam
Spernere, cum tinnit lætis impulsibus aurum,
Et spoliis calet æris amor. Proh; æquora, terras,
Atque ipsum Phlegethonta furor pervadit habendi.
Concutimus portas Erebi, Plutonis adimus
Atria, nec fulva deterret Cerberus offâ
Audaces in prædam animos. Trux ventilet ignes
Tisiphone, quatiatque suos irata colubros;
Provehimur, quo lucra vocant. didicere Batavi
Inter tela mori, vel vincere. sanguine pingunt,
Quas avidi scrutantur, opes. vult proxima morti
Esse manus, ditis qua messis poscitur Indi,
Et fortes sors ista facit. fiducia segnes
Erigit, & raras regina Pecunia puppes
Cantabricis cogit proras obvertere proris.
Grajûm prisca tumet Pagasæis puppibus ætas,
Argolicosque Duces & lecta nomina pubis
Nuncupat, & magnis fœta raptoribus alni
In Colchos posuere minas. gravis Aulide classis
Laomedontææ fato servata ruinæ,
Ivit in Ægæos fluctus & Pergama summis
Evertit fabricata Diis. cinguntur Athenæ,
Armatamque timens mox Persida bajulat Hellas,
Cum pontus pons unus erat, trabibusque revinctis
Sterneret immensam Medorum purpura Tethyn.
Quid Tyron & multo metuendam remige dicam
Sidona, navigeramque Pharon, Nilique recessus,
Et portus, Cleopatra, tuos? Vrbs æmula Romæ,
Contudit Ausonium, Xantippo præside, fastum,
Et toties Latiis intendit rostra carinis.

Cum tua Agenoreæ virtus, Dux Regule, genti
Monstraret. sic posse pati pro cive Quiritem,
Nec titubare fidem duris. Hac nostra marinos
Terrent secla Deos, superatque audacia, quicquid
Ausa fuit Fortuna mari. concedere non vult
Posteritas, jam major avis. discitque sub ipsa
Colchide pallescens rimari in montibus aurum,
Aut ratibus vectum rapere, & subducere sceptris,
Quo solo plus sceptra valent. maria omnia transtris
Insedit bellator Iber. per Memnonis oras
Militat. & qua fessus equos lavat æquore Titan,
Navita stat; regumque potens cervicibus unus
Incubat. in geminos excurrunt carbasa Soles;
Dum mundum vult esse suum, solusque potiri
Tot terris, quas quisquis amat. Nos parvula mundi
Portio, nos Boreæ sub sidere nata propago,
Et toto secreta mari, tot classibus, eheu,
Inpetimur, luimusque patrum delicta priorum,
Si patria delinquit amor, defensaque ferro
Libertas peccare potest. ruit acris ab Austro
Tempestas, frendensque odiis Hispania longis,
In nos castra vomit. veteris dispendia cœpti
Exciderant animo, laceraque per æquora puppes,
Quas in Pleumosias Syrtes & littora Ierna
Illisit gravis ira Deûm, cum fortis Elisa
Vinceret, ingentisque esset Dux femina cœpti.
Altera Callaicis nunc Hydra repullulat oris,
Alteraque Hesperiæ fundunt tabulata Coronæ.
Vexatosque Deos iterum vexare Philippus
Audet & infidis classem committere ventis.
Regna natant, ratibusque fluunt contracta superbis
Imperia, & validæ jactantur fluctibus arces,
Belligeræque domus. turrita palatia cernas
Porticibus spaciosa suis. innare revulsas
Cycladas, & totos errare per æquora montes.
Hæc ubi conspexit nemorum fastigia Phœbe,

Herrnis

Horruit & terris dum proxima vertitur, irâ
In Regem conversa Tagi est. metuitque futuris
Accendi se posse focis. Titania lampas
Fumantes avertit equos. cœpitque timere,
Queis Phaethontais flagravit ab ignibus æther,
Ipsa ducum vectrix Argo, mirata carinas
Desuper, his ipsis longè se fassa minorem est,
Submisitque ratem Regi. non illa Pelasgis
Arma fuere meis, dixit. non barbara tellus,
Æatesque senex tanto conamine victus
Phryxæam concessit ovem. castella minantur
Sideribus vicina suis. se lignea vertunt
Pondera, tardigradisque incedunt motibus aulæ,
Et pandi repunt ventres. funesta supellex,
Tela, globi, tormenta latent, & fulminis atram
Materiem sulphurque truces vexêre cavernæ.
Hic Astur, potorque Ananis stipendia parvo
Ære meret, veterisque cupit pugnare Pyrenes
Accola. districtos acuit fera Bilbilis enses,
Quosque domo Carete, & quos Minionis in arvis
Nutriit ac rigidis fovit Gallæcia rupis.
Cantaber hic, vitæ impatiens sine Marte, comesque
Celtiber, inque foris Balearicus ambulat altis.
Spes magnas sibi quisque facit, Regisque tuetur
Virtutem splendore suam. sibi quilibet ostri
Majestate placet, milesque in imagine falsa est.
Dividimur, spoliisque tuis, Hispane, patemus,
At nondum capti Phryges. omnis præda Philippo
Battavia est. cedunt dominis ingentibus undæ,
Et famulæ gentes sumus, & sine Rege rebelles.
Sed video tot transtra rapi, Morinosque coactos
Dedecori trepidare fugâ: captiva teneri
Carbasa & in Tamesis Batin pallescere ripa,
Ac medias inter bellum crudescere arenas.
Æquora laxantur pugnæ, Tethysque recludit
Angustas irata fores. furialia Mavors

Sidera

Sidera & infestas acies impellit Orion
Ensifer, atque aliam credit Salamina reposci.
Quamque ratem velit ille sequi, quam mergere ponto,
Cui flammis instare, aut qua statione morari,
Imperat Oceani rector. sua Mulciber arma,
Ignitasque trabes, propriisque ardentia flammis
Tela parat, Siculisque incudibus æra laborat,
Fulmineisque pilis crudeles asperat ausus,
Brontesque Steropesque. illæsa casside munis
Trompiada, Vulcane, caput. qui pectore forti,
Dum fera pugnaces accendunt classica partes,
Talibus alloquitur socios, stimulosque furori
Subdit & ultrices monitis exuscitat iras,
Nec segnes pugnare jubet: Generosa juventus,
Rector ait, mecum gelidas traducere noctes
Sueta mari, Caurosque inter Boreamque Notumque
Excubiis optare diem; nunc illa refulsit
Lux votis sperata meis, qua sentiet hostis,
Quid valeat modico virtus, fatique necisque
Contemptor præsens animus. stant littore puppes,
Atque ignara suæ sortis validissima rident
Corpora, securoque jacent abdomina fastu.
Spernimur exiles. sed enim, quid parvula possit
Sæpe manus, pressique ingens fiducia Belgæ,
Exemplo monstrate viri. dispendia moles
Ipsa dabit, poteritque suis imbellis haberi
Viribus. it certo comes hæc structura periclo,
Et damnum sibi forma feret. sint abiete crasso
Intexta grandes costæ. penetrabimus illas
Ignibus, & discent silvæ flagrare minaces,
Quasque globi nequeunt, mergent incendia puppes.
Telum flamma dabit, liquefactaque sulphura ventus
Differet, & vivens absumet transtra bitumen.
Instabit ratis una rati, facibusque perire
Eliget, ut damnis pereat majoribus hostis,
Et lucro sit noxa minor. succensa favillis

Ipsa

Ipsa suis trux in tumidas grassabitur alnos,
Belgarumque ferox cineres confundet Iberis.
Ite Duces, properate rates, distendite vela
Ocyus. hic sedes belli est. hac Tethyos aula
Arctior, hac nostros statio diffundet honores.
Hic locus aequoreae spectet miracula pugnae.
Ductor ero milesque idem. sociusque laborum,
Non solum Dux esse volo. discrimine ferrum
Vobiscum distringo pari. stant littore cives,
Per terras carpenta volant, in montibus altis
Albion adspectat, quid dextera possit & audax
Vis animi, pronisque juvant nova praelia votis.
Victorem sperate Deum. sine Numine vinci
Hesperium diadema nequit. feliciter audet,
Qui Superûm sibi spondet opem. clementia coeli
Invictas dabit esse manus. bellacibus esse
Expedit, ignavis pudor est. Nos respicit orbis,
Regum cura sumus. magnis successibus aquus
Annuit, hinc rector Tamesis, dominusque Garumnae,
Et quid Belga meus tanta dabit indole dignum
Expectat Gothus & septem regina Trionum.
In nos missa venit certo servanda triumpho
Classis, & his ipsis stat formidabilis undis,
Arctoi formido maris. transacta potestas,
Majorumque fides paribus vos excitet ausis.
Tot domitae subeant puppes, eversaque ponto
Carbasa, submersaque rates. sub Vespere vicit
Heynius. Herculeas Heemskerki fama columnas
Personat. Aurorae thalamos Solisque cubile
Invasere patres nostri. regalis Eliza
Fluctibus his Siculi risit molimina sceptri.
Vincula Bossusi nostis. surreptaque Scaldi
Classica Mattiacasque rates. periere triremes
Ad Slusam, Frederice, tuae. si vincitur Astur
Exemplis, etiam nostro vincatur oportet.
Nolim degeneres animos audire nepotum,

Nec dignam proavis sobolem. cum sanguine virtus
Transeat. exæquet veteres victoria lauros,
Dum famæ pila, dum totius fabula mundi,
Dum patriæ tutela sumus. Sic ille locutus,
Expectasse putat longum, mediosque per hostes
Accensus propiore Deo, propriæque salutis
Immemor, & celsa metuendus puppe magister,
Hostica fulmineum direxit in agmina cursum.
Mane erat, & vixdum Titan patefecerat orbi
Illustrem fulgore diem, cum classica nostras
Excivere rates. pacato Duna profundo
Stabat, & Arctoi Tamesino è littore blandè
In mare spirabant Boreæ. tranquillior unda
Oportuna fuit pugnæ. & cessantibus Austris,
Vtraque spectanti patuit fortuna Britanno.
Anchora jacta subit puppes. dissecta rudentum
Fila gemunt, velisque tumens obnubitur æquor.
Hinc Batavûm classes, illinc venere Philippi,
Crebraque vicinas feriit ballista carinas.
Eminet hostiles inter Prætoria, claro
Missa Tago, centumque vomens incendia portis,
Sæva Mimalloniis tonuit per littora bombis.
Non tuba, non litui, non exaudita cadentum
Vox fuit. oppressit strepitus catapulta virorum,
Barbaricisque sonis tremefactus inhorruit æther.
Tum Ducis imperio rostris non obvia rostra,
Sed lateri latus acre fuit. displosaque longis
Machina ab ordinibus visa est damnosior esse.
Non tetigit puppis puppem, pluteisque cohæsit
Altera in alterius. nec jam bellantibus usu
Vncus erat. multo potior ne milite celsus
Cantaber attereret Belgam. sed vecta per orbem
Crebra fatigatum sensim diffregit Iberum
Navis. & accessu propior, rursumque recessu
Longior, immensas repetito verbere moles
Solvit, & in medio luctantes æquore mersit.

Sic ubi turba canum magno minor ire molosso
Obvia vult; cinctumque iteratis morsibus hostem
Lancinat, accurrensque nocet, laditque recursu
Sæpius: ille ferox quamvis majorque tumultu,
Multo dente perit, languetque & vincitur excors.
Nos habiles pugnare & circumflectere gyros,
Illi tarda trahunt infido corpora clavo,
Nec se mota movent. non junctis pugna lacertis
Crudescit. sed longinquo glans ferrea jactu
Perforat attonitum latus & sese horrida costis
Ingerit & fœdo nexus deturpat hiatu.
Tunc aliquis celsæ residens in vertice puppis,
Labitur exanimis, circum se fusa resorbens
Æquora. disrupta non unus parte carinæ
Læditur. audaci dum dextra aplustre revellit
Alter, subjecto debens sua pondera ponto,
Vulnerat Oceanum lapsu. torrentur ab igne
Pugnaces animæ, miserandaque funera fiunt
Busta sibi tristesque rogi. tabulasque forosque
Verberat antennasque cruor. vindicta natantes
Prosequitur, rabiéque ipsis accensa sub undis
Nondum parcere vult miseris. tunc sanguine littus
Irrubuit. tepidoque senex sub gurgite Nereus
Incaluit. sensitque focos flammasque parari
Insueto sibi. mille fluunt refluuntque procellis
Corpora, ludibrium pelagi, mergendaque jam mox
Expectant turpes generosa cadavera phocæ.
Dicite vos Nymphæ Tamesis vicinaque Canti
Numina, (nam vos hæc vidisse & scire putandum)
Quanta clade dolens exarserit Amphitrite,
Tunc cum summa Ducis pietas pro Rege, Teresa,
Pro se, non concussa, stetit; nobisque potenter
Restitit & claris famam Lopezius ausis
Extulit. ardentes illum cinxere carinæ,
Amplexaque ratem tabulis flagrantibus ignes
Ingessere suos, quos cæca industria ventre

Abdiderat, doctusque labor. nam pinguibus illæ
Affixa tedis, & diro sulphure mixta,
Tot flammis alimenta dabant. jamque altera navis
Mersa erat Oceano pars. altera fulminat audax
In Batavum, dumque igne perit, se ulciscitur igne.
Stabat signifera in puppi truncatus Achilles,
Et voluit pugnare lacer. manus altera rapta est,
Et non totus homo (virtutem agnoscimus hostis)
Totus miles erat. Superûm Rex Iupiter aulâ,
Et cælo donare Ducem decreverat omnis
Turba Deûm. sed grandem animam Neptunus aquarum
Cœtibus annumerat. quin magnum Protea juxta
Collocat, ut timido cladem exprobraret Oequendo,
Objiceretque moras. Hic dum lachrymosa suorum
Fata videt, fractasque trabes disruptaque classis
Membra, fugam molitur iners, sanctamque Teresam
Deserit, & Feyo sese subducit amicum.
Qui pugna satur & belli, dum robore in hostem
Se probat, Occasu Phœbeæ lampadis, eheu,
Occidit & nostro spolium se donat Atrida.
Arsit & Andrea Pratoria, nomine præstans
Et virtute virum. quam crebris ictibus Heros
Trompius & multa patefactam impleverat unda.
Cetera pars cæcis fugiens se illisit arenis,
Sed facibus prædæque patens. protruditur una
Littus in adversum & tanti sit nuncia casus
Regibus. excepit profugam miserata Britannis
Terra ratem. & sceptri se relligione tuentur,
Quas regale suis numen servaverat oris.
Iamque Deos, Sanctosq; omnes, venerandaq; Patrum
Nomina, Pellæosque duces disjecerat audax
Dux Batavûm, captamque trahens post terga Deorum
Progeniem, Macetamque &, magna vocabula, Reges,
Fortunas, Aquilasque & Iberûm sacra Iacobos,
Victor ovans rediit spoliis insignis opimis,
Nec jam terribiles defixit portubus arces.

Tum

Tum sacra Neptuno peragit, taurumque nitentem
Immolat. & Vestæ piceos, queis vicerat, ignes.
Mavorti sacrat tabulas. habet Æolus hircum,
Thura Iovis delubra, globos Fortuna rotasque.
Vndique concurrunt populi, civisque triumphat
Lætior & festis collucent ignibus urbes.
Victori se quisque probat. ruit actus in unum
Trompiadem plebejus amor. stant mœnibus altis
Et maris asserti partes sermone sequuntur
Hinc patres matresque pari: Victricia laudant
Tempora; tam parvis magnas cessisse carinas,
Ingeminant: ausumque Ducem, quod scire nepotes
Expediet; quod, sera licet, mirabitur ætas.
Affulsisse diem, patria quo reddita lux est,
Libertas pelago, faciles mercantibus undæ.
Quid mihi Peliacas puppes generosa vetustas
Objicis, & nantes Grajûm per cærula nautas?
Hic Grajos, celebremque suis Heroibus Argo
Cepimus. hic alio sub Iasone nostra triumphat
Græcia. pro victa Tagus est nunc Phaside. victus
Batis in Euxino est, hac Colchide rector Iberus.
Argolicos clara coiisse sub Aulide narrat
Fama Duces, ditesque mari pugnasse Mycenas,
Inque bonas ivisse feram Lacedæmona Athenas.
Hic maris alterius fauces, hic altera surgunt
Pergama, debellanda manu. sunt Pergama puppes
Æquoreis fabricata Diis, sunt Duna Mycenæ.
Vidit inexpertum Salamis succumbere Persam.
Vidit inexpertum pelagi succumbere regem
Albion & laceris conspergi littora transtris.
Tu quoque non parvum bellatrix Roma triumphum,
Flebile cum timida gereres Carthagine bellum,
Navalesque refers, Pœno indignante, coronas.
Te Catuli celebrisque vehunt memoranda Duilli
Prælia, & audaces, Scylla latrante, triremes.
Leuctra Neoptolemum, Lucullo principe, classe

Exuit, & Niciæ rapuit vexilla Gylippus.
Præstitimus majora duces, numeroque Philippum
Dispare concidit Batavi fortuna Duilli.
Quàm cœlo, Frederice, places, quam sidere lætò
Plurima Nassoviam circumdat laurea frontem.
Hanc Salii meruere tibi, devictaque Grollæ,
Oppida, & impleta numeroso remige Tholæ,
Captivaque rates. centum circumdata vallis
Sylva potens, totasque bibens invicta paludes,
Acclamat tibi, Celse pater. te mœnia forti
Capta dolo ruptisque patens Vesalia portis,
Victorem subvexit humo, atque abscondidit astris.
Quod florent Batavi, quod sint secura Sicambro
Otia, vicinum Frisius quod nesciat hostem,
Ipse quod imbellem VValachrus contemnat Iberum,
Et placido rursum se misceat Isala Rheno,
Cura summa tua est. dudum trans æquora longè
Attigit Eoos belli reverentia fines,
Perculit Occiduos. laudes novere Cherusci,
Teutonicæque domus, & quæ sub Principe pulsò
Clara Palatinis strepuerunt collibus arma.
O quoties longis mœrens Germania bellis,
Optavit te posse frui, te vindice vinci,
Sub signis pugnare tuis, quà belliger ivit
Mœnus & exuviis crudelibus horruit Albis,
Totaque pacatum straverunt castra Visurgim.
Nunc alius, Dux magne, labor te trudit in æquor,
Et consummatas recitant tibi classica laudes.
Quale in Alexandro decus est. te præside rerum
Captus Alexander nostrum singultit ad Yam.
Quantus in adversas acies fortissimus ivit
Hozius, infelix sacra tutela Teresæ.
Victus & hic. strepuit diris clangoribus Orpheus.
Orphea tu dira domitum testudine mergis
Oceano. pugnaci Aquilæ Tu rostra refringis,
Infamemque fugas Famam. tu signa Iacobo

Præsti-

Præstitibusque Diis rapis, & demittere vela
Cogis adoratos venerando nomina Petros.
Vive meis, Princeps, studiis. præconia si quid
Nostra valent, tu Miltiades dicêre Cimonque,
Tu Lysander eris. mecum suffragia confert
Mundus. in extremam vadunt tua nomina Thulen,
Adria subscribit titulis. non dissidet Arctos,
Non Sueonum favor, & Sueoni pacatus Iapyx.
Applaudis, Lodovice, Duci. quin nostra decoris
Fulcis regna patrociniis, & sceptra verendis
Indulges facilis Patribus; nec lilia Belgis
Avertis speciosa tuis. te vindice totam
Imus in Hesperiam, geminique avertimus orbis
Terribilem terris dominum. dum jungimus arma,
Nostra timet, qui nulla timet. dum Sequana Rheno
Annuit, & Vahalim Rhodanus, Mosamque Garumna,
In partes bellumque rapit; perterrita Calpe
Palluit & pavidis Tartessus inhorruit undis.
Quis pueri latus Auraici fulgente metallo
Induit? & tenero patriæ virtutis Iülo
Spem facit, & capulis donat radiantibus ensem,
Crescentemque Ducum studiis accendit ephebum?
Hoc munus, Rex magne, tuum est. En, Martia proles
Ambulat, & pulchri miratur pondera ferri,
Et circumfuso ludens accenditur auro,
Atque animos à Rege capit. sub imagine belli
Imberbes armat generosa puertia turmas.
Et pater intrepidæ miratus signa juventæ,
Laurigeros inter præformat castra triumphos.
Magne Heros, effusa aulis Te personat Echo,
Excelsum silvæ, celsum delubra loquuntur,
Prosperaque Aoniæ recitant præsagia rupes.
Quas laudes à vate capis, tua maxima virtus
Dissimulat, quantumque aliis sublimior audis,
Demissa te mente domas. paterisque modestus
Augustas in te sceptrorum surgere voces.

Nec solum te bella juvant, vel tela, vel enses,
Aut crudo misti commendant sanguine manes,
Sed tranquilla magis. regnent sine lege potentes,
Et sceleri dent jura mali. Tu Principis illa
Prima putas, dare jussa sibi, lentamque furori
Indixisse moram. mites tibi Gratia vultus
Componit, gaudesque tuis Dux talis haberi,
Qualem tu privatus ames. morosa timeri
Sceptra volunt, tua blanda coli. dum diligis omnes,
Diligeris cunctis pariter. Tu voce cohortes
Mansueta trabeasque regis. nec jura tueris,
Qua non ipse probas. scribis dictamina recti
Et populo dominoque tibi. sic Principis omnes
Vivimus exemplo cives. sub milite tanto
Vincimus, & toto belli documenta profundo
Magna damus. nescit claudi liberrima Nerei
Regia, Neptunique lares. Tu vincla recludis
Æquora & Hispanis metuendum classibus hostem
Objicis, & nobis etiam vis ista patere.
Cunctorum dos una mare est. qua fluctuat, illac
Navis eat. nulla est tanti custodia census.
Et dominum si littus habet, negat æquor & unda.
Hac populum Frederice doces. hac asseris armis,
His causis bellator ovas. dum Duna Britanno
Portus erit, Gallumque freto sejunget alumnus
Saxonis, & Canti se promontoria pandent:
Dum Sandvvicha tui Doverumque æterna laboris
Testis erit, cladisque sua vicina videbit
Dedecores Duynkerka sinus: dum miles Iberus
Relliquias cernet Batavûm atque immitis Achillei,
Dum sua Cantabricæ flectent hac vela carinæ,
Sera triumphato plaudet tibi Fama Philippo.

IN NVPTIAS

Illustrissimi Principis, ENNONIS LODOVICI, Chaucorum, sive Frisiæ Orientalis Comitis, &c. Cum Celsissima Principe HENRIETTA CATHARINA, Celsissimi Auransionensium Principis Filia.

MIscuerat nuper thalamos & fœdera regnans
Albion, & Regum purpura nupta Duci est.
Fixerat in tenera Auriacus tunc basia Nym-
Basia, sed vires mox habitura suas. (phā.
Cùm vero puer Idalius prælusit amori,
Et Venus Ascanium noluit esse virum.
Vidimus augusti solum simulachra furoris.
Totaque amatorum ludicra scena fuit.
Audiit hoc Chauci illustris regnator Iülus,
Et simili voluit condicione dari.
Traditur Auriacæ. nec se quoque sentit amari.
Et Sponsi titulo parvulus Hector ovat.
Igne carent tedæ. vacuus sine compare lectus
Sternitur. ignaræ vix rubuere genæ.
Stat Perseus, nondum pharetra metuendus & arcu.
Stat Telamon, sed cui Mars suus arma negat.
Pan gregis est, pactaque nequit gaudere capella.
Tiphys, at in nullis carbasa figit aquis.
Iupiter est populique pater, sed fulminis expers.
Cynthius, innocuo quem videt ore Soror.
Stat Castor, nondum fodiens calcaribus armos.
Stat Pollux, lucta nescius ipse sua.
Contiguas habitant terras, hîc Belgica Thisbe,
Pyramus hîc, Amasis qui dominatur agris.
Longe sed annorum paries quid amantibus obstas?
Et nimium Sponsis gaudia sera facis?
Inversa est fortuna thori. junguntur amantes.
Nec tamen hos ætas jungit iniqua duos.

Plus sociant se regna, Ducum quàm corpora. robur
Belga capit, nullum languida Cypris habet.
Ludimus in magnis. At fabula seria rerum est.
Cur? Paphias urget publica causa faces.
Si minor est Citheraa, vigil Prudentia regnis
Prospicit, & Dominos educat Aula sibi.
Quanta Patres Batavi vobis munimina surgunt.
Quanta parat Patriæ fulcra benigna Paphus.
Sponsas Hesperiis nunc objicit hostibus. undis
Edita, vult pelagi demeruisse Deos.
Elocat Auriacus sobolem & dum stemma genusque
Explicat, invictos Vos Populumque facit.
Quem generum vocat, Imperii Dux assecla vestri est.
Filia communis Sponsa salutis erit.
Non nubit sibi, sed sociis hac vincula terris
Consecrat. has uno claudit amatque thoro.
Haga diem signa, quo nos defendis amando.
Seu Tamesi, Iada seu speciosa proco.
Tuque pater Frederice, tuis annecte triumphis
Regna, Cupidineæ quæ peperere manus.
Quos hostes virtute domas, connubia terrent.
In sobole partes nos adamantis obis.
Castra tuus format miles. quæ nubere possunt
Filjolæ, nobis altera castra locant.
Quæque Duces, cingent Batavos amplexibus ulnæ.
Tutaque basiolis septa Leonis erunt.
Iam gaude secura Patrum Respublica, pro qua
Militat Auriacus, sæpè procatur Amor.

GRA-

GRATVLATIO,

Ad Celſiſſimum Principem, GVILIELMVM, Arauſionenſ. Principis Filium, &c. Cum cæſis aliquot captiſque Hiſpanorum, CANTELMO DVCE, copiis equeſtribus pedeſtribuſque, victor ad ſuos rediret.

PVgnaſti Pellæ puer. nunc noſter Achilles
Pugnat & adverſos acer bellator in hoſtes
Irruit & teneram crudo Mavorte juventam
Aſperat, Advaticoſque adſpergit ſanguine campos.
Summa loquar Batavi. Dux nondum egreſſus ephebis
Se ſtricto gerit enſe virum, totaſque cohortes
Pone premit, timidaſque fugat prætexta phalanges,
Et Tarteſsiacas animoſa puertia barbas
Terret & attonito galeas convellit Ibero.
Grande rudimentum laudati militis ætas
Prima dedit. fruſtrà jam bellatoris adulta
Pingitur effigies. nobis naſcentis Iüli
Sufficit ad bellum facies. per tela, per enſes
It gener ingentis Caroli, & regalibus orbi
Illuſtris thalamis, jam bellatricibus armis
Surgit & auguſta donat Mavortia nuptæ
Præmia, captivoſque Duces & ſigna triumphans
Oſtentat Princeps Mariæ. Citherea cubili
Hactenus, optatiſque Ducem complexibus iſtum
Arcuit & ſocii ſuſpendit gaudia lecti:
Sed partes Bellona ſuas prævertit & hoſti
Objicit intrepidum. felicis gloria pugnæ
Conjugis officium antevenit, Patriæque colendus
Miles abit, nondum uxori compertus amator.
Navita, cum tumidi ſulcat ſpatia horrida ponti,
Et tempeſtates ſapiens moderatur & undas,
Naſcentem ſecum ſobolem ſurgentibus infert
Fluctibus & pelagi motus & Tethyos iras

Ferre docet : nunc Parrhasiæ nocturna tueri
Signa plagæ, nunc vela vagis obvertere ventis,
Nunc decimæ vitare minas roburque procellæ.
Haud aliter pater Auriacus, cum finibus hostem
Arcet & Austriacæ fastigia concutit aulæ,
Et Morinûm pavidis ponit tentoria terris,
Consortem tantorum operum bellique laborum
Ascanium vult esse suum. ceu parvulus olim
Ivit Honoriades, Hebrum victurus & Istrum,
Cum genitore comes. juvenisque horrentibus Afris
Concussit Libyam Stilico, Geticisque triumphis
Claruit & rigidi turbavit castra Geloni.
Non ultrà metuendus Iber, dum junior Hector
Arma capit. tandem Batavûm cunabula Scaldi
Objicienda reor. veteresque exsurget in iras
Alcides puer & jugulos constringet iniqui
Vesperis & poterit Iuno Castella dolere.
Opprobrium, Cantelme, tuis & damna Philippo
Improvisa paras. nuper per rura, per agros
Ad Vahalin ripasque Mosæ cataphracta trahebas
Agmina & erecti terrebas regna Sicambri.
Taxandris novus horror eras. timuere Salinæ,
Martiaque attonitos excibat fama colonos:
Nunc reduci Fortuna gravis secura malorum
Castra premit, magnaque equitem sub mœnibus urbis
Occupat & prima victorem luce salutat
Nassovium; trepidisque infert discrimina castris.
Nec tua degeneres minuunt præconia dextræ.
Dum cadis, Auriaci dextra cadis. ille paternis
Et proavûm claris crescens virtutibus ultor
Pressæ libertatis adest; totque immolat hostes
Inferias Gradive tibi. qua cassıde vultum
Induit imberbem, Hispani delicta furoris
Castigat, cædemque nepos solatur avitam.
Hac Brugas nescire tuas, nescire remotam
Parthenopem expediet, cujus de gente verendum

Stemma trahis dignisque satus natalibus exis.
Hæc audi, Francisce Melos, Superosque sinistras
Continuare vices, debellataque Theone,
Post Gallos lætis Batavos successibus omen
Accipere, & sibi jam Patriæ pugnare parentes,
Nassoviumque Patrem. Te, ductor Borgia, credas
Posse capi, Batavûmque ducem non triste parare
Servitium, sed dona tibi. non traderis hosti,
Sed veluti comi captus donaris amico.
Vinceris officiis pariter belloque. nec armis
Auriaco superasse satis. laus summa triumphi est,
Cum quis confessos animo sibi subjugat hostes.
Ipse pater Scaldis tantæ dum nuncia cladis
Audiit infamemque fugam, gemitusque metusque
Andoverpa tuos, visasque è turribus altis
Commissas pugnantum acies, ausuque tenelli
Principis & cautæ illecebras fraudesque juventæ,
Creditur hac vatum præsaga voce locutus:
Parte mei languens doleo, pars altera gaudet.
Quaque per Advaticas labor mœstissimus urbes,
Fata queror. quà Mattiacis permisceor undis,
Difficiles absolvo Deos. Brabantia quanti
Nunc splendoris eges, postquam se Spinola curis
Exolvit, pro Rege, tuis. hinc omnia retrò
In pejus ruere & patriæ sublapsa referri
Visa salus, erepta truci bellacia Tungro
Oppida, & infessi nocituris gentibus amnes,
Expulsique patres odiis, contemta tuorum
Nobilitas, procerumque fides, subducta Philippo
Atrebatum, cæsa Gallo victore cohortes.
Et nunc castra Neoptolemus, peditumque equitumque
Signa fugat, densisque meos circumvenit alis
Belliger, & summis audax lanugo pudorem
Incutit heroum titulis, pacemque cruentus
Imperat, & grandes molitur tyro tumultus.
At qua Mattiacus concordibus abdor in undis,

Et me pacato Zirizæa adſpectat ocello,
Incœptis, Guilielme, tuis, pulchriſque benignus
Erigor auſpiciis. fortunatiſſime Princeps,
Digne Britannorum thalamis Regumque cubili,
Adſpice lætantes populos. ſpes quilibet audet
Vlterius proferre ſuas. ut prima fuere,
Exoptant ventura tibi. Victoria præcox
Pompejos, Dux celſe, refert. his vicit in annis,
Et formidatis felix Octavius armis
Ivit in imperium magnum. Quàm tolleris altè
Exemplis, quoties ſubeunt laudata Renati
Nomina & Otthonum generoſa vocabula ſubdunt
Virtutum ſtimulos, quique Engelbertus in hoſtem
Acer iit; Flandroque gravis Galloque potenti,
Cæſare ſub magno, incubuit. ſi ſera revolvas,
Inter avos patruoſque, & Martis fulmina, centum
Naſſovios miles graderis. ne cede priorum
Laudibus, & te animo repetentem geſta tuorum,
Excitet æternis Genitor, Guilielme, trophæis.
Illa ſenex cecinit Scaldis, merſuſque ſub alveo
Najadas auguſtis hæc ipſa intexere ſtratis
Iuſſit & Auriacæ formam depingere pugnæ.
Vidimus admiſſi vates & fecimus ipſi.
Cernere erat roſeis Auroram ſurgere bigis,
Et celerem tardare diem. perfuſa tenebris
Lux exilis erat; cæcique per avia greſſus
Captabant fraudi latebras. fugientia cernas
Agmina capripedis Fauni, pavidaſque timori
Quærere ſeceſſum Dryades. hic collibus altis
Spectat eques verſatque ſui diſcrimina cœpti.
Hic abdunt ſilvæ peditem. ſua lumina Phœbe
Frangit & armatas abſcondit conſcia turmas.
Parte alia adverſis crudeſcunt prælia ſignis,
Et pugnant glomeratæ acies. huic dextera telum
Ingerit in nexum galeæ. hic thorace ſub imo
Molle latus ratione ferit. ruit alter & ictus

Mordet humum. pingi videas, ubi tela caballos
Sessoresque suos sternunt; ubi pondere lapsi
Corporis arma labant, confractique ensibus enses,
Et galeis dejectus apex. ubi missus opacis
Saltibus incautos pedes occupet. hic sua ductor
Hispanus vexilla levat, gentemque minacem
Objicit Auriaco. qui denso milite cinctus
It ducibus Dux ipse comes. de casside crista
Luxurians tricolor nostri prosperrima fati
Signa quatit. veteres, Mavortia carmina, cantus
Elingues recitant litui. pars sanguine fuso
Tingitur & post fata rubet. pars pallet & excors
Semianimis cadit. illa fugam meditatur, & horrens
Exemplo tot signa trahit. circumvenit illos
Pars melior nostri, damnataque corpora ferro,
Aut captiva luunt. alibi, cessantibus armis,
Lætior Auriacus spoliis insignis opimis,
Ad sua castra redit victor, Patrique suisque
Ostendit captas duro Mavorte cohortes,
Hesperiosque duces. non longè Antvverpia stabat,
Nutantesque metu tollebat in aëra turres.
Hoc metuens, ne quas Gallorum corpora portas,
Civis fusa manu, quondam clausere, suorum
Exuviis propriaque infames strage paterent.
Hoc donum, Guilielme, tibi tot numina Scaldis
Vnanimesque ferunt Divæ. per singula Princeps
Duc oculos. Vatisque tui si carmina seri
Absument rodentque dies, monumenta Deorum
Non peritura cape. & quam non abolere vetustas,
Non poterit fati rabies, non livor & ira,
Adspice prælustrem, Cantelmo judice, pugnam.

LAV-

LAVRVS FLANDRICA.

Sive in expugnationem validissimi Flandriæ Propugnaculi, quod Cataractam (vulgò SASSAM) Gandavensem vocant, auspiciis Potentissimorum Federati Belgii Ordd. ductu armisque Celsissimi Principis FREDERICI HENRICI, Arausionensium Principis, Comitis Nassaviæ, &c.

POEMATION.

FRederice, cunctis seculis celebrandum
Terrisque nomen, sospitator afflicti
Cum Patre Belgi, Fratris adstes invicti,
Inter sarissas nate & arma, crebrasque
Cædes tuorum; quem Batava Libertas
Tot præliantem laureis coronavit,
Toties quadrigis vexit & triumphantem
Vox una mille civium salutavit:
Me teste, Salius conscius tuæ famæ est.
Me teste, Sylvam subruis per accessus
Homini negatos & ligonibus subdis
Castella fossor. militant tibi noctes,
Vesaliamque bellicosque Trajectus
Mosa, labori subjicis Camœnarum.
Me teste, Breda, dos avita majorum,
Non fraudulenta puppe, non fame dura,
Sed Marte aperto victa cessit audaci.
Te per profundos cœruli maris fluctus
Fui secutus, classibusque permixtus
Submersi Iberas victor. adstiti vates,
Cum per Matanca littus auream Cuba
Vomeret saburram, & creditum fuit terris,
In Occidente posse Colchidem vinci.
Sic parte mundi qualibet trophæorum

Monu-

Monumenta Famæ gloriæque suspendi,
Hastasque & enses cassidesque victrices,
Classes ratesque nuncupavimus Phœbo.
Iam, Flandre, restas, tuque terra florentis
Ocelle Belgî, quam suis secat Scaldis
Bellator undis, Ganda grandis illustrat,
Quondam tuorum Ganda Principum sedes,
Brugæ celebrem reddidere mercantes,
Formidolosus Principis sui carcer.
Antiqua Morinûm regna, stamus in vestra
Tellure Batavi, stamus ensibus strictis,
Stamus cruenti, quamque non queunt vota
Placare nobis & sororians nomen,
Et illa quondam in Cantabros fides concors,
Vi Federati Martis imus invasum.
Trophæa Regis purpuræque Francorum
Cient volentes, Liliisque succedit
Furor Leonum sanguinisque Iberorum
Potator avidus Belga. Scilicet famâ
Audivit arma Gastonis, tot Heroum,
Quos bellicosi Martis ardor excivit,
Tumultuantis grande fulmen Europæ,
Et militantis clara nomina orchestræ.
Patuere nuper Brisacensium portæ,
Rhenique fractum robur. Atrebas supplex,
Rupesque frustra se tuentis Hesdini,
Et illa, Famæ cymbalum, alta Perpenna,
Cessere Gallo. Tuque victa postremum
Grevelinga, dextrum Flandriæ latus nudas,
Novæque sceptris pandis aream laudis.
Lodovice sequimur, & velut lacessiti
Armis tuorum, tollimus facem belli,
Latusque fortes incubamus in lævum;
Morinumque castris mutuis fatigamus.
Iacet in recessu flexibusque terrarum
Cataracta Gandæ, Civitatis assertrix

Tutela

Tutela gentis VVasiaque telluris,
Furentis in nos limen acre Bellonæ.
Hinc fluctus illam Nereusque præcingit.
Hinc Vesta fossis arcibusque præmunit.
Invicta vallis, mœnibus minax celsis,
Pulchrum recentis Principis rudimentum,
Patriæque ludus Martius senectutis.
Hæc fracta nostro paret Imperatori,
Docuitque vinci posse, quicquid invictum est.
Opposta dextra dextra, militi miles,
Et aggeri agger, cornibus suum cornu,
Latebræ latebris, horrido tribunali
Aliud tribunal, flebilique balista
Balista, crebro fulmini obvium fulmen,
Glandesque diræ glandibus, duci ductor.
Hic dimicatum est, Phœbe, lucibus totis.
Hic dimicatum est noctibus tuis, Phœbe.
Arena arenis, gleba restitit glebis.
Ligo ligones, hasta trusit hastatos,
Vltorque in enses ensis ivit adversos.
Non hic pepercit fabricator armorum
Vulcanus igni, non tonitruis Brontes.
Vomuit Pyracmon nitra, sulphur & flammas,
Fumusque fumum involvit & jubar Solis
Furatus orbi est. adstitit ferox Clotho
Fossis in ipsis, syllabosque conscripsit
Tot sævienti ab hoste vulneratorum,
Tot gloriosa morte funeratorum.
Pluto penates subrui tenebrarum
Vt sensit, ipsis Inferis novum terras
Parare bellum credidit. flagellorum
Intendit ictus trux Megæra fossori.
Acresque morsus Cerberus minabatur,
Latratibusque cœca regna concivit.
Mirata Tethys hic suas aquas sisti,
Illic refundi, ludus, inquit, humanæ

Licentiæ

Licentiæ sum facta, nec mei compos.
Qui subdit urbes Dux, coërcet invitam,
Et subdit æquor, arbiter mei regni,
Partesque nostri Belga juris usurpat.
Quid attinet, tot dividi Deos inter
Imperia mundi? miles ista confundit
Fredericus, & jam sævit in domos Vestæ,
Nunc fluctibus dat jura & imperat nobis.
Tonantis aula, quæ per ætheris tractus
Tonat, vagisque nubibus faces torquet,
Clamavit, hæc miracla posse mortales,
Aliosque rursus se videre Typhonas.
Tityos renasci Cæsaresque Tarpeios,
Salmoneosque fulminare sub cœlis.
Vis juvit artem, industriamque spes laudum,
Et fata pedibus pressit ambitus lucri.
Hic in paludes, in profunda terrarum,
In regna Ditis, inter imbrium lapsus,
Inter cadentum corpora & neces mille,
Traxit salutis prodigam suæ turbam.
Paciscitur mors ipsa cum laborante,
Et ære redimit corpus & manus parvo.
Commune pactum est, pluriumque mercedes
Aufert superstes, & quibus furor belli
Pepercit & sors ipsa, duplicant sortem.
Ibant cohortes rarius reversuræ.
Quos vidit Eos, abstulit ruens Vesper.
Quos Vesper, Eos prima vidit extinctos.
Iam bajulans cadaver, ipsus effertur.
Feriens feritur, ictibusque concurrunt
Ictus utrinque. quisque labitur cæco
Autore facti. magna pars cadit gratis,
Abitque inulta. præliatur Euclides,
Et arte pugnat, angulisque vallorum
Infert labores, & latus cavet pandum,
Ne machinis fatalibus suos mactet.

Ad lineas pugnatur, inque transversas
Turni feruntur. hic Phrygem necat Grajus,
Iber Sicambrum, nunc Sicamber Hispanum,
Flandrum cruentus Celta, Nervium Celta.
Quos Principum non una causa distinguit,
Confundit unâ mors ferociens glebâ.
Metimur arctis passibus vias lethi,
Et queis honori, adrepimus simul morti.
Libitina nomen sæpe mutat hæredum,
Ducumque titulos, postulata vivorum.
Iam factus hæres, ilicet fit exhæres.
Iam Dux creatus signiferque, non est Dux,
Aquilasque eadem qua manu capit, ponit.
Semiruta vidit hospes arcium tecta,
Minasque grandes, fabricasque pendentes
Fastigiorum, machinisque subversa
Tot cœpta rerum, vineasque pontesque
Arundinesque, fulcra molis humanæ.
Talis ruentis Ilii fuit vultus,
Et Pergamorum, turribus fatigatis.
Tales Plataæ, porticusque Didonis,
Arces Corinthi, verticesque Pyræi,
Numantiæque scena jam fatiscentis.
Quò vis furorque gloriæ Duces raptas!
Et sueta nil timere pectora Heroum!
Se quisque primum devovere vult fatis,
Aliisque crudæ præripit vicem pugnæ.
Hæc imperantis gratia est, in adversos
Tumulos & hostes & pericla præmitti.
Pugnasse vile est; majus, immori ferro.
Nec mors honori est, sola perplacet præceps,
Horisque prævenisse fata, quantivis.
Tanti est, loquentis ore posse laudari,
Et otium superstitum fefellisse
Sermone nostri, laudibusque, quas nescis.
Nec castra solum trivit hosticus miles,

Pugna-

Pugnatum Olympo est, Æolisque nimbisque.
Nocuere menses. ipsa Aquario Libra
Surripuit Vrnam, & imbribus procellisque
Castella, fossas, militemque inundavit.
Calcata pedibus unda, & in viis turmæ
Vigiles natarunt, ordinesque bellantes
Se semimersos obtulere Mavorti.
Maduere fessa corpora, & suos usus
Sclopeta nesciere, & ignium fraudes,
Lapsaque ab alto lachrymabiles moles,
Multaque grassans clade barbarum pondus.
Spectabat excors Dux Iberus obsessos,
Fluviique custos pravus & suæ gentis,
Insitatos stupuit impetus Belgæ,
Morasque nullas improbosque conatus.
Et consili expers, quos severus obsessor
Et fata damnant, liberare desperat.
Sic victa nondum, exuta mœnibus nondum,
Custode querulo Sassa dedita est nobis,
Decusque raptum Flandria gemiscenti.
Quæ fœda vultu, totque cladibus mœrens,
Et Sequanæ victoris ægra fulgore,
Iam fata Regis undequaque concussi :
Nunc invidorum studia scæva rectorum :
Opesque fractas ; jam reciprocam sceptris
Sortem vicesque ; jam petenda longinquis
Consilia terris, impotenter incusat,
Damnique causas vellet esse solamen.
At læta lauros Federata Majestas,
Implicuit altis frontibus triumphantum,
Patrisque Filiique. Principum currus
Traxere ovantes, vindicata Libertas,
Constantiæque robur & vigil Cura,
Fidesque tot sororibus sacrosancta.
Sic Scipionum, Patris & simul Filii,
Patuere turba tot Quiritium, vultus.

Cum

Cum Filii pro patre dextra pugnaret.
Pro Filio se sisteret pater miles.
Qui mersus undis belliger Leo surgit,
Gavisus undis altius jubas tollit.
Et ungue eodem, quo tenet Philippinas,
Slusamque & agris imminens Isendicum,
Has prendit Arces. Nereï domus prisca,
Mattiaca tellus, vota nuncupat Divæ
Securitati. Fama distulit veri
Portenta latè, & omne littus implevit,
Quo Celta, quo Britannus, & querens Cimber,
Et Suecus acer Cantaberque depugnant.
Sed VVasiorum rura fertiles glebas,
Messesque opimas, & tributa victori
Duci obtulere. maximus Gigantææm
Invasit urbem terror, & mea dulces
Patriæ recessus. Ganda, qui tuus civis,
Iamnunc procaces pavidus exuit linguas.
Si nos fefellit sæpius labor tantus,
Peracta res est. Ecce, transiit vestri
Rubiconis amnem Dux Batavus & lætum
Portendit omen. Tu celebrior gaude hoc
Tutore Flander, fratribusque mansuete
Adsuesce nobis, Cantabrisque desuesce.
Agnosce socios. sat litavimus duri
Regis furori, victimisque nostrorum
Domini ferocis expiata vindicta est.
Veni vocate, nec meis refragare
Dilecte votis. prima gloria est victi,
Se nosse victum. consulunt sibi cautè,
Armis minores ; nec suprema conari,
Fas est timentem. lege transigi tutum,
Crudele ferro. multa victor indulget
Nondum subactis. Pacis offero dextram,
Bellumve. quod vis, elige. hoc caput rerum est.

MAVRITIVS REDVX.

Sive Gratulatio ad Excellentissimum & Illustrissimum Comitem, I. MAVRITIVM, Comitem Nassaviæ, Cattimeliboci ac Dietziæ, Bilsteinii Dominum, Brasiliæ Terra Marique Præfectum, &c. Cum ex Orbe Americano in Europæum sospes appulisset.

Nassovius trans æquor adest, reducemque salutat
Belga Ducem. nondum Phœbo fervente perustus
Se prisco candore probat, patriique coloris
Et juxta veteris servat vestigia recti.
Iverat Occiduum missus bellator in Orbem,
Et terras, Sol fesse, tuas. non visa ruenti
In laudes Europa satis, famâque suorum
Pars mundi concussa prior. quærendus in orbe
Barbarico fuit hostis Iber, vincique sub ipso
Vespere regnatorem Asiæ dominosque Philippos,
Dis visum Superis. hic opportuna trophæis
Ingens se tellus aperit, diffusaque vastis
Regna plagis nudisque truces cultoribus agri.
Hic alios hominum mores miramur & urbes,
Corporaque humanis fœde distenta medullis,
Infamesque dapes & qualia fercula fratri
Coxit & immanes Atreus detrusit in artus.
Hæc belli laus summa viris, in viscera victos
Condere & invisos discerpere dentibus hostes,
Ne toti noceant, vel ab ipsa morte resurgant.
Hic alium Castella olim conspexit Olympum,
Dissimilesque faces. oculis disparuit Arctos,
Et ferus Alcides. nusquam sua signa Bootes
Sustulit aut strictum Perseus se torsit in ensem.
Phillyriden stupuit, quique altius exit in Austrum
Indus & ara Deûm. geminis solamen ab umbris
Terra capit, quas nunc dextras, nunc ire sinistras

Adspicit. hybernis quoties nos noctibus acre
Calcamus sine Sole gelu, Titania lampas
Æstuat & fuscas exurit fervida frontes.
Non illic ripa Vahalis Rhenique bicornis
Ambulat, aut Ligerim Scythicumque adspectat Araxem
Incola. Amazoniæ generosa vocabula gentis
Indunt nomen aquis, & qui per rura Maragnon
Longa ruit nitidasque argenteus evomit undas
Plata patens. vix obliquis se sidera condunt
Flexibus & parvo distant discrimine luces.
Non his, vasta licet, Romana potentia terris
Intulit audaces aquilas. non cepit Olindam
Græcia. non illis allatus psittacus oris
Reddidit aut Spartam aut Cadmi fundamina Thebas,
Aut te Miltiade, aut tua victor nomina, Theseu.
Hesperiæ sors ista fuit, servataque Bæti
Gloria rectorique Tagi. se barbarus illi
Tradidit & serò dominis adsuevit Iberis.
Nos etiam, quorum virtus Mavortia nescit
Stare loco, Plusque, exemplis regalibus, Ultra
Vadit & ingentem grandis fiducia Tethyn
Trajicit, infernas mox perruptura paludes,
Ivimus, & lauros illis suspendimus oris.
Sic fruimur rapto, & quæ quondam regna fuere
Capta Tago, nostris spolium cessere Batavis.
Mansuetas hic Belga domos & mitia tecta
Possidet. Auriacis titulis expungimus Indos,
Hispanosque duces. longe migramus & ipsi
Oceano inducit peregrinos Belgica cives,
Ædificatque foris. mutat cum gente colonus
Sidera, in auriferas diffundit nuntia valles,
Ipsaque pallentis penetralia concutit auri,
Et terret secreta Erebi. sua sacchara nostras
Lætatur tractare manus dulcissima tellus;
Mattiacosque illic & respirare Sicambros;
Sævus ubi crudis habitator vixit ab extis,

Horrendaque artus hominum secuere secures.
Maxime Dux, hac terra tuis servata triumphis,
Imperiisque fuit. dudum sub Principe Celso
Miles eras, nostrique adspersus pulvere belli,
Publica magnanimis juvisti commoda cœptis,
Cum validam Tartessiacis è faucibus Arcem
Eriperes, Rhenique domos & claustra Batavis
Assereres, vestra facinus memorabile dextra.
Tunc latus immensum mundi, quod nesciit avum
Omne, tibi in meriti precium spatiumque futuri
Cessit, & intrepidi successor magne Columbi,
Vespucii sectatus iter, cum Sole stetisti.
Hic sibi Natura longissima linea metam
Fixit. anhelantes isto sub cardine Phœbi
Adspectamus equos. nec latius exit honorum
Regnorumque fames & vis peregrina sciendi.
Constitit extremis in Gadibus illa potentis
Alcmenæ soboles & finivere Columnæ
Imperium. Latiis etiam rectoribus olim
Vltima suffecit Thule. Tibi trans mare magnum,
Atlantisque vagos fluctus & Nerea vastum
Surrexere novæ gentes, dominumque ducemque
Agnovere truces populi. sua Numina cuncti
Devovere tibi, & nudati membra lacertos
Exeruere tuis jussis, & tela pharetris
Depromsere suis. pluma lusere per armos,
Et picturato gratati corpore, vobis
,,Iura vere fidem. nec enim gens nescia justi est,
,,Ipsaque barbaries aliquid præsentit honesti.
,,Naturæ se lege probant, inscriptaque menti
,,Cœlitus officii versant dictamina, quamvis
,,Obruta se condat multa caligine virtus.
Quot circum regnis, tot linguis cultus abisti.
Nec dispar morum ratio discrevit amorem
Obsequiumque tui. te suspexere feroces
Indomitisque animis turba & mitescere sub te

 Effera

Effera vis potuit facilique adsuescere vitæ.
Excussæ manibus clavæ, & lethalibus arma
Cotibus & rigidi damnato in corpore funes.
„ Sic natum malè, mansueta sub lege renasci
„Posse hominem, jam certa fides. per strata viarum
Ambulat, & nostro sub sidere barbarus exit,
Et priscum discit velatus membra pudorem.
Eheu, quanta viris feritas & nescia luxus
Vita rudis, quales agresti lumine vultus,
Quàm pertusa genas facies, quam mollia flexu
Brachia, præcipitique per avia pulsat humum pes.
Turbine, seu celeris sequitur vestigia cervi,
Seu mediis velox leporem sectatur in agris.
Quam gnari torquent jaculum, doctique ferire
Obvia, non vanis prosternunt ictibus hostem.
Hoc memini. Batavo solventem è littore cunctos
Contra te maris ipse Deos, Zephyrosque Notosque
Disjecisse rates, irataque numina sorti
Invidisse tuæ. quid enim? tunc altera Iuno
In Belgas inimica stetit. te Iuppiter ire
Æneæ fato voluit, perque aspera rerum
Per casus pelagi varios, longinqua tueri
Littora & in terris aliis Latioque reponi,
Arcton in Occasum portare deosque penates.
Alter eras tum Scipiades, qui subruit Afrum.
Trans mare. nec fuit hæc solius gloria Pœni:
Tu nobis Hanno victuris classibus orbes
Accessisse novos ausus, glebisque focisque
In patriis hæsisse, duci plus vile putasti.
Eudoxo deserta Pharos Memphisque superba
Et contemta fuit Lathyri domus hospita regis.
Scandit Erythræum pelagus, ratibusque profundum.
Emensus, tandem Hesperiis stetit exul in oris.
Hæc Niciæ fortuna fuit, Grajique Conones
Per fluctus abiere foras. sors ista Lysandrum
„Extulit & Romæ dominos. virtute probantur

„Et

„*Et pelago grandes animæ. discrimina fortes*
„*Nos faciunt, nec parva timet, cui spernitur æquor.*
Sed veluti salvus, post mille pericula, tandem
Constitit ad Tiberim Ductor Trojanus, & æquos
Expertus sensit Superos, stas littore sospes,
Brasiliæque domos jamque hospita saxa subisti,
Vallatamque urbem scopulis, habitataque nuper
Hispanis loca, & illustris fastigia regni.
Victor in adventu es. primusque à Principe vinci
Se doluit Baniola ferox. fugere phalanges,
Et Calvi sua cesserunt æraria Portus.
Fortunate Comes, memorandi nominis hæres,
Hæc Tropici videre geri. quæ fascia Phœbo
Hic illic definit iter, tua facta sub isdem
Limitibus claudi voluit, Cancroque Caproque
Hoc belli finivit opus. cum victa Peneda est,
Creditur ipse tibi Chiron acuisse sagittas,
Et juvisse Ducem. scutum porrexit Orion,
Indigetes toto cum littore pelleret audax
Dextera, & antiquis se maxima Pernambucum
Fascibus exueret, tanto secura magistro.
Nec visum sævire tibi. clementia gentis
Dos æterna tua est. cunctis spes certa salutis
Ex æquo vitaque datur, placidisque vagantes
Legibus atque ipsum invitas placatus Iberum.
Nec satis hoc. munis urbem terraque marique,
Præcludisque aditus hosti, dum nubibus imbres
Nimborum extundit pater, accessusque viarum
Laxat & angusto saliunt in gramine Fauni.
Vix firmata tuis fuerat Respublica curis,
Accepitque suas regio placidissima leges;
Mittis in oppositum bellacia classica Nigrim,
Et latè fulvis consperſum littus arenis.
Æthiopum statio est, quales Acheronte sub imo
Degeneres vadunt Genii. jacet edita vallis
Mina potens, dudum Austriacis infessa Philippis,

Vnica mercantis tremor & formido Batavi.
Cepisti atque tuis accessit clara trophæis.
Deerat adhuc rostratus honor, domitisque coronæ
Classibus, extremis cum te pars hostica fatis
Et vicina suis terrerent mœnia transtris,
Sanctorumque chorus. tu per spatiosa vagantes
Æquora, fatalesque minas & bella ferentes
Mersisti & multo damnasti funere fortes
Bæticolas, fastumque Tagi. risere serenæ
Nereides, favitque tibi, mare, sidera, venti.
Quæ sibi suppositas ferit ardens linea gentes,
Immensamque secat spatiis æqualibus æthram,
Terra jacet, totoque natat circumflua ponto.
Morborum succique ferax rorisque beati,
Quem cannæ dulces generant. Sic area laudum
Panditur, hæc vestras tellus admisit habenas,
Et dis Angolæ cultor, sparsique per oras
Oceani nigri indigenæ, candensque ministrat
Hic ebur, hic fulvum mercanti porrigit aurum,
Venalesque animas precio transcribit iniquo.
„Cur bona libertas homini subduceris? & cur
„Vis servum natura pati? cœlestis imago est,
„Quisquis homo est, natusque sibi vim respuit insons.
„Mortales æquis generamur legibus omnes,
„Iure pari, mox dissimiles injuria fecit,
„Et belli furor & rabies insana nocendi.
Pacificos etiam fluctus Chilenque remotam
Auspiciis tetigere tuis gens nostra, viæque
Ignotæ patuere maris, compendia ponti,
Quæsitumque fuit, quod non invenimus, aurum.
Magne Comes, stitit una tuos pax obvia cursus,
Et Lusitanis veniens Concordia terris,
Suspendit Mavortis opus; frameasque tubasque
Et bellatrices passim compescuit iras,
Ipsaque paciferam Bellona ostendit olivam.
Non moriture Ducum, prisci venerabile germen

San-

Sanguinis, ignotum nobis jam note per Orbem,
Ad Batavos veteremque redi, fortissime, mundum.
Non effœta tuæ laudis mea Belgica, causas,
Queis merearis, habet. restant præclara laborum
Argumenta domi. pandit tibi Flandria laxos
Mox vincenda sinus. hic nondum fecimus armis
Otia. fervet amor belli, paribusque Philippi
Regna fatigamus studiis. Tu barbara sperne
Verba, Magajates, & qui sibi lurida formant
Tela, Tabajarres, & pictos membra Tapujas,
Patagones, & Canibales, pastumque cruore
Humano deforme genus; durosque Caëtas
Tupiguas & Amixocoros sævosque Piryvos,
Et Tupinaquorum populos. dediſce parumper
Ista loqui, Germane, & vocibus utere nostris.
Et Batavos Frisiosque sona, mitemque Sicambrum,
Mattiacos Morinosque & quos fovet Isala cives.
Fulminat in Morinis cognati sanguinis Heros,
Auriacus, sternitque viam, qua possit adiri
Ganda vel augustis Antvverpia digna triumphis.
Adsis, magnanimoque humeros suppone labori.
Vosque adeo, Patriæ Patres, quibus inclita belli
Gloria surgit ab Occasu, tot Vespere in ipso
Emeruit celebres vigilans industria lauros,
Hesperiæque accidit opes; defendite magnis
Cœpta animis, Siculumque istis avertite Regem
Finibus, auriferamque Peru Cuscumque Quitumque
Et pulchros longè Potosi convellite montes.
Hac finem bellis regio dabit. illa potentis
Imperii suffulcit opes & robora tellus.
Obruite hunc orbis dominum, quo pugnat Iberus,
Orbe alio. geminos in se committite mundos,
Et caput Hispanum Occiduis demergite terris,
Vt Phœbo labente labet. qui viribus in nos
Accrescit gliscitque novis, hinc pabula Marti
Sufficit, & strictos æternum nutrit in enses.

Mercedem pugnis subducite. vadat Iäson
Alter & in claros deducat carbasa portus,
In Belum Panamamque & ditem invadite fortes
Colchida, & effossis Indum spoliate metallis.
Ite Patres, monstrabo viam per Amazonis undas.
Hoc duce, Peruvio toti fulgebitis auro.

In Grollam à Principe FREDERICO HENRICO obsessam & victam.

QVæ toties de me meruit fortuna triumphum,
Hoc iterum spectat castra Batava loco.
Materies sum clara Ducum; laudumq; palæstra
Austriacos inter luctor & Auriacos.
Et simul impatiens pacis, dominique prioris,
Vt vincar vincor; munior, ut peream.
Quid, Frederice, truces immittis turribus ignes,
Sulphureisque quatis mœnia nostra globis?
Do tibi victa manus. nobis si infamia vinci est,
Auspicium fama Grolla futura tuæ est.

In adventum Principis FREDERICI HENRICI sub vesperam, post superatam Grollam.

DVm nova Battavico tibi parta est laurea bello,
Excipit & reducem patria læta Ducem,
Vesper erat, Phœbusque suos jam merserat ignes,
Æthereaque polo delituere faces.
Phosphorus indoluit tantis decreta triumphis
Publica subjecta gaudia nube tegi:
Ipsaque tum tenero succrescens Cynthia cornu,
Optabat fratris lumine posse frui.
Tota tamen festis collucent compita flammis,
Quemque negat cœlum, dat tibi Belga diem.
Fac etiam nullo tenebras splendore fugari;
Sat Batavis noctes, Te veniente, micant.

De

De eodem PRINCIPE ad ISALAM.

ISala, qui magno debes tua flumina Druso,
Isala, Romani grande laboris opus;
Redde Ducem Batavis, cujus victricibus armis
Tutus inoffensis exspatiaris agris.
Vtraque securis calcatur ripa colonis,
Et procul à patria finibus hæret Iber.
Quem tibi pugnantem socii concedimus, illo
Pacato liceat jam modo posse frui.

EPISTOLA AMELIÆ

Ad FREDERICVM HENRICVM, maritum, audacius sub ipsis SILVÆ-DVCIS mœnibus militantem.

SI vacat, & nullus circum tentoria miles
Inflat Arausiacis classica rauca sonis:
Nec medios inter cuneos fossasque globosque
Efferus, & multa cæde cruentus ovas:
Has lege sollicita, mihi fas ita scribere, voces
Conjugis, Amelia tristia verba tua.
Arma, jube, sileant. nec dum tibi nostra leguntur,
Verberet obsessas machina sæva domos.
Ipsa, puerque tuus, blandissima nomina, pugnæ
Fortè brevem poterunt promeruisse moram.
Hæc ego dum scribo, tabulis dum littera currit,
Vagiit ad motam parva Loysa manum.
Auriacusque, tua recubans in parte cubilis,
Invocat, absentem quem videt esse, patrem.
Et nunc ille meis, nunc hærens illa lacertis,
Multa ferunt matri basia, nulla tibi.
Adspice, quam primâ numeras distare secundam,
Linea stat fœdâ commaculata notâ.
Hic mihi scribenti subito puer impete trusit
Audacis tremulam patris amore manum.

Quas tamen adspersas tabulæ circumspicis undas,
Flumina sunt oculis præcipitata meis.
His tibi, magne Ducum, lacrymis, hoc rore litamus,
Hæc sunt militiæ præmia missa tuæ.
Segnior his forsan medios aspersus in hostes
Ibis, & impavidum negliget arma caput.
Quò Frederice ruis? jam te per tela, per enses
Audio vicino mœnibus ire gradu.
Totque inter casus, dubiique pericula Martis,
Hostica nocturno tangere castra pede.
Si tibi conjugii nomen venerabile, cur me
Conjuge vis, eheu, posse carere meo?
Si placet Ameliæ quicquam, si vultus & ora.
Pallidulam tanto cur facis esse metu?
Si tibi læta placent facilis responsa maritæ,
Cur cupis his ipsis me titubare malis?
Si mihi vernantis lumenque decorque juventæ est,
Desine sic rugas accelerare meas.
Squallida jam luces, jam squallida transigo noctes,
Duraque sum, dum tu dura vir arma geris.
Non mihi cæsaries compta est, velut antè solebat,
Ordinibusque nitet vitta decora suis.
Non saturata placet Tyrio mihi murice palla,
Quæque meos decorat fimbria pulchra sinus.
Omnia negligimus, vestes; famulasque domumque.
Dumque tui cura est maxima, nulla mei est.
Conveniunt matres, &, dum tibi militat æther,
Illustri cupiunt corpora veste tegi.
Scilicet ingrediar medias secura per urbes,
Pro patriâ pernox tu fera bella geras?
Et mea fulgentes decorabunt tempora gemmæ?
Dum tua bellatrix tempora cassis habet?
Vel manus ista comam pectet? tua diriget ensem?
Et fracto curis Principe, mollis ero?
Quin potius belli tristes imitata labores,
Nolo nimis dispar cultibus esse tibi.

Incedo

Incedo discincta, dolens, sine viribus uxor,
Fortè etiam, tibi dum scribimus, orba viro.
Nec me divitiæ, nec me decor afficit aula.
Hoc juvat, Auriaco conjuge posse frui.
Iam tibi Penelope, jam sum, sine conjuge, Phyllis;
Et, velut Hippolyto Phædra, misella queror.
Increpat Oenone Paridem lasciva procacem;
Hæc mea bellacem pagina mœsta Ducem.
Exprobrat Hypsiphyle Æsonidæ, Sichæia Troiæ;
Longè aliud conjux quod tua damnet, habet.
Flebilis absentem Hermione deposcit Orestem;
Hoc quoque, sed prohibent invida bella, velim.
Obsecrat & repetit multis Ariadna querelis
Thesea; te peterem, ni magis arma petas.
Vna tot è Danais conjux miserata maritum est;
Tu, Frederice, tibi parce, miserta mei.
Tyndaris ista suos Paridem celabat amores.
Non ego. quid timeam, clamat apertus amor.
Vt caveat fluctus, Sestos transcribit Abydo.
Longius abscedas mœnibus, Haga rogat.
Dum possum suadere tibi, suasisse juvabit.
Dumque licet, cupio consuluisse viro.
Vt te non possum, possum metuenda vidère.
Sæpè piæ voces conjugis omen habent.
Castra, duces, litui, flamma, certamina, fossa,
Singula sunt damnis verba tremenda suis.
Horret, & ingenti trepidat formidine pectus.
Nec mea sum, cum tu desinis esse tuus.
Desinis esse tuus, cum Princeps bella capessis.
Si titulo gaudes Principis, arma jube.
Non pugnare Duces, sed sunt dare jussa parati.
Militis haud partes, imperitantis habes.
Tota salus patriæ Ducis est, non militis illa est.
Hic leve, sed pondus grandius alter habet.
Non unum te tela petunt, mittuntur in omnes;
Vulnere communi Dux populusque cadunt.

Vulnera quæ tua sunt, etiam sunt illa Loysa.
Sunt etiam Amelia, Nassoviique tui.
Quod si magnanimas succendit gloria curas,
Non minor hæc vivi, quàm morientis erit.
Sunt juvenes bello insignes, & fortibus armis,
Parent imperio castra Ducesque tuo,
Audaces aptant gladios ad jussa Britanni,
Quosque suus, Galli, raptat in arma furor.
Stant coram intrepidi, Mavortia nomina, Scoti,
Stat coram impavido pectore Belga tuus.
Sunt etiam toto braccati corpore Rhæti,
Et transalpinis agmina missa jugis.
Hi tacitos subeant vallos, hi mœnibus instent.
Et formidatis stentque cadantque locis.
Sæpè Ducem fortuna premit, magis æqua minori;
Quosque rapit, nulla cum ratione rapit.
Parce tibi. alterius facilis jactura sepulchri est.
Rarior Auriaco nomine ductor adest.
Sufficiant miseranda tua tot funera gentis,
Et tot Nassoviis Belgica clara rogis.
Solvimus inferias Regi. sat sanguine in illo
Hesperii luimus subruta sceptra soli.
Te patriæ superesse tuæ, sobolique, mihique
Convenit, & solos progenuisse Duces.
Sin exempla movent, domitor Carthaginis altæ
Militis officium noluit esse suum.
Imperio decus omne stetit. plus militat ille,
Consilio quisquis provida bella gerit.
Hectoreis toties conjux cur obstitit ausis?
Cum ferus Argolicas perderet igne rates.
Credidit hoc solo defensam vindice Trojam,
Credidit hoc uno Pergama stare viro.
Quàm vereor, Princeps, ne, te moriente marito,
Objiciat casus Laodameia suos.
Quàm velit hoc Vesper, quàm regia tota Philippi
Gaudeat, & nostris rideat una malis.

Non

Non ego Nassovium, mox ut non esset, amavi,
Aut viduo peream nupta relicta thoro.
Speravi thalamos, ut conjux conjugis essem.
Ne, precor, has partes dissociasse velis.
Quàm male bellantum studiis, sociantur amantum,
Et pugnax forti laurea juncta mea est.
Principis esse velim, non duri militis uxor.
Postremum hoc titulis exime, sospes ero.
Nunc metus atque altis haret formido medullis,
Multaque dum timeo, plurima fingit amor.
Et forsan meus errat amor, patriaque nocebo
Femina, mandatis imperiosa meis.
Nil moror. unius mihi credita cura mariti est.
Omnia sunt domino damna minora meo.
Quid mihi privatis urbs expugnanda periclis
Proderit? & tanto pignore victus Iber?
Si prosis aliis, uni mihi Sylva nocebis.
Non Batavus tanti, totaque Sylva mihi est.
Vincere te cupio, cupio plus vivere. nolim
Auriacum Deciis, Attiliisque parem.
Scipiadem potius, potius te Nestora vellem.
Non mihi Pelides, Priamidesque places.
Pugnavit Telamone satus, sed suasit Vlysses;
Præmia suadentis sola fuere viri.
Si furit, & rutilis princeps Gustavus in armis
Militat, & Daci tergora ponè premit:
Hic Boreæ propior, cæloque animatur & undis
Acrius, & totum possidet Vrsa Ducem.
Plus mites Batavi. rigida te longius Arcto,
Longius immiti sidere Delpha dedit.
Et tuus imperiis genitor laudatur, & armis
Bella sed imperio rexit & arma suo.
En, tua tuta jacent aliis munimina vallis.
Hic eques, hic sequitur Martia signa pedes.
Hic tormenta crepant, illic in viscera terræ
Itur, & infestas exigit alter aquas.

Hic hæret statione alius, procul excubat alter,
Hic cadit, hic hostem vulnerat, ille fugat.
Omnia dum fiunt, dum belli cuncta geruntur,
Sit satis, hoc nutu Principis omne geri.
Quæ vincunt alii, tua sunt. tu mœnia victor
Subruis, & tantum conficis autor opus.
Tu ruis in jugulos absens, tu tota revellis
Flumina, tu jussis stagna lacusque domas.
Omnia debemus capiti. Tu desine cæcas,
Hæc lachrymans scribo, ductor inire vias,
Aut ego, quod solum superest, per tela, per ignes,
Castra per, & cuneos irrequieta ferar.
Insequar Auriacum. nec tunc procul ire vetabo.
Si volet, ipsa inter tela, licebit, eat.
Tunc moriar, qua sede meus morietur, & hostis
Munus erit, post te, me feriisse simul.
Forsan & ex uno geminos succumbere telo,
Gratia fortunæ vel rationis erit.
Vna thori facies, una est concordia, tandem
Fata velint uno nos periisse modo.

In recuperationem Arcis SCHENCHIANÆ. Arx loquitur.

NE tanti vicisse puta mea mœnia fallax
Cantaber, & geminos detinuisse Deos,
Hinc Vahalim Rhenumque patrem. quibus horrida nuper
Tincta Ducum multo sanguine barba fuit.
Hesperio cessi malè custodita Philippo,
Et mea pars laudis credita culpa tua.
Iam Batavos fines & spe majora tenebas,
Et quà non licuit pergere, visa via est.
Captivos ut Belga Deos absolveret, ipsos
Victores tellus clausit & unda suos.

Regnant & proprio detenti carcere pugnant.
Vnaque sum fama, funeris una domus.
Quod spatium vivis dederam, morientibus urna est.
Et tumulus simul & Martis arena fui.
Dic Scaldi, dic fama Tago: Virtute tueri,
Qua potuit casu vincere, nescit Iber.

In receptam violento Marte BREDAM.

SVm ludus, Fortuna, tuus, sum Martis arena,
Et bellatorum clara palæstra Ducum.
Nassoviis ter victa meis, ter victa Philippis,
Tot spolium belli partibus una fui.
Cessimus Atridis, cessi non cauta Sinoni,
Et precium fama judice grande tuli.
Nunc portæ patuere dolis, nunc occupor armis,
Nunc viridis, nunc me torrida gleba capit.
Iam me Belga Tyrum dicit, Ligur esse Saguntham,
Armis, fames fatis incubuere meis.
Fingite vincendi formas, qui vincitis urbes,
Excute Mars ausus ingeniose tuos.
Cunctis victa modis, posthac invicta superstim.
Nam pudor est uno bis periisse modo.

In Infantem PRINCIPEM, natum Celsissimo Aurasiorum Principi, statim post victam Hispanorum classem.

DVm Tibi Cantabricæ cedunt, Frederice, carinæ,
Et patriæ partes Trompius acer agit;
Dum formidatæ flagrant in puppibus alni,
Et miser Arctois mergitur Astur aquis:
Aula parit, gaudesque novo de Principe Princeps,
Et comes it Marti læta marita suo.
Parturit Auriacum generosa puerpera. nec se
Battaviæ genitrix magna deesse cupit.

Sic bellatori plaudit Bellona marito.
Sic favet Amelia Iuno benigna sua.
Officiis patriam Princeps devincit, & uxor.
Et momenta Ducum lectus & ensis habet.
Horret Iber, metuuntque truces utrumque Philippi,
Iamque Ducem victi, jam timuere Patrem.
Pugnando superaris Iber. superaris amando.
Et tumidum frangunt arma thorusque Tagum.
Mox periere rates. at qui nunc nascitur infans,
Venturis alter classibus hostis erit.

In victam GENNAPII Arcem.

GEnnepa, quæ vallis altè muniris & undis,
Et geminos inter stas animosa Deos.
Quæ Mosa Nirsaque tuas circundata turres,
Spernis Arausiaci tela globosque Ducis,
Qualis anhelantem præfracta Numantia Romam,
Aut Macetæ sprevit Petra superba minas:
Iam ruis & fractis Frederico viribus impar,
Hac etiam gaudes succubuisse manu.
Quæ malæ raptoris nocuisti regia Caci,
Finitimis circum pestis & hostis agris,
Iam patriæ tutela meæ es murusque Sicambrûm
Diceris & Vahali conciliata places.
Austriaco subducta fidem cum Principe mutas,
Et tibi placati signa Leonis amas.
Quàm benè bella gerit Batavus, quàm præside cœlo
Fortuna librat fata vicesque sua.
Post urbes arces capimus. dum summa moramur,
Hæc etiam laudi est, utiliora capi.

In geminas Belli portas, ÆRAM & GENNEPAM, illam à Rege, hanc ab AVRIACO victam.

GEnnepa Nassovio, Lodovico vincitur Æra.
Hoc Regis, magni Principis illud opus.
Dissimilem duplex habet hac victoria finem.
Et patitur variis hostis ab hoste malis.
Ne noceat Batavûm terris, jam Gennepa nostra est.
Vt Morinûm noceat finibus Æra patet.
En geminas belli portas. quarum altera Gallo,
Pandit, at Hispanis altera claudit iter.

IN SPECTACVLA Exhibita AMSTELODAMI In adventum Serenissimæ Reginæ MARIÆ de Medicis, Galliarum Reginæ.

In spectaculum Nuptiarum HENRICI IV, & MARIÆ de Medicis.

EN, bellatori nubit MEDICEA marito.
Et Princeps Italûm nobile fedus adit.
Et rutilis juxta fulgens HENRICVS in armis
Hac sibi sceptrorum spem genitrice facit.
Herculis hîc faciem videas, hic Pallada, quorum
Has regnis mentem commodat, ille manum.

In spectaculum BERECYNTHIÆ matris Deorum. Amstelodamum loquitur.

QUalis per Phrygias quondam Berecynthia portas
Vecta fuit, partu tot celebrata Deûm.
Ingredere auspiciis nostram felicibus Urbem,
Atque oculos per me fer, Medicea, tuos.
Quos portus, quæ tecta vides, turresque, ratesque,
Templaque, fortunæ sunt monumenta meæ.
Per terras fluctusque vagor, sua munera mundus
Mittit, & hic precio prostat uterque suo.
Cæsaream felix, abavo donante, coronam,
Et decus à vestro sanguine grande tuli.
Ad Te præteriti redeat nunc gratia facti,
Et non immemorem, maxima Neptis, habe.
Sic placui defensa tuo Regina marito,
Sic nato de Te Rege beata fruor.
Si majus genuisse Deos, Regesque, Ducesque,
Iam Matri liceat tot placuisse Deûm.

In Domum Societatis Indiæ Orientalis.

FEcit iter Fortuna mari, pervenit ad Indos,
Et procul Eoo fixit in orbe pedem.
Memnoniæ patuere domus, patuere Moluccæ,
Regnaque federibus tot sociata novis.
In thalamos Aurora tuos jam classibus itum est,
Et Batavos alibi, tectaque nostra vides.
Non satis est vicisse domi, cum Sole vagamur.
Et tanto volupe est vincere teste foris.
Sint vestræ merces Indi, sumus horrea Belgæ.
Quas Oriens fruges parturit, Arctos habet.
Servat hyems fructus, quos torrida coxerat æstas,
Et calidum gaudet mandere bruma piper.

Mittunt thura Arabes, permutant serica Persæ.
Et spaciosa suas Iava ministrat opes.
Tarthica distentas onerant velamina puppes,
Poclaque Sinarum carbasa plena vomunt.
Ostia quot fundit Ganges, tot navigat unus
Amstela, & externo sub Iove bella gerit.
Lucra sinus omnes nobis atque æquora pandunt,
Inveniunt quovis littore lucra viam.
Hesperio cum Rege solum partimur & undas,
Et formidati frangimus arma Tagi.
Qui dubitas, castella, domos, arcesque tuere,
Atque alio patriam crede sub axe dari.
Sic aliis alius populis divenditur orbis,
Totaque se vendens machina, rursus emit.
Quæque ferax longe spatiis immanibus Eos
Colligit, in Batavis continet una Domus.

In Ferculum Orientalium mercium Reginæ Matri paratum.

VIdit, & insolitas mirata est Regia mensas
Mater, & Eoas attigit ore dapes.
Stabant antè oculos messes, quas miserat Indus,
Quas dederant Persæ, quas preciosus Arabs.
Delibat Medicea suis fragrantia cannis
Cinnama, & externo fercula missa solo.
Adspicit Auroræ segetem, thus, balsama, myrrham;
Et spaciis Superûm munera stare suis.
Hæc oculis placuere magis, magis illa palato,
Gustus, odor partes hic obiere suas.
Talia non posuit Thetidi convivia Peleus,
Non epulis istis accubuere Ioves.
Non hæc adspexit Latium, cum victor ab hoste
Romulidûm intraret mœnia Cæsar ovans.
Tunc aliquis dixit secum: quæ fercula ΚΟΣΜΟΣ
Hìc parat, hæc COSMI *filia grandis edit.*

In

In Neptuni, Mercurii, & Virginis Amstelodamensis aquis innatantium

S C H E M A.

Neptunus ille, quem videtis fluctibus
Tolli severa fronte, canis horridum,
Sævum tridenti, maximi Deum maris,
Cujus marina monstra currus ductitant,
Hinc inde lusitante Najadum choro:
Et ille puppi celsus eminens nepos
Atlantis, artis arbiter mercantium,
Fandi peritus, emptor idem & venditor,
Nunc sortis author optima, nunc pessima,
Anceps favendi: Quæque Virgo pulchrior
Vultu decenti flectit obvium genu:
Gratantur omnes Galliarum Numini,
Pronisque votis Principi se devovent.
Neptunus offert cærulas Ponti vias,
Facilesque fluctus, strata ventis æquora,
Quà filiorum sceptra jus exporrigunt,
Gallus, Britannus, præpotensque Cantaber.
Tegeæus iste priscus interpres Deûm,
Vrbem Parenti Libisque consecrat.
At Amstelis virago Neptuno suo,
Cyllenioque nixa, mercantes Deos
Subdit coruscæ Principi, hanc ipsam Deo.

IN

IN NVPTIAS

FRANCISCI de MEDICIS, Magni Etruriæ Ducis, & IOHANNÆ AVSTRIACÆ Ferdinandi Imperatoris Filiæ.

AVstriaca vultus, & te, Francisce, Theatro
Sistimus, & Batavis fœdera prisca damus.
His nati rexere Duces, Mediceaque latè
Lumina conjugiis emicuere novis.
Hæc inter Maria est, raro qua munere Divûm,
Non nisi per Regum nomina Mater abit.
Hoc demum est peperisse; Orbi donasse tiaras.
Sic sua stant regnis robora, sic thalamis.

In donationem Coronæ.

AMstela, qui latè terris mercaris & undis,
Iamque aliis adfers, jam tibi lucra refers:
Amstela, qui nostri fulsisti pondera belli,
Cum mihi plus uno surgeret hoste labor:
Seu Venetus gravis esse mihi, seu Flandria vellet,
Et Dominum Bruga detinuere suum:
Accipe Cæsaream, regni diadema, Coronam,
Accipe virtutis præmia digna tuæ.
Hæc fulvos inter radiet spectanda Leones.
Posteritas isto pergat honore frui.
Classibus imperitas pelago. tua, nostra Corona est,
Nostra solo late fulgida, vestra salo.

In Spectacula Orbis Gallici sub HENRICO III laceri, sub HENRICO IV restituti.

GAllia dum lacerum bellis civilibus Orbem
Adspicit, & regni vincula rupta sui,
Commissosque Duces, adversosque ensibus enses,
Et fossum Regi proditione latus:
Ingemit

Ingemit excussos tantis cervicibus axes,
Dimotosque sua de statione polos.
Sic afflicta Iovem precibus, Divûmque lacessit
Numina, & ex alto lurida poscit opem.
Stant juxta Pomona, Ceres, Liberque, Venusque,
Quasque Deas belli vis malesana premit.
Condolet atrata Superûm clementia turba,
Dumque cupit Gallis consuluisse suis:
Borbonium lapsis Druidûm succurrere rebus
Poscit, & his humeris pondera tanta geri.
Succurrit Regi Pallas Sapientia, Mavors
Auxiliatrices commodat ipse manus.
His Ducibus dum bella gerit, dum mitigat hostes,
Integra speratâ Gallia pace coït:
Et valida Mundum fulcit cervice Navarrus,
Seque polos aptè restituisse videt.
Tunc regno sua parta quies, tunc rura, penateis,
Templa, foci, vultus exseruere novos.
Pax rediit, scandit neglectum Astræa cubile,
Et reduces priscâ sede stetere Dii.
Hoc Spectacla docent. ubi fracti conditor Orbis,
Alcida Henricus nomen onusque gerit.

In natum Galliarum Delphinum eodem die & horâ, quâ Amstelodamo discessit Avia

MARIA DE MEDICIS.

Qualia in æthereo succedunt sidera Olympo,
Alteraque exurgunt, altera lapsa cadunt:
Perque vices radians stellis variantibus æther,
Nunc hoc, nunc illo mutat in orbe faces:
Talis ab Amsteliis dum se Fax Itala terris
Subtrahit, atque suum flectit ab Vrbe jubar:
Ecce procul Druidum in terris Phœbeïa surgunt
Lumina, & hæredem dissita regna vident.

Vna eademque dies Regalem lampada vidit
Naſcier, una aliam vidit abire dies.
Amſtela ſic abitu doluit, ſed Francia partu;
Totaque Delphino Gallia læta fuit.
Vive nepos MARIÆ, *& quæ jam tibi Lilia creſcunt,*
Proſpera ſint Gallis, proſpera ſint Batavis.

EPIGRAMMATA

inſcripta

SPECTACVLIS,

In Adventum Sereniſſ. Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ

REGINÆ,

Amſtelodami exhibitis.

I.

Nuptiæ THETIDIS & PELEI.

ALIVS NASCETVR ACHILLES.

EN, *Thetis Æmonii properans ad limina Pelei,*
Theſſalicas celebris ſponſa pererrat aquas.
Et Maria Auriaci vadens ad limina Sponſi,
Sponſa per Arctoas Regia fertur aquas.
O utinam his etiam thalamis naſcatur Achilles,
Et ſimiles gignat nupta Britanna Duces.
Adſpicit hanc Thetidem Maria, & dum ſuſpicit illam,
Communem Patriæ ſpem cupit eſſe ſuam.

II. Fe-

II.

Fedus inter ADOLPHVM Nassovium Imperatorem & EDOVARDVM Britanniæ Regem.

GENVS ALTO A SANGVINE DIVVM.

Hic est, Romani Imperii Regnator, Adolphus.
Nassova quem populis terra domusq; dedit.
Regna Britannorum claro cum Cæsare pangunt
Federa, & à Tamesi postulat Ister opem.
Nassoviis Edovarde faves. sed percitus ira
Austriacus tanta est hostis amicitia.
Res similes patimur Batavi. dum federe eodem
Auriaci fulget gloria, frendet Iber.

III.

Nuptiæ REINALDI NASSOVII Geldriæ Ducis, & LEONORÆ Filiæ Edovardi secundi Britanniæ Regis.

DIS GENITA ET GENITVRA DEOS.

Sceptriferos quicunque thoros veneraris, & illas
Suspicis Auriaci, maxime Belga, faces;
Hæc adspecta oculis annalibus eruta priscis
Federa, Nassoviæ splendida vincla domus.
Reinaldo Leonora datur, sed Filia Regis.
Et Tamesis Sponsam Sponse Sicamber adis.
Hanc venerare domum Belga, Augustosque penates,
Illa domus Regum, Cæsaris illa domus.

IV. Nu-

I V.

Nuptiæ Iacobi II Scotorum Regis, & Mariæ Egmondanæ è Nassovia Domo.

GENEROS TETHYS EMIT OMNIBVS VNDIS.

Hanc quoq; Nassovia genitam de stirpe Caledon
Accipit, & Maria conjuge Scotus ovat.
Nomina nominibus praeunt, & numine dextro,
Tunc etiam pelago vectus abibat amor.
Tum procul externis nupsit Dux femina sceptris.
Nunc nubunt magno Regia sceptra Duci.
Exulta secura Patrum Respublica; quam si
Regis bella premunt, Filia Regis amat.

V.

A R I O N.

ETIAM SERVAMVR IN VNDIS.

Dum mediis, nautarum odiis, demersus Arion
Fluctibus, incertum per mare sperat iter;
Supponit misero Delphinus corpora vati,
Et dulcis cithara captus amore vehit.
Non aliter duro damnatus Belga Philippo,
Auriaco fretus Principe salvus abit.
Seria spectastis Batavi. nunc ludicra rerum
Cernite. nec pigeat sic meminisse Ducis.

VI. AN-

VI.

ANDROMEDA.

PVLCHRÆ PRO LIBERTATIS AMORE.

Alligat Andromedam saxis furor. altior illam
Æthereo Perseus liberat unus equo.
Belgica Libertas duris innexa catenis,
Sanguineo patuit præda futura Tago.
Non pateris Frederice Pater, sed missus ab alto
Illa neci Batavûm dedita monstra domas.
Quàm tua nunc nostræ miscetur gloria famæ,
Cujus nostra fuit mixta salute salus.

Finis libri secundi.

C. BAR-

C. BARLÆI
POEMATVM
HEROICORVM
LIB. III.
Varii Argumenti.

VENUS BATAVA,

Sive in nuptias Nobilissimi & Generosi Domini, IOANNIS à MATHENESSE, D. Mathenessæ, &c, Et Nobilissimæ Virginis ac Dominæ, VVILHELMINÆ IUDITH PIECK,

EPITHALAMIUM.



Iderat intrepido stipatum milite Martem
Hesperios terrere Deos, iterumque ciere
Bella Venus: toto diffundi carbasa Rheno,
Turrigerasq; rates, & bellatricia rostra,
In Ligurum directa ducem. Si conjugis, inquit,
Arma mei placuisse queunt; nec classica Belgas,
Tympanaque audaces terrent horrentia Catthos,
Si fervet Mavortis opus, si fama paratur
Cædibus, & crudo nascentes sanguine lauri:
Me credat quoque terra Deam, nec languida nobis
Otia & ignavas objectent secla sagittas.
Sunt arcus pharetraque mihi, sunt tela, facesque,
Queis noster quoque pugnat Amor, queis mite puellæ
Ingenium, & victa submittunt colla cohortes,
Succumbit soror ipsa Iovis. dum prælia surgunt,
Et Venerem sua bella manent, dum sævit in arces,
Et vesana suos repetit Bellona furores,
In Batavis Citherea furit, perituraque bello
Nomina & ingentes reparant mea basia clades.
Occidat hic aliquis Telamon, mihi nascitur alter:
Si perit Automedon, redeunt vitalia per me
Pignora: si rapitur discerptus curribus Hector,
Astyanacta dabo: surgit pro Memnone proles
Altera: tercentum Fabiis pereuntibus, unus

Vagiit in cunis nostris conatibus ultor.
Quod Batavi vicere, meum est: me credite Batim
Et Gangem spoliasse manu: mihi subditur Indus;
Nec sine me rutilum distringat Martia ferrum
Dextera, nec duros ad pugnam armabit alumnos
Odrysius, bellique duces. mihi gignitur uni
In thalamis bellator homo: mihi corda manusque
Et celeres pugnare pedes, mihi mascula primùm
Formatur natura virûm: lectique duello
Mars ingens orditur opus, nostroque labori
Auspicium, atque sui debet certaminis ortum.
Dixerat: & veteres alis subvecta Sicambros
Diva petit: niveæ cingebant tempora vittæ,
Palliaque discincto corpus velabat amictu,
Purpureis intexta rosis: spirabat odores
Cestus, Erythræo fragrabant murice plantæ,
Collaque Hydaspeis fulgebant candida gemmis,
Vt posses novisse Deam. certissima cæli
Majestas documenta dabat, Superûmque notari
Et decor & facies poterant. hoc pronuba cultu
Dardaniam Spartæ, Seston sociavit Abydo,
Scyria magnanimum virgo pellexit Achillem,
Victaque succubuit Pholoë. quascunque volatu
Transit aut terras aut flumina, Cypridis æstu
Incaluere feræ, gelidisque accensa sub undis
Agmina senserunt Venerem. complexibus ulmi
Arctius impliciti molles hæsere corymbi,
Arboribusque hederæ. frondes genialis opacas
Explicuit platanus, lauroque intersita myrtus,
Palmaque vicina porrexit brachia palma.
Quodlibet arsit amans, propriosque Erycina furores
Omnibus impartita fuit. non oscula concha,
Non sua lascivus neglexit murmura turtur,
Aligerumque genus. sic totus amoribus æther
Ferbuit, & poterat solo natura renasci
Afflatu propiore Deæ. Sed Geldrica postquam

Imperia & celsæ tetigit confinia Buræ,
Hic bellis fomenta meis, dignamque furori
Materiam quæramus, ait. Gens una Sicambrûm
Auriacum Veneremque simul sua stringere tela
Adspiciat, bellumque sequi. chorus omnis Amorum
Advolat, & manibus teneras strinxere sagittas
Circumfusa cohors. Iamque omnia limina lustrant
Semideûm, Procerumque domos; quæ mollia flecti
Pectora, quæque gravem virgo ejuravit amorem;
Quæ dubias suspensa faces in corde volutans,
Quod speret, damnare queat; fugiatque quod optet;
Et nolit, quod amasse velit; quæ saucia tacum
Vulnus alat venis, & quos præsenserat ignes,
Mascula dissimulet. Cunctas venerabilis inter
Pieckia cælitibus placuit, potuitque probari
Excelsæ fortuna domus, castaque decorus
Virginitatis honos, &, tot superabile divis
Ingenium, atque ipsi penè æmula forma Dione.
Illa thori impatiens (primos vix Phosphorus ignes
Extulerat, longeque dies distabat ab ortu)
Fœmineum tractabat opus, peplumque fluentem
Aurata nectebat acu. Iam compta nitebat
Cæsaries, viridem substrinxerat aurea vestem
Fibula, Sidoniæque sinus industria pallæ
Abdiderat. stupet ipsa Venus studiumque manusque,
Et timidam tali Nympham sermone salutat:
Quid fallis malesana diem? quam fallere noctes
Fas erat, & Paphio tenebras disperdere ludo.
Palladis hic sordet Veneri labor; altera, crede,
Iam ducenda tibi nostra sunt stamina vitæ,
Et proavûm fundenda domus. tibi sera nepotum
Progenies debere cupit, signantque maritam
Sidera. Quid vacuo ducis suspiria lecto,
Et deserta gemis? toto quam Iuppiter auro
Perpluat, & veteri cupiat præponere Ledæ.
Quin discis servire mihi; sunt mitia nobis

Imperia, & magna se libertate tuetur
Servitii sors blanda mei. nimis anxia res est
Virginitas, gaudetque rapi: sociata marito
Tutius uxor amat: nulla est custodia formæ,
Quam thalami cortina tegit: nescitque pudere,
Cui pudor est sprevisse virum. permittit amori
Multa thorus, tantumque salax in cœlibe vita est.
Iam risus innupta meos, arcanaque nescis
Gaudia; & intrepidi quæ sit fiducia lecti,
In quo nupta jacet: nescis, quibus artibus orbem
Continuet Natura sibi: quo jure parentis
Assignet sibi quisque decus: quæ munia matris
Iam tandem scivisse juvat. vilescit, amica
Quicquid prole caret, quicquid sua subtrahit avo
Nomina, spemque sui fatis involvit iisdem.
Penelope, quamvis sapiens, concessit amanti:
Andromache Trojana fuit, tamen oscula fixit
Casside in Hectorea: nostris flagravit Amazon
Ignibus; &, rari quantumvis plena pudoris,
Expetiit Flaccilla virum: Cornelia donat
Scipiadas, Romamque nurus auxere Sabinæ.
At quantæ tibi virgo faces, ô quanta parantur
Conjugia? Ecce tuos præstans Matthenesius ignes
Hauriet, & tanto servaris Sponsa cubili.
Illum Palladias juvenem deduxit in artes
Magnanimus genitor; ne quem respublica tandem
Posceret, & Batavi spectarent ora Senatus,
Clamaret doctrina reum, trabeasque puderet
Vix vulgo distare rudi: virtutibus annos
Antevenit; duris animum Constantia firmat
Temporibus; spernit populi Prudentia motus,
Dum patria pia jura probat. generosaque quamvis
Nobilitas longo derivet stemmata censu,
Arduaque illustres decoret fortuna penates,
Mens submissa manet: facili persusa severo
Læta verecundos adspergit Gratia mores.

Prisca-

Priscaque simplicitas, atque isto sanguine dignus
Candor, & ingenuo depicta modestia vultu.
Vix ea dicta dedit : tacitas sub pectore flammas
Excitat, & blandum venis instillat amorem
Alma Venus. spolia illa mei sunt ampla laboris,
Aliger, inquit, Amor. nunc, quà fecunda Batavus
Arva colit, fessusque suas immergit arenis
Rhenus aquas, placidusque excelsas alluit arces
Doesa, viam flectamus, ait. quò fulgida postquam
Atria & augusti subiit penetralia tecti,
Insignes Procerum vultus laudataque Cypris
Adspicit ora virûm, suspensaque lumine læto
Heroum simulachra legit : qui clarus Athenis
Cattigenûm mandata dedit, quo vindice frontem
Barbaricos inter strepitus & murmura belli
Explicuit Phœbæa cohors, cui Belgica concors
Imperii surgentis onus nostrasque curules
Credidit, & dubios commisit patria casus ;
Et qui Cantabricos eludens Dousa furores
Fati jura domat ; sed non bellacia qualis
Carbasa & ingenti rapuit vexilla Philippo :
Quique senex Batavum Dux Duvenvordius æquor
Classibus asseruit, totique minacia ponto
Jussa dedit, potuitque trucem sibi subdere Tethyn.
Hos ubi per vultus solertia lumina duxit,
Tum regina Paphi : magni clarissima patris
Progenies, quâ sola manet spes fulta nepotûm ;
Te propter Paphias arces Cyprumque reliqui,
Idaliumque nemus. geniales pronuba tedas
Ipsa puerque meus ferimus. quid lenta moraris
Vota ? nec attenta Veneri solennia solvis
Iura thori ? posco sobolem, ne stemmate in isto
Destituat rector Batavos. patriaque tibique
Iam Citherea vacat. nec solum blanda voluptas
Et peritura mihi petitur. respublica natos
Exigit, &, regni qui librent pondera, Belgas,

Una, Deûm monitis, nunc ardet amoribus abſens
Tieckia, tota tuis abſens in vultibus errat,
Atque exul jam facta ſui eſt. ſuſpiria Rheno
Conſcia tranſmittit Vahalis, dudumque moratur
Mens curis intenta meis. non dignior ulla
Te poterit meruiſſe virum. ſi gratia formæ
Quæritur, exuperat longè reverentia morum:
Si cenſus æquare velis, rariſſima longè
Vincet opes pietas: ſi tanta virginis ortus,
Et claros arceſſis avos, præconia poſcet
Ingenitus majora pudor. ſi ſidera mutet
Iuppiter, hæc mediis virgo radiabit in aſtris.
Dixerat: ille Deæ levibus violabile telis
Pectus, & inſolita laxat præcordia flamma,
Imbibiturque effuſus amor. Iam priſtina ſordet
Vita viro, curæque graves, & dura faceſſunt
Otia, nec fremitus aut colla ſuperba moratur
Quadrupedantis equi. non jam venabula torquet
Venator, luſtratque vagos indagine ſaltus,
Latranteſque adigit per inhoſpita rura moloſſos,
Totque canum explorat genios: quis curſibus Eurum
Antevolet, quis nare ſagax veſtigia doctè
Cæca notet. non jam delapſum nubibus agmen
Incluſiſſe plagis gaudet, cœlique cohortes
Vult prædam ſervaſſe ſibi. largitur amori
Omnia, ſe ſpolium prædamque Cupidinis eſſe
Sentit amans. quin jam tardos procedere Soles
Autumat, & calidos promiſſæ virginis ignes
Differri ſpes ægra putat. ſi veſper Olympum
Claudat, & æthereos properans Aurora jugales
Allevet, antè oculos dominæ verſatur imago,
Antè oculos nova nupta ſubit. ſic victa fatiſcit
Nobilitas, figitque ſuas in virgine curas.
Lætior intereà levium gens omnis amorum
Advolat, & primo teſtatur gaudia plauſu,
Conjugii præſaga novi. pars flammea Sponſæ,

Pars

Pars tedas ignesque parat: pars myrtea gaudens
Tegmina circumdat capiti: pars nectare limen
Irrigat, & mediis fragrantia cinnama tectis,
Persarumque adolet lucos, & missa Sabais
Balsama. Pæstanis aliquis vel Adonidis hortis
Narcissum, violamque & purpureum chrysanthum
Advehit, & donum festis solennibus adfert.
At puer Idalius genialia fulcra Cupido
Apparat, & thalamis velamina pulchra futuris,
Barbaricasque insternit opes: non talia Marti
Straverat ipsa Venus, tunc cum Liparejus amantes
Falleret, & doctis captiva cubilia vinclis
Spectarent cupida ora Deûm. qua vellera Seres,
Quos cultus fert dives Arabs; gemmisque coruscis
Et picturato distinctas murice vestes,
Deposuit largitor Hymen. non Gratia lecto
Absuit, & geminas texens Aglaja coronas
Implicuit natos Zephyri spiramine flores,
Non tactos Borea, rabidique caloribus Euri,
Perpetuo sed vere novos. At præscia fati
Iuno vetat steriles istis rorescere noctes
Sedibus, & quicquid fecundi fallere posset
Spes uteri, toto dominans proscribit Olympo.
Iamque aderat festiva dies, poscensque maritum
Emicuit lux alma polo. disperserat omnes
Ipse pater Divûm nebulas, quò clarius orbem
Virgineus collustret apex, Solemque lacessat
Vultus, & in rutilo majestas fulgeat auro.
Iunxerat una domus geminos, flammaque calebant
Iam propiore duo: veluti post frigora bruma
Incaluit terra gremium, laxataque Phœbo
In Venerem natura ruit. sociantur in uno
Vota viri sponsaque thoro. Vix ille pudoris
Frena sui retinet; vix illa arcana caloris
Dissimulat fomenta sui. sic nutrit amorem
Alterius vicinus amor, qui ni ignis ab igni

Pabula lata capit. flammaque incendia flamma
Ventilat, &, propriis dum sperant pignora bustis,
Vitales arsere faces. ferventia cernas
Atria, conscriptos longis discumbere mensis
Battaviæ proceres, & nobilitatis avitæ,
Nomina magna, deos. primævæ gloria pubis,
Stant juvenum spectantque chori, quam fulgeat inter
Cognatas hìc Sponsa nurus; quantum ille decorus
Emicet, & nullo diffundat lumina fastu.
Vt thalami patuere fores, & conscia lecti
Virginitas timuit, quæ mox sperare maritam
Fas fuerit; placido generosa Batavia gressu
Ingreditur: juxtà musco velatus & alga
Lætior adstabat Rhenus, Doesamque trahebat,
Et Zilam, famulos. dextram capit illa puellæ,
Inde viri, firmansque sua connubia voce,
Sic infit veneranda parens: Di cœpta secundent
Fœdera, & æterno connectat pectora nexu
Intemerata fides; etiam post funera mentes
Iungat amor, dirimique vetet. non fulva metalli
Pondera, non Pelopis gazas, non jugera Crassi,
Quæque dedit fortuna, precor. Mathenesia vobis
Succrescat fœcunda domus: sudate nepotes;
Vt credat Citheræa suos: agnoscat alumnos
Omniparens natura novos: hoc sanguine surgant,
Qui terris dent jura meis, securaque præstent
Imperia, & lapsis norint succurrere rebus.
Alter avus nobis redeat, quo sospite sospes,
Et legum tutela fui, quo Præside nuper
Ad Batavos spretis Pa[illegible] migravit Athenis.
Dixerat ore gravi. [illegible]m Iuppiter omina firmans
Mitiùs intonuit, cœli[illegible]e à parte serena
Maximus in thalamo splendor cum lumine fulsit.

IN EQVVM

Nobilissimi ac generosissimi Viri, D. GODEFRIDI de HAESTRECHT,

POEMATION.

STat sonipes, dominique ferox subsellia portans
Obsequium gravitate premit, famulumque laborem
Dissimulat fremitu. decorant generosa comantes
Colla jubæ, quas in varios solertia nodos
Strinxerat, & multo mulier distinxerat auro.
Tum coni plus fulget apex, & vertice summo
Ornamenta micant, phalerataque tempora perflat
Adversi vis sæva Noti. miratur honores
Ipse suos quadrupes, tardoque superbia gressu,
Quam calcat, fastidit humum. ferit ungula pandum
Altius in se tracta femur: cervice recurvâ
Obliquat sibi fastus iter; non prona dehiscunt
Ora, nec indecori quassantur tergora motu.
Desine magnanimûm quondam generator equorum
Ostentare tuos Agragas: non Thessala tellus,
Quem componat, habet. sordent, quos Bilbilis altæ,
Quos Arcas celsæque dabunt fastigia Nysæ,
Aut celeres in bella Scythæ. non Isthmia talem
Compita & Elæo currentem carcere vidit
Græcia, cum celeres sese effudere quadrigæ,
Palmaque præcipites accenderet æmula currus,
Et stantes sublime duces. Hierone triumphans
Littus Olympiadum seros memoratur in annos,
Et clarum Therone fuit, Telesique nepotes
Victrices vexere rotæ. Tu testis honorum
Vivis adhuc Alphæe pater; tu Psaumidis absti
Palladia sub fronde caput: tu fessa caballis
Corpora lavisti toties, spumamque lupatis
Abluis, & calida propinas flumina Tisæ.

Pythius Archesilæ doctis applaudit habenis,
Xenocratemque stupet; nec magnum clara Megaclem
Fama silet, curruque ruunt Alcmaone nati.
Scilicet illa tuis victricia tempora frenis
Invidit, Godefride, dies; nec Olympia tantum
Conspexit generosa decus: seu colligat ungues
Ad numeros, libretque gradum: sive auribus adstet
Attonitus, feriatque solum temeraria crurum
Mobilitas, grandique tremat sub pondere tellus:
Seu monitis attendat heri: seu flectat in orbem
Corpora; seu laxo transverberet aëra loro,
Arvaque quadrupedante pererret inania cursu.
Huic Hiero cessisset ovans, & prisca Pelasgûm
Gloria, cessisset spatiis Phereniçus in amplis,
Ipsaque Pisæam decerperet Elis olivam.
Hic bellator equus mediis in vallibus hostem
Hinnitu vocet, & cuneis sese arduus ipsis
Inferat, hic lituos, hic cornua rauca tubasque
Audiat intrepidus; perque agmina perque phalanges
Sternat iter, peditemque truci cervice superbus
Dissipet, & nudâ stratum conculcet arenâ.
Talis in adversos sumptis insignibus Æthon
Ibat ovans Rutilos: tales calcaribus armos
Penthesilea fodis, medios cum virgo per enses
Et Danaûm per castra ruis. generosior ille
Magnanimam vectet Thamyrim, Volscamq; Camillam,
Aut erepta iterum repetentem signa Camillum.
Hoc quoque virtutum latitant sub pectore formæ,
Et laudum generosus amor; servansque decori
Insipiens natura sui est. hanc præmia recti
Et promissa movent. venienti grata magistro
Vox matutinum fremitu Titana salutat,
Et tremula modò calce favet. capit illa furoris
Argumenta sui, justâque accenditur irâ,
Et contemta dolet. rursum laudata superbæ
Majestatis habet speciem, frontemque serena

Pandit,

Pandit, & heroo testatur gaudia gressu.
Hæc mihi Apollineum pleno de fonte liquorem
Excutit : hac sacrum mihi percutit ungula montem,
Nec vatem sitiisse cupit. Iam fabula facta est
Pegasus, & celsum tranans Helicona volatu
Bellerophon, nataque istis sub calcibus undæ.
Tu mihi Bellerophon ; tuus est, qui sufficit undam
Pegasus, & toto vatum me proluit alveo.
Quid magno terræ gremium Neptune tridenti
Percutis ? & primos imis de manibus excis
Cornipedes ? hunc æquoreis vicinior oris
Belga dedit, rabidumque suis virtutibus æquor
Induit, & belli spumantes indidit iras.
Non huic frena truces Lapithæ Numidæque dedere,
Celtiberûmque manus ; non defensoribus istis
Tempus eget. spernit phaleras alienaque Rhenus
Nomina, nec Siculus format calcaria Brontes.
Ipse tibi Batavus tanta redimicula frontis
Præbet, & excelso tumidas in vertice cristas,
Fulgentemque gravi succinctam pectore zonam,
Textaque in extremos velamina pendula talos.
Si spatium fors terra neget, sessore magistro
Molliter ille gradum glomeret : si lata patescunt
Iugera, & ingentes trepident calcaribus armi,
Vnà Eurumque Notumque & nubifugos Aquilones
Antevolet, Caurosque leves post terga relinquat,
Sideraque, & pleno redeuntia flumina ponto.
Ille vel illasæ Cereris trans summa volaret
Culmina, vel lati tranet spatia invia Rheni :
Aut Vahalim, aut dubio fallentem gurgite Mosam.
Hoc in Amycleâ si quondam vectus arenâ
Tyndarides foret : haud propriis bellator Aphidnis
Lurida Cecropio cecidisset victima bello.
Sunt alii, quorum Latii meminere poëtæ ;
Calaicus Lampon, & pulchro concolor albo
Astur Panchates, & nigra fronte Pelorus,

Et Tagus, & Pholoë, & cursu velocior Iris,
Aschetus, Æthion, Styrias, Phariusque Podarces,
Et quos Thebanis genitrix effuderat Herpe
Nobilis, & soboles Sicoris bellacis Ilerda:
Vel, quem Trojanum Mezentius urget in hostem,
Rhebus, & Adrasto celebris vocalis Arion;
Et gemini Mavortis equi, mensorque dierum
Cum rutilo Pyroënte Phlegon, & fervidus Æthon,
Et Stygius Nycteus, & clari Xanthus Achillis,
Plutonisque notâ variè distinctus Alastor.
Hunc timeant cuncti, timeat concurrere soli
Quilibet: hic veteris laudes præstringere secli
Gestiat. hic docilis freni sessoribus aurem
Commodat; hic rectum servabit doctior axem,
Quaque voles, sinuabit iter. Tu scande superbos
Excellens Godefride toros, & ephippia tanto
Turgescant supposita viro. non vilia noster
Pondera vectat equus. tellus, mare, sidera, cœlum,
Nobilitas, virtus, domino portantur in uno.
Terrarum doctrina tua est: tibi regna locosque
Nosse datum. quantum Occiduus Sol distat ab ortu,
Belgicaque Auroræ thalamis, à Gadibus Arctos
Vtraque, Lappionumque solum. Tu vasta Deorum
Atria, flammantes æternis ignibus orbes
Emensus radio, Solis Lunæque labores,
Mercurii Martisque vias, Veneremque, Iovemque,
Tardigradique senis lentos sublimior axes,
Et picturatam didicisti pervigil æthram.
Tu pelagi curvos flexus, Tiphynque Batavum
Expedias. tibi, quas doctâ depinxit arenâ
Dextra Syracusii senis, aut vis Attica, formas,
Ingenio famulans aperit labor. omnia pernox
Vidit & ignavis animus succensuit horis.
Has portat phaleratus opes; hæc bajulat Æthon
Sacra tuus, tantumque decus dum gestat in armis,
Altius insurgit quadrupes, dominique quod unum est,
Virtutis

Virtutis putat esse sua. Tu tergore in isto
Sæpius æthereos, per amica silentia noctis,
Spectasti studiosus equos: ubi Pegasus alas
Explicet, & gelida depromat tela pharetra
Phillyrides: equitesque istos miratus & arma,
Vidisti, tibi quos servet natura penates,
Quam pandant tibi fata domum; quà prævius ivit
Insignis pietate pater; cui stemmata, sanguis,
Nec tanti fuit illustri spectata theatro
Gloria, quam patria & veterum custodia legum,
Et pacis venerandus amor, prælataque Marti
Tranquilla sors læta toga: quà despicit orbem,
Qui nomen tibi scripsit, avus, laudabile Belgis
Nomen, & æternæ meritus præconia famæ.
Vive Heros; stimulosque tuis virtutibus adde.
Adde decus decori. subeant nascentia fratris
Incrementa tui, magni cui pondera belli
Dux Ligurum, atque suas partitur Spinola curas.
Quique mihi faciles aditus, & mollia fandi
Tempora concedis, nec vilia nomina spernis,
Accipe laudatum, sessor generose, caballum.

PRÆFATIO

In Epicedium sequens, ad SVECORVM GENTEM.

GEns invicta malis, nec tot satiata triumphis,
Quos meruit Regis Martia dextra tui:
Gens Batavis sociata meis, cape fœderis arrham,
Quam tibi plangenti nuncupat ore dolor.
Quem luges afflicta virum, lugemus eundem;
Et populos fati sors manet una duos.
Extulit hunc Sueonum tellus; nunc extulit Haga:
Extulit illa decus nominis, ista rogum.

Illa

Illa vices fandi dederat, dedit ista silendi:
Et, quæ non dederat præmia, sæva rapit.
Illa sibi priscæ repetens insignia famæ,
Nos solum exuvias mortis habere finit.
Quantum clara levi distat fortuna sepulchro,
Officiis distant, Tu, Batavusque, suis.
At nunc Belga canet, quos tu veneraris, honores,
Et tecum tumulo talia verba dabit:
Quem peregrina suis secrevit purpura Catthis,
Hic jacet, Arctoi nobile Regis opus.

IN OBITVM

IANI RVTGERSII, Serenissimi Suecorum Regis GVSTAVI, apud Fœderatos Ordines, Legati.

QVæ faciles, Fortuna, Deos, & numina mundi
Experta es satis æqua tibi, sceptrique favores,
Hunc luge jam mœsta virum, quem gratia divûm,
Sacraque regali venerata est purpura vultu,
Et latum dilexit ebur. cui munia fandi
Sarmaticis tribuit Facundia mersa pruinis,
Eloquiique vices, & de tot gentibus unum
Pro se posse loqui bellatrix credidit Arctos.
Omnis Hyperboreis collectus montibus humor
Liquitur, & totum in lachrymas, jam conscia mortis
Rutgersi venerande tuæ, tantique doloris,
Absorbet natura gelu. sua lumina condit
Parrhasis, & Scythico se vellet in æquore mergi,
Indignata tuos obitus. qui castra Bootes
Regia, & aratas spectavit nocte phalangas,
Victricesque acies, & victi fœdera Moschi,
Et stratum clypeis Dunam, sua sidera mœrens,
Et vigiles atra involvit caligine flammas.
Ipse suos Gustavus equos, bellique secundos
Successus remoratur ovans, tantoque furori

Dat

Dat veniam, & domitis jam ſaltem parcere terris,
Officium regale putat. qua caſside Corus
Diffregit duras hiemes, pluviaſque, niveſque,
Stat lacrymans, guttiſque humectat grandibus ora,
Ac manes vocat incaſſum, reverentia regni,
Ipſaque majeſtas aliquà ſuccumbit amori,
Nec lugens rex eſſe poteſt. Ignoſcite Divi,
Si ſceptris indigna loquor. miſereſcere fatis,
Et pietas in rege placet; nec nomina ſpernunt
Humanas auguſta vices, hominemque potentûm
Mentiri mens celſa valet. plorare ſuorum
Dis genitis potuere rogos, & ſævus Achilles,
Et pater Æneas, & qui fumantia latè
Pergama victori Priamus conceſſit Atridæ,
Iam mihi cernuntur Phœbi delubra cieri
Sedibus, & triſtes Helicon arceſſere queſtus.
Vultus Pegaſidum pallent, & languida mæſtis
Vix tollunt ſua colla jugis, Cirrhæque remugit
Limen, & attonita torpeſcens Gorgone Pallas.
Illa Iovis fugiens oculos ſolatia luctus
Deſpicit, &, preſſo lachrymarum fonte, reſedit
In Batavis, Superoſque truces, celereſque ſororum
Execrata colos, vicinum planctibus æquor
Verberat, ac tales exorſa eſt præfica voces:
Maxima jam pridem terrarum nomina fato
Damnavit vis ſumma Deûm, regumque minaces
Turribus invictas mortali robore dextras
Perdomuit, ruptiſque evolvit tempora penſis.
Tum clari periere Duces, infractaque bello
Pectora; quæ Veſper timuit, quibus occidit Eos,
Armaque captivus toties ſubmiſit Iberus.
At Martem dolor ille manet. tot fulmina belli,
Heſperioque recens tepidos à ſanguine manes
Luxerit Odryſius; cui duri ad Strymonis undam
Barbaricus puero cunabula præbuit Hæmus,
Threiciaque nives. me me placidiſſima tangunt
Funera,

Funera, nec dira pollutum cæde cadaver.
Exuvias Doctrinæ tuas, victuraque chartis
Busta queror, queror extinctas, pia numina, Musas,
Thymbræique patris cineres, ac muta deserti
Ora viri. calco totam sub marmore Suadam,
Et Charitum fatale solum, tumulumque potentis
Eloquii, ac celebrem magnis virtutibus urnam.
Illi prima rudes generosa modestia mores
Et nondum domitos ferventis pectoris æstus
Flexit ad obsequium: nec quid puerile licere
Credidit ista sibi curis gravioribus ætas.
Mascula doctorum sapuit sub voce Iuventus
Pieriis gaudens studiis. lasciva Vacunæ
Atria, Circææ spernuntur pocula turbæ,
Dum laudum decurrit iter, Phocæaque scandit
Culmina. tunc sacro labiis arentibus æstu
Castalii latices & vatum exhausta fuerunt
Flumina, & in media se proluit Hippocrene.
Iam Scaurus, rigidusque Caper, durusque Palæmon,
Et tristis ferulæ sceptrum, plagæque sonantes,
Et matutino subsellia rauca tumultu
Terruerant animum. patuit, qui rostra fatigat,
Orator Fabius. nec segnius hauserat olim
Atlantis præcepta sui Tirynthius heros,
Aut citharæ cantus Chiron persuasit Achilli
Thessalico permixtus equo. Tu maxime Vossi,
Cui sua Romulidûm pandit secreta vetustas,
Ausoniosque duces, effataque tempora mundi
Reddit sera dies, & Grajûm pulpita pulsans
Socraticas aperit celebris facundia portas;
Expedias tantæ felicia cœpta juventæ,
Ingeniique expande decus. tu prima peritus
Rexisti vitæ spatia, & per acerba laborum
Duxisti docilem leni moderamine mentem.
Te præeunte puer modulos, & nobile Flacci
Ad numeros saltavit epos, grandique Maronis

Insonuit

Insonuit sua metra tuba. tu mite TerentI
Eloquium, stricto servorum scommata socco,
Plautinosque sales, & amabilis orsa Menandri,
Exulis, heu, fontes elegos, Thespinque perunctum
Scire facis. tumido gradiens persona cothurno
Dat tragicos spectare modos, & cruda Thyestis
Fercula, quaque sibi furatur fecibus ora
Dardania regina domus. sed fata necesque
Bilbilici lenire joci, lenire Catulli
Passer, & illini potuit fera Lesbia cantu.
Horrida ridentis damnatur pagina Persi,
Et placet, immiti Latium qui lavit aceto,
Vexatus rauci scriptor Theseide Codri.
Nunc super Argolica pugnatum pellice bellum,
Et conturbatas Phrygio raptore Mycenas;
Nunc Lyrico modulata seni, nunc rura pererrat
Dorica: nunc rapidis victorum rapta quadrigis
Pindarica commenta lyra; veterumque Deorum
Progeniem: quos Ascra dies, quos gratior hymnos
Callimachus, latoque canat modulamine Sappho.
Vt Romam Cicero, timidas orator Athenas
Erigat, & Macetûm regi responsa remittat:
Qua Crispi sint sensa brevis: Cornelia quantum
Vis valeat dubios regnorum expendere casus,
Sejanique vices, & quali regna parentur
Ingenio, qualique iterum rectore fatiscant,
Vnius sit cura viri. nec prisca Cleanthes
Atria, mellifluosque negat cognoscere sensus
Phædrus, & arguto respondens ore Philebus.
Romanos rerum dominos, gentisque togatæ
Prima rudimenta, ac crescentis mœnia Romæ,
Excussos solio reges, mox libera Bruti
Imperia, & vario gestum sub Consule bellum
Hunc charta docuere graves. At mascula CurtI
Exposuit Pellæ victricia tela papyrus,
Eoasque acies, epotaque flumina Medo,

Et nimis ingrata passum sub rege Philotam.
Quaque sibi proprias evolvunt tempora voces,
Et genii simulachra sui: quos balba locuta est
Potitiis Carmenta sonos: quid Musa vetustum
Lucilii fremat, & quid verrucosa loquantur
Carmina Pacuvii, Calabrumque in montibus ortus
Ennius: ut medium detergat sordibus ævum
Augustus, fœdamque fuget Romanus Apollo
Barbariem, linguæque decus, pacemque Quirino
Restituat; donec Latio sua Vandalus ora
Miscuit, & Gothica striblıgine sorduit Auson,
Et poterat jam Roma sibi non Roma videri.
Pythagora monitus, doctaque silentia turba,
Et tantum sapuisse sibi, sprevisse nepotes,
Credidit esse nefas. gaudet mens fata futuris
Ignotas aperire vias, verique reperta
Non privata putat. solum laudabile dicit,
Quod commune facit. Criticas in bella cohortes,
Grammaticasque tribus, tristesque ob puncta magistros
Provocat, & longum libros diffundit in ævum,
Et sensus veterum, & labentia nomina seclo
Vindicat, atque alta mersum caligine verum
Eruit, ac querulâ socios exercet arenâ.
Iuliade, magni soboles augusta parentis,
Verona sublimis apex, qui rapta tuorum
Ornasti claris Musarum sceptra triumphis;
Temporaque & causas Grajûm digesta per annos,
Abramidumque dies, desuetaque secla dedisti,
Hac audi lamenta pater. tibi sæpè dolores,
Longaque decrepiti fastidia leniit ævi.
Tu juveni famæ stimulos, alimentaque laudum,
Tu studiis fomenta dabas, magnumque putabas
Hunc curis genuisse tuis. Rutgersius omnis,
Omnis in ore fuit Rutgersius. ille labores
Aspersis doctè salibus, fortisque levabat
Fata tua, durasque vices. non Thracius Orpheus

Suavius immitem cantu deliniit Hebrum,
Aut celeres blando remoratus pectine silvas,
Detinuit Rhodopen. Nec te quoque passus inultam est
Scoppia gens, quæ mendaci jejunia lingua
Et Latias redimis diris latratibus offas;
Scaligerosque duces, tantæque exordia gentis,
Illustres heroum animas, neque cognita nuper
Nomina, venali esuriens sermone lacessis.
Hæc inter dum cuncta viro delubra patescunt
Pieridum, & totum spirant præcordia Phœbum;
Cæsareas Astræa fores, edicta Quiritum,
Et Byzantini retegit suffragia regni:
Quo fundus sit jure meus: qua subdolus hæres
Lege cadat: cur læsa fides vadmonia poscat:
Quo vitio solvatur hymen: quæ fœdera Cypris
Horreat, & quali damnet perjuria voce
Rhemnia lex. magnis applaudit Gallia cœptis,
Atque aliquam meritis mercem latura laborum,
Pura mente favet. Themidos sacraria mystam
Ingeminant, titulisque decus famulantibus augent.
Nec tamen ancipites illi sub judice causæ
Præcidêre diem; nec matutina molestus
Tempora consultor rapuit; non vocibus emptis
Curia felices lassavit mobilis aures.
Non querulas chartas, non testamenta resignans
Distendit mala turba togam; nec dextra rotavit
Carminis horrendi folia, & jam puberis ævi
Sollicitas de dote preces. procul illa laborum,
Fortunatæ virûm, pepulit fastidia felix
Suecia, & invisis expunxit nomina rostris.
O quantum imperiis secreti numinis addit
Doctrinæ venerandus amor, quantamque rependit
Musarum fortuna vicem. Iam regia laudes
Audit, & augustum feriunt præconia limen,
Et terras, Scritofinne, tuas. spectabilis ostro
Belgarum populis Princeps responsa daturus

Malnit

Maluit esse suum. longè sua præmia sperat,
Quem puduit latuisse domi. procul ibimus, inquit;
Quo sortis vocat aura meæ. quem patria discors
Negligit, Arctos habe. sequimur te, maxime Regum,
Et supplex tua sceptra colo. quascunque per oras
Me tua jussa vehent, vel tempestate furentem
Nerea, vel duro concretum frigore Volgam,
Lappionumque truces vultus, & sæva ferarum
Pellibus ora feram. glacialia sidera spernam,
Dum sidus sit mite tuum. sic deserit arces
Battavicas, cœlumque suum, Zephyrisque secundis
Frangit Hyperboreas remis properantibus undas,
Et varias portans Sueonum mandata per oras,
Sarmatici latus sulcat vada cærula ponti.
Nec tamen aut placidos invisa superbia mores,
Aut crescens subvertit honos. non gratia regum
Dissimilem facit esse sui. fastigia laudum
Deprimit obsequiis, & quanto major habetur,
Officiis studet esse minor. virtutibus ornat
Oratoris opus. domino secreta potentum,
Et tacitos aperit motus: in fœdera reges
Advocat; externi pandit commercia mundi:
Nunc sociam deposcit opem, nunc regia spondet
Arma laboranti patriæ; nec vana suorum
Vota precesque sinit. quicquid sperare jubetur,
Mox tenet, & surdas expugnat pervigil aulas.
Iam Taciti consulta probat. jam noscitur usu
Tullius; imperii varios se fundit in actus
Crispus, & Annæi monitus, exemplaque Livi,
Ac veterum nostro spectat sub sidere scenas.
Dicenti nunc verba Liger, nunc commodat ora,
Qui Vahalim Mervamque bibit, Rhenumq; bicornem,
Et qui Teutonicas medius secat Albis arenas,
Finnorumque maris populi; nec dignius unquam
Roma triumphantes meminit dixisse Quirites.
Fare, precor, talem si te genuisse nivosis

Iactas.

Iactas Savo jugis? non hac tibi nomina debet
Belgica. depositum Batavus tibi credidit ingens,
Et voluit te posse frui. Iam grande reposcit
Pignus amicitiæ; & tecum dum commoda regni
Dividit, hos solum cineres, hac propria Belgis
Funeris ossa putat. satis est audisse loquentem,
Orantem stupuisse satis. sic profuit orbi,
Sic tibi; seu pavidos cum victrix Austria Bojos
Exuit, & trepida miles bacchatur in urbe;
Seu cum Cattigenûm proceres ad mutua flectit
Auxilia, & sociis firmat tua fœdera frenis.
Me luctus lachrymaque manent. tibi prisca fatiscit
Gloria. Tota trahit ferales Botnia taxos,
Dumque rogum simulat, (nam servat Belga cadaver)
Vndique funereas altis de montibus ornos,
Fraxineasque trabes, piceas, & mœsta cupressi
Robora devolvit, laticesque & thurea dona
Affundit cineri, dicitque novissima verba:
Ille per Elysios latus spatiabitur agros,
Quaque suis errant doctorum sedibus umbræ,
Et Phœbo sacrata cohors, manesque diserti,
Iuliadem quæret, vigilesque hebetantia sensus
Exutus jam membra, animæ miscere reperta
Se cupiet, fortisque suæ felicia multùm
Fata recensebit, regalis munera dextræ,
Et numen, Gustave, tuum. mox obvius ibit,
Non jam vota fovens, facilis contextor Iambi
Baudius, & quali gravitate affatus Elisam est,
Terrarumque Deos, lucis egressus opacis,
Ibit in amplexus, reliquisque aversus ab umbris
Huic uni vadet socius. veneranda Thuanus
Ora feret, Druidumque volet cognoscere motus,
Iunctaque Ligeris Brittonum fœdera sceptris.
Felices gaudete animæ, quas sera nepotum
Fama vehet, memorique suum decus afferet ævo.
At questus audite meos. Rutgersius hosce,

Audiat hos absens gemitus. postque inclyta Regum
Funera, & Auriaci ploratos carmine manes,
Nunc etiam nostri cupiat pars esse doloris.
Tuque adeò, quem tota suum sibi vendicat Hellas,
Et Latium, ac pura Permessius proluit undâ,
Heynsiade, venerare rogum; divulsaque luge
Pectora, & iratis Parcas ulciscere Musis.
Dixerat: ast illam Batavûm de littore turbo
Ocyus abripuit. qualis mandata Tonantis
Exequitur, levibusque volat Cyllenius alis,
Proscinditque Notos. non hanc remorantur euntem
Nubila, non venti, tempestatumque procella.
Iam Frisios, Chaucosque, & prætervecta Cheruscos,
Quosque rigat regum indignatus castra Visurgis,
Et refluis pater Albis aquis, Cimbrosque feroces,
Codanique sinus populos, quà Riga profundo
Imminet, & mediis posuit tentoria castris
Rector Hyperboreus, Dea constitit. Ille ubi sensit
Palladis ac divûm monitus, afflataque cœlo
Pectora, secum animo volvit, quis posthuma rerum
Pondera sustineat, Batavis quis sedibus alter
Fulciat Arctoum facundis vocibus orbem.

PRÆFATIO
In Epithalamium sequens ad Sponsum.

CVm glacialis Hyems Sponsam sociasset amanti,
Scripsimus hæc mediis carmina frigoribus.
Penè mihi nocuit Cypris dilata poëtæ;
Dum genitum brumâ, vere poëma legis.
Adspicis, ut gelidos referant exordia menses,
Hybernasque bibant ultima verba nives?
Tunc mihi tu Sponsus, tunc dicebaris amasse,
Faverat & votis pronuba Iuno suis.
Et mea, nescio quo Phœbi commota furore,
Adfuit in thalamos Musa vocata tuos.

Si tibi displicuit tardans Hymenæus amores,
Et mihi difficiles, crede, fuere moræ.
Nunc operæ periere meæ, periere Camœnæ,
Temporibusque minus convenienter eunt.
Peccamus gemini, nimiũ tu lentus amando es,
Sum nimis in thalamos officiosus ego.

IN NVPTIAS

CONSTANTINI HVGENII Equitis, Illustrissimo Principi Auriaco à Secretis.

Clara Parethonii sileat miracula Nili
Memphis, & irriguo fecundas gurgite terras.
Egelidos alibi latices, concretaque duro
Saxa gelu, & solo mutatas frigore quercus
Desine mirari Latium, coctasque sub ipsis
Vorticibus Iudaa dapes. liquefacta Lyaum
Castiget glacies, rabidi sub sidere Cancri,
Et rigidas hyemes astas, ac munera bruma
Imbibat humenti Procyon contrarius Vrna.
Nil Constantino nobis jam conjuge mirum.
O cœli terraque vices: dum flumina passim
Stricta rigent, Batavoque calor proscribitur orbe,
Ille calet, primosque dies effeminat anni.
Vos, quibus arcani rerum patuere recessus,
Dicite, cur fervens Astraa virginis astrum
Displicuit thalamis, Venerisque caloribus apti
Tyndarida? cur non mores edoctus amantum
Eligitur petulans Aries, matrumque subactor
Magnanimus? cur astra placent glacialia Sponsis,
Et juvenis gestator aqua, Piscesque supremi?
An dilecta Iovi soboles melioribus uri
Corda monet flammis? aliosque exuscitat ignes
Iliacus puer? an medio plus frigore fervet,
Secretum quodcunque latet? centrumque repulsus
Ardor habet, partesque calor secessit in imas?

An tibi, quæ spatiis noctes ingentibus horæ
Extendunt, jam Sponsæ placent? lucemque tenebris
Postponit pudibunda Venus? ne gaudia turbet
Phosphorus, & celeres properans Aurora quadrigas.
An velati media rabiem Leander in Helle
Fregit amans, cupidique faces restinxit amoris;
Tu quoque frigoribus flammas moderaris, & ignes,
Quamque adamas, sapienter amas? primosque furores
Prudenti ratione domas? nec læta juventæ
Robora lascivo cupis indulgere labori?
Scilicet illa sua tenerorum lusor amorum
Dictavit præcepta Scholæ. discrimina Cypris
Inconsulta creat, Paphiæque licentia matris
Officium sub lege facit. sua tempora constant
Conjugibus, sapiensque morâ sufflaminat æstus,
Crebraque mox rediens amat intervalla Cupido.
Viderat hic Batavo tantos feliciter ausus
Successisse Duci, dominisque potentibus aulam
Crescere, spesque novo populi rectore renasci,
Cum pharetratus ait: Iam te quoque tollere tædas
Hugeni mea vota volunt: qui jussa capessis
Principis, huic etiam studiis famulantibus adsit
Obsequiosus amor: tales dum gignere cœptat
Nassovio natura Deos, tu pignora tantis
Officiosa Diis genera, decorisque paterni
Hæredes, famulosque Ducum protrude nepotes.
Non didicisse meas artes, cunctosque Diones
Decantasse dolos satis est. Parnassia per te
Templa sonant, scriptusque tuo sub pollice sæpè
Indoluit contemptus Hymen. nunc exue vatis
Ingenium, partesque novas ordire mariti:
Lætaque te videat venientem à limine longè
Virgo procum, tardasque moras objectet amanti,
Et facilem cupiat sibi subrisisse poëtam.
Est genitrix Erycina mihi: juvenisque puerque
Nuncupor. at quamvis teneris imberbis in annis,

Frango

Frango corda virûm. sunt hac excussa Tonanti
Fulmina sæva manu; rabidi sub imagine Tauri
Virginem Agenoream rapui, sub imagine Cygni
Leda Iovi sociata fuit, Satyrusque misellam
Antiopen, pluvius Danaen, aquilâque fefelli
Asterien. vis nostra tua de gente trophæa?
Vis domitos vates, & victas conjuge lauros?
Ecce Deus vatum juga per Peneia duram
Insequitur Daphnen, flagratque poëtica Sappho,
Æstuat Alcæus: Clario dilecta poëta
Fervida Lyda furit; docti lyra languet Horati,
Lydia cum Flaccum recreat: cantata Catullo
Lesbia cantari meruit, famamque redemit
Basiolis lasciva suis: adamata Corinna est,
Et spolium tantæ rapuisti Naso puellæ,
Illicitis audax thalamis. placuisse Tibullo
Sulpitiæ potuere genæ, risusque Neæræ,
Et Nemesis sine labe pudor. vis altera secli,
Et populi documenta tui, dilectaque Phœbo
Nomina; sidereos Hyados qui scripsit ocellos,
Vritur in Morinis: Naugerius arsit Hyellam,
Castilio Hippolyten: redamantem Cotta Lycorim.
Stroza furit, cessit Batavo sua Rossa poëtæ:
Grotius erectos animos submisit amori:
Quique mihi toties genialia carmina dictat,
Barlæi foribus bis ter suspensa corona est.
Sunt tibi communes istis cum vatibus unda
Castalidûm, sunt & communia numina Musæ,
Communes hederæ: sint & communia vobis
Iura thori, facibusque suis præluceat Hymen,
Nec foliis marcescat amor. plus nupta puella,
Quam cantata juvat: stimulosque ferocius urget
In thalamos admissa Venus. quæ pagina prurit
Lusibus, in vanâ fingit sibi gaudia scenâ,
Et frustra tua vota fovet; velut ille fugaces
Tantalus optat aquas, & sæva fercula mensæ

Appetit, & vacuo sectatur gutture pomum.
Dixerat hæc facundus Amor, monitisque Deorum
Constantes cessere animi, tedasque perosum
Pectus inoffensos altè jam concipit ignes,
Admittitque Deum venis. Hugenius ardet,
Clamabam, fietque pater. sedet ille, novasque
Incubat in curas, & priscas negligit artes,
Et gaudet minus esse gravis. venerabilis aulæ
Exuitur facies, gravitas subsidit amori,
Hunc proprii mores, mores sua verba sequuntur.
Nil nisi molle sonat, placidum, sociale, remissum,
Nulla sede manet. pendent oblita magistri
Barbita muta thoro, nec tacta pollice chorda
Dediscunt resonare melos, delapsaque tecto
Securos fidibus subtexit aranea casses.
Scandit equum; laxo sonipes vestigia freno
Lenta legit, dominique piger parere recusat
Mitibus imperiis. illum sperata voluptas,
Attentumque tenent speciosa virginis ora,
Et vultus, quos fingit amans. Si tempora Musis
Commodat, in molles elegos deflectit amantum,
Totque poëtarum libris decerpit amator
Nasonis titulum, quæritque in amoribus artem.
Cum legit astuti fraudes & carmen Acontî,
Cydippen hac arte petat: jam carcere clausam
Poscat Hypermnestram: jam terret Iasonis uxor,
Exemplumque timet: jam Laodameja labantem
Erigit, exemplumque probat. jam rursus amare
Desinat, exemplo Canaces; nisi lecta modesta
Littera Penelopes tam casta conjugis illi
Spem faceret. fidei miratur nobile pignus
Hermionen; iterumque furens quid femina possit,
In Didone stupet, fatisque ruentis Elisæ
Ingemit. at charam non sic ego Phyllida spernam,
Demophoon iratus ait. tu Sesta puella,
Quæque ab Abydenâ tibi littera mittitur urbe,

Tota

Tota placet. quacunque domi sunt obvia, sordent,
Meque etiam peregrina juvant. absentis amicæ
Acrius est studium, & raro conspecta furores
Exacuit. vos Haganæ secedite matres,
Vicinæque nurus: mihi quæritur altera Sestos,
Altera Abydos erit. terra sejungar? an undâ?
Vnda nocet, nocuit Leandro fluctus & æquor.
Sufficiant mihi tuta meæ discrimina terræ.

Vrbs jacet in Batavis, totum celebrata per orbem,
Dives opum, legumque potens: si Pergama jactant
Autores antiqua Deos, hæc mœnia Divûm
Dic quoque structa manu. Venetos miramur in undis,
Oceanoque domos, atque emergentia stare
Saxa mari: sed & illa cavas fulcire paludes
Tecta vides, mollique exurgere culmina limo,
Et vastam niti sylvis ingentibus urbem.
Hic sua Neptunus tumidarum rector aquarum
Regna tenet, totique minax dat jura profundo.
Hic aperit portus, Gangisque, & divitis Indi,
Hostilisque Tagi spoliis exultat opimis.
Hic Arabes, durique Getæ, Cimbrique feroces,
Et Persæ molles, & fertilis accola Nili,
Totque Afrûm populi, & braccati corpore toto
Lappiones, hospesque Padi, potorque Suevi,
In commune forum coëunt. hic venditur orbis,
Hic emitur, mercesque suas extrudit & adfert
Mercator vagus, & longinquæ munera terræ
Vectat opes pelago. præses Cyllenius urbi
Imperat, & multo locuples splendescit in auro.

Huc ubi corripuit gressum, & surgentia passim
Tot cœlo delubra videt: nova mœnia condi,
Fervere strata viris; distentas mercibus alnos,
Turritosque apices, & victam compede Tethyn,
Amsteliosque lacus. Non hæc mihi, dixit, amantur,
Spesque meas implent. luxum damnate coloni;
Hos ego nunc unâ proscribam virgine fastus.

Dum lequitur, Barlæa venit, (seu casus eunti
Obtulit hanc, seu fata pios moderantur amores,
Et thalamis Deus Author adest) non turgida gressu,
Demissis pudibunda oculis. adsperserat illi
Blandum aliquid Cytherea favens, moresque pudicos
Finxerat Euphrosyne. placidi reverentia vultus
Fecerat invidiam formæ. capit ille secundi
Augurium geniale thori, & læta ora pererrans
Virtutum simulachra videt Charitumque labores,
Ingeniique notam, secumque hac talia fatur:
Te sequar Amstelia gentis decus, inque tuis nunc
Fixa pedum ponam pressis vestigia plantis,
Atque umbræ spatia ista tuæ relegamque, premamque,
Ne cupidis oculis, ne quà elabaris amanti.
Tu patrios cynosura lares, tu limina monstra,
Mox adeunda mihi, primos cum Vesperus ignes
Extulerit, Phœboque meos testabitur ignes.
Successus doctrina juvat mellitaque tanti
Suada viri, variumque sibi facundia schema
Fabricat, & gaudet sic persuasisse puellæ.
Dixisti: Sum virgo tuus. nihil illa regessit.
Dixisti: Sum virgo tuus. subrisit amanter.
Ter dicis: Sum virgo tuus. penè annuit illa.
Moxque iterum dicis: Solve hunc mihi virgo dolorem,
Et vitæ me redde meæ. suspensa labascit
Virginitas, & victa ruit constantia verbo:
Sum tua: me sponsam, te sponsum eliminet Hymen.
Felices animæ; quali socianda marito
Ingrederis Barlææ domum, pilentaque scandis
Aonidum vectura decus. tu conjuge in isto
Pierin, & cunctas aufers pro dote Camœnas,
Ipsaque Thymbræum donant sponsalia Phœbum.
Quæ propior Ducibus facies? quis gratior aula?
Quanta salutantum foribus præludit in ipsis
Turba petax; cui Nassovii responsa benignus
Et rescripta ferat. Iam te venerabitur Haga,

Nomina

Nomina laudabunt vates: jam clara poëtæ
Vxor eris, decorisque sui dat jura Britannus.
Nec tu Sponsa minor propriis insignibus annos
Illustras, sexumque tuum. sit Portia fortis,
Sit Cassandra sagax, venturi præscia Manto,
Doctaque Papinii conjux, celebresque Corinna,
Te nostro pietas spectabilis eximet avo.
Lætior intereà vicina per oppida tædas
Fama vehit, glacieque rigens pater Amstela Tejæ
Nunciat, ille mari, lateque patentibus undis.
Non Tamesin Galatea, nec hoc nescire Garumnam
Cymothoë voluit. Tyrrhena per æquora Triton
Insonuit thalamos conchâ quascunque per oras
Pierides vexere virum, communibus omnes
Applaudunt animis, votisque faventibus adsunt.
Quod si Vere novo, & Zephyris perflantibus orbem,
Fœdera junxissent Superi; viridantibus Haga
Annueret foliis, cantataque porticus umbrâ
Par calidum gelidâ tegeret, tiliasque superbas
Glandiferoque cavas agitaret vertice quercus.
Nunc, quod sola potest, pulchrâ vestita pruinâ
Candet, & oppositos recreat candore penates.
Et licet inviso rigeat sub frigore cœlum,
Vult aliquà prodesse tamen. nova sidera nuptis
Parturit, hybernasque faces extrudit Olympus,
Innumerisque micat flammis æstate negatis.
At te felicis præsagia prospera lecti
Constantine juvent, &, cum te Sponsa maritum
Mox faciet, poscetque isto de patre nepotes,
Amplexus inter faciles, risusque jocosque,
Intempestivum poteris risisse poëtam.

PHALEVCVS ad Sponsum.

Quot tu carminibus canis puellas:
Quot laudas Batavûm Batavus urbes:
Quot taxat tuus ordines character:
Quot pulsas fidibus chelyn canoris:
Quot terras populosque permeasti:
Quot linguis loqueris diserte vates:
Quot pernox numeras faces amator:
Quot te candiduli colunt sodales:
Quot tu candidulos colis sodales:
Quot leges veneraris Vlpianas:
Quot signas tabulas petacis aulæ:
Et quot basia perlegis Catulli:
Tot jam basiolis bea maritam;
Tot te basiolis beet marita.
Et post millia basiationum,
Post tot murmura, post leves ocellos,
Post flexus, helicesque brachiorum,
Fac, quod fas sinit haud negasse Sponsam,
Vni dicere sit pudor poëtæ.

PROPEMPTICON,

Ad Nobilissimos & Generosissimos Dominos, D. IOANNEM GEORGIVM, & VVENCESLAVM CIGAN, Fratres, quum relicta Batavorum Academia Silesiam repeterent.

Magne maris Nereu domitor, qui gurgite vasto
Battavicis gelidam secludis finibus Arcton,
Et procul offensi victrices Cæsaris iras,
Et debellatum spectas è fluctibus Albim:

Tuque,

Tuque, per aquoream pandens tua littora Tethyn,
Terra potens, mediumque bibens Germania Rhenum,
Sumite depositum, Batavis quod reddimus oris,
Nec vestros violate deos. compescite Martem,
Et strictos geminis avertite fratribus enses,
Si veniam meruit pietas, si nescia fraudum
Pectora relligio est manibus temerasse profanis.
Non nostrum est, quod fertis, onus, sed nomina vobis
Et patria sperata sua, quibus otia tellus,
Et conjurati spondent sua commoda venti.
Sat pelago trux saevit hyems, & bella minantes
Disjecit Iovis ira rates. hac pacis alumnos
Cymba vehit, solumque ferunt pia carbasa Phoebum.
Cadibus Europa maduit caput, efferus ensis
Vangionum tristes maculavit sanguine terras,
Et Bojos fato domitos. sua damna triumphans
Austriacus dolet, & victrix fortuna suorum
Morte cadit, propriosque obitus ulciscitur ultrix.
Hoc regum trahit ira nefas, sceptrique furores
Insons turba luit. sed vos jam parcite dextra,
Assuetaque malis anima, tinctaque recenti
Cade manus, donec tantum Silesia pignus
Possideat, Viadrusque suas exponat in oras.
Ambulat innocuus candor, generosaque mentis
Simplicitas, doctosque agitans prudentia sensus.
Nec sapiens, qua vulgus amat. nil castra morantur
Aonides, neuterque suâ cum Pallade Apollo est.
Praesidium doctrina petit, nec noxia cuiquam
Nobilitas faciles poscit per compita gressus.
Ciganei proceres patriis confidere terris,
Et reduces adolere parant altaria donis.
Magna loquar, migrant celebris charissima Leyda
Corcula, & externa clarissima nomina gentis,
Et Batava telluris honos. agnoscite Belga,
Quas dudum servastis, opes, quas Odera vobis
Credidit, & nostris formandos misit Athenis,

Scilicet est aliquid peregrinos visere Soles,
Nec tantum sapuisse domi. mens libera quærit
Exilia, atque foris positum miratur honestum.
Illa Deûm sedes, Superûmque invita penates
Mortali mutavit humo, mox corpore rursum,
Carceribusque abitura suis. cur horreat orbis
Particulam mutare aliâ? cur semper in uno
Stare loco, patriaque velit se affigere glebæ?
Vndique, quà geminos tollit, vel deprimit axes
Natura mundique labor, quaque incubat undis
Fornicibus domus alta suis, virtutibus ingens
Porrigitur spatium, nec fervens cura sciendi
Sistitur, ulteriusque cupit furor iste vagari.
India bis geniti redimivit tempora Bacchi,
Argolicosque duces, & Graja nomina terræ
Thessalicus pellexit ager. Tirynthius olim
Hospes in extremis consedit Gadibus heros,
Alcmenæ matrisque satur. defossa metalli
Pondera in ignoto Batavûm solertia mundo
Quærit, & immensum circumfert vela per orbem.
Non Ithacum tenuere lares, geminosque Mycenæ
Atridas, abiit Latio dimissa Iuventus,
Cecropidumque stetit tandem novus advena portis.
At vos Hercyniis vicinas saltibus arces
Liquistis fortes animæ, Belgasque videndi
Causa fuit magno libertas Principe tuta,
Nec victa regionis amor, sacrataque Musis
Limina, & in mediis nascens sapientia bellis.
Non hic fallacis scelerata insania secli
Aspersit labem generi, non improba Siren,
Nec Circe potuit castas inflectere mentes,
Aut scelerum suadere modos. dulcissima vitæ
Otia Romanæ rapuerunt tempora chartæ,
Et modo surgentis Romæ, modo fata cadentis.
Quin ubi majores mens volveret ardua curas,
Socratica dulcis Sophiæ latuistis in umbrâ,

Aut Themidos sacro didicistis jura recessu,
Et veterum nostro versastis sidere leges.
Nunc Patriæ vos cura vocat, blandique penates,
Bellorumque immune solum. jam grande laborum
Terra parens designat onus, subductaque Marti
Imperia, & claros offert respublica fasces.
Illustres virtute viri, nec sanguinis ortu
Degeneres, proavûm nulli splendore secundi,
Felici remeate gradu. nos prospera vobis
Vota damus, fremituque afflamus vela faventi.
Cymothoë placidis calcans vada cærula plantis
Sternit aquas, toto subsidunt æquora ponto,
Assilienque rati proram levis alluit unda.
Et, quia sacra Deis fratrum concordia, fulgent
Placatos inter Pollux cum Castore fluctus.
Ipse etiam Æolio dimissus carcere sentit
Iussa Deûm, laxatque sinus, & vela secundus
Auster, & à puppi surgens comitatur euntes.
Et jam læta novos recipit Silesia vultus,
Et dominos vehit Elsa suos, jam Nissa fluento
Luxurians sociâ gaudens lascivit in urbe,
Aggeribusque excussus abit. jam Ciga triumphans
Civiles vestro damnat sub nomine rixas.
Illic consiliis populos, & legibus urbes
Flectite, ad exemplum moderantûm cuncta Deorum;
Seu pacem fortuna dabit, seu barbarus hostis
Inferet Hungaricis funestum finibus ignem,
Et turbata quies districtos porriget enses.
Illic Auriaci magna ornamenta Lycei,
Et seris victura etiam memorabitis annis
Nomina. ut, Ausoniæ decus immortale loquelæ,
Vindicet æternos Batavis Cunæus honores.
Et Latii genium, & priscas promittat Athenas.
Illic Barlæi faciles in carmina Musas,
Et Vossi facunda mei narrabitis ora.
Mox ubi festa dies hilari decurret Iaccho,

Augustos inter proceres, cognataque vobis
Stemmata, Battavicæ referetis robora terræ,
Hinc pelago cinctos populos, hinc milite tutum
Aut Mosa Vahalique latus: duo fulmina belli
Nassavios: pulsum obsessis à mœnibus hostem:
Occiduis nuper victos in partibus Indos:
Et tandem captæ obsidium memorabile Bredæ.

Ad Nobilissimum Virum D. CONSTANTINUM HUGENIUM, Equitem, Febre correptum.

DI, quibus imperium est vitæ, Batavûmque salutis,
Tuque Deo prognate puer, quo vindice rursus
Ostendit laceros lætis mortalibus artus
Hippolytus, tantosque potens medicina dolores
Leniit, & vanos obitus risere quadrigæ:
Incolume hoc servate caput, quo sospite gaudent
Aonides, hederamque comis, laurumque capillis
Implicuere Deæ; cujus Parnasia late
Carminibus delubra sonant: nec sola disertos
Addidicit gens nostra modos; cui Gallus & ipsa
Mancipat Ausonias Cypris festiva Camœnas:
Nec generosa suos vati subtraxit honores
Albion, & Latiæ permiscens verba loquelæ
Vandalus indomitos juvenum dictavit amores.
Quid mihi fatales Lachesis, festina nocendi,
Præcipitas irata colos? cur stamina velox,
Dignaque perpetuâ florentia fata juventâ
Mortiferis adflas odiis, & sidera morbis
Et totum vesana malis adspergis Olympum,
In charos violenta lares. arcessite manes
Numina, & infesti pateant tot febribus hostes,
Et secli secura cohors, quibus otia Soles,
Virtutumque trahunt lentas fastidia luces.

Hi pe-

Hi pereant, queis vita perit: queis fama vacillans
Ægrotat, marcetque levis flos integer ævi,
Nec patriæ sapuisse placet. cur corpora constent,
Queis animæ vis celsa labat, vivisque fatiscit,
Et moritur pars magna sui? sat juris in illos
Mors habet: hi tremulo ducent vestigia gressu,
Quos sanos vixisse pudet. vos nobile pignus,
Vos Batavis servate virum, quo Belgica vate
Gaudet, & æternis inscripsit nomina fastis
Cattus, & antiquæ reparat dispendia linguæ.
Hos vetuit sua Musa mori, fatique triumphis
Eximit, & cœli donat clementia seclo.
His nascens Aurora jubar, primosque jugales
Commodat, his facilis pandit sua lumina Titan,
Et vigiles demulcet equos: his provida seros
Continuat natura dies; inimica fugantur
Sidera; mansuetis famulatur nubibus æther:
Morbidaque avertunt memores contagia Musæ.
Phœbe pater, totum medico cui sufficit Hæmum,
Odrysiumque nemus, Patareaque rura ministrat
Terra parens, ægri cessas memor esse poëtæ?
Nec te docta chelys, totumque audita per orbem,
Trans Ligerim, Rhodanumque, Alpinaque culmina, (colles
Oxonios, tetigisse potest? cur nostra moraris
Vota Deus? tu consilio fulcire ruentem,
Tu sanare potes. tu mitia sidera nosti;
Totque soli cœlique vices; quæ tempora Luna
Designet fatale jubar: quo lumine prosit
Signifer, & quali Stygiis revocentur ab oris
Pallentes virtute animæ. non Lemnia tellus,
Aut Cretæ te gleba latet: non divitis Indi
Balsama, non pingues succi, quibus ipsa sororum
Pensa trahas, ducasque tuo sub pollice fusum.
Respice quà lætis frondet sub saltibus Haga,
Et gelidam præbet turbis spatiantibus umbram,
Quà meus afflictos languens Hugenius artus,

Affectamque animæ sedem, atque ignava tuetur
Membra dolens. blandum capiti circunde papaver;
Succurrat Panacea favens. ne turbida Morpheus
Objectet simulacra vagus: ne vanus inani
Phantasus illudat specie, vel sæva Phobetor
Ora ferat: lenes restaurent robora somni,
Et medicis valeat serpens Epidaurius herbis.
Redde virum nobis, reddas tibi, redde Deorum
Concilio, Batavûmque duci. tu vota secunda.
Intereà absentem mœrens affabor amicum.
Heu Patriæ spes magna jaces, pigroque cubili
Languidulum demergis onus; nec gratia vultus
Pristina, nec solitam generosa modestia frontem
Explicat: immites urunt præcordia febres,
Distendit fera flamma caput, vicinaque menti
Lancinat æthereis cognatam sedibus arcem.
Hei mihi qualis eras, cum circumfusa loquentem
Curia, cum læti spectarent ora clientes,
Dictaret responsa Themis: tibi plauderet aula,
Gauderent te rostra viro. Iam dextera languet,
Cui toties descriptus amor, Venereſque, jocique,
Et quicquid Cytherea probat, fallaxque juventæ
Ingenium: quæ laudet amans, quæque oderit idem?
Quæ cupiat, nolitque furens. vis tanta resedit,
Nec vatem sinit esse calor. pejorque furorem
Obtundit, Phœbumque furor, flamma altera flammam,
Faxque facem. non labra siti tibi torrida fontes
Castalii, Cirrhæque liquor, sed pharmaca mille
Simplicibus decocta rigant. nunc altera potas
Flumina, nunc tetricus tibi fastidita Machaon
Fercla parat, dubiasque docet dediscere cœnas,
Aut Curii præscribit olus: vel quale sub ipso
Fabricius consulque bibit Serranus aratro.
Iam vegeti nutant gressus: nec limina calcas
Auriaco calcata duci. jam Principis hærent
Et Domini rescripta tui. suspensa canorum

Iam

Iam damnat testudo melos, fidibusque remissis
Tristia languenti resonat lamenta magistro.
Adspice mortalis fugientia secula vitæ:
En fragile est, quodcunque sumus: dum vivimus, inter
Mille modos lethique vices versamur, & unus,
Vel levis, ad mortem nobis suffecerit error.
Non tituli, gentisque decus, non tacta Deorum
Colla manu, aut Tyrio saturata murice vestes,
Non totam complexa Themin, non ebria Phœbo
Pectora ab ægroto deducunt corpore febres.
Diffluimus gens nata mori, pariterque serenum
Ordimur cum morte diem: quâ vescimur aurâ
Fati caussa latet, secretaque semina lentos
Constantine fovent obitus: sua funera secum
Circumfert moriturus homo: suspiria, tusses,
Et luctus, fomenta malis, & pravia præbent
Instantis documenta rogi. Mens sola Deorum
Expectat secura domos, & conscia cœli,
Quas optat, meditatur opes, nec noxia tabo
Sidera, nec diris minitantem afflatibus æthram,
Astrorumque timet vultus: capit illa laboris
Lenimenta sui, & magni promissa parentis
Versat, & ingentem volvit sub pectore Christum.
Hæ subeant animo voces, hæc sensa superstes,
Hosce tuo languens monitus concede dolori.

Ad Apollinem, pro restitutâ CONSTANTINO HVGENIO valetudine.

CARMEN VOTIVVM.

PHœbe pater, cujus triplici sub numine numen
Et Claros & Tenedos coluit: cui carmina cordi
Et jaculis armata manus, victrixque labantes
Instaurat medicina dies, ac languida motus
Debet vita suos, ereptaque nomina letho:

Iam grati tibi thura damus, Rhenique sub ipsis
Finibus accensis fumant altaria donis,
Et Batavûm tibi flagrat ager; dum læta renidet
Auxilio natura tuo, & properantia sistens
Stamina, fatales hoc saltem in corpore luces
Despicit, & magno producit lumina vati.
Agricolæ lectis Cereri de rure maniplis
Sacra ferunt, placat Bacchum caper omnibus aris,
Odrysium taurus, magno centena parantur
Busta Iovi, Triviaque truces delinit iras
Cerva cadens. Tibi nos priscos mactamus honores,
Taurumque, & raptas calidâ de matre bidentes,
Quosque sacrat tibi Persis equos. mihi Pegasus alter
Fundit aquas, aperitque sacri fastigia montis
Vngula, quo totos despumet pagina fontes
In laudes Thymbrae tuas. tu carminis audis
Vota mei, sospesque tuis Hugenius herbis
Rursus inoffenso ducit vestigia gressu,
Iamque redux à morte valet, Musisque renasci
Incipit, & lentas cantu proscribere febres.
Qualis ubi æstivas insana Canicula messes
Verberat, inflexo nutant Cerealia collo
Pondera, & arentes succumbunt ignibus agri:
Tum melior postquam aura diem, fecundaque longas
Dispulit unda faces, redeunt sua robora culmis,
Vita satis; & quæ poterat periisse videri,
Spes dominum rediviva levat. non sola vetustas,
Mæonidesque pater, vel sacris nobilis hymnis
Callimachus tua facta canet; tibi tempora dicent
Votivum quoque nostra melos, tibi scribimus hymnum
In Batavis, tanguntque pios tua numina Belgas.
Plus Deus Hippolyto sanas, quem ludicra vatum
Discerptum commenta stupent, superisque renatum
Mendaces cecinere tubæ. plorata reducit
Funera, & extinctum falsis Epidaurius herbis
Excitat Androgeum, & Troja sub mœnibus altis

Ficta Philocteta sanavit crura Machaon.
Cedat Phillyrides, Amythaoniusque Melampus,
Et Grajis qui praestat opem Podalirius aegris.
Tu cunctis plus Phoebe juvas, diruptaque penè
Federa tot vatum reparas. sanantur in isto
Corpore Pierides: afflictaque brachia laeta
Permiscent Charites. animâ Barlaeus in illâ
Sospes abit, vivitque iterum: communis utrique est
Vna salus, commune decus: languescimus iisdem
Deficimusque malis: rursumque juvamur iisdem
Erigimurque bonis. haec sors redamantis amici est,
Hic Pyladem testatur amor, devincit Orestem,
Pirithoumque fides. En quanto patria plausu
Laetitiae dat signa suae. venerabilis aula
Gaudia dissimulat Princeps. dulcissima mater
Non morbi spatia ampla dolens, sed cuncta salutis
Expendit momenta tuae. non Curia fratris
Tardari tristatur iter. generosa sorores
Lumina detergunt lachrymis, nec fletibus ultrà
Ora rigant, lataque queant placuisse puellae,
Dum solitus redit ore rubor; castique lepores,
Blandaque sperantes facundia flectit amantes.
Pandite vos Helicona viri, cantusque ciete
Turba poëtarum; nec tu celebrata Camoenis
Anna soror suspende lyram: licet ista maritus
Ocia & ingratas forsan fastidiat artes.
Oscula tantisper, tantisper basia differ,
Neglectusque tuâ jam saltem parvulus aulâ
Lusitet Ascanius, donec solennia Phoebo
Carmina & incolumi suspendas vota poëtae.
Traxerat Eurydicen Stygiis Rhodopeius Orpheus
Sedibus, unanimi Thrace cum barbara plausu
Accinuit reduci. nec, cum pallentibus umbris
Exiit audaci Theseus juratus amico,
Et tremeret Styx atra duos, sua gaudia pressit
Graecia, at invicto suspendit serta sodali.

Nunc

Nunc etiam sua jura neci, Ditique triumphum
Abstulit illa dies, spoliumque invidit Averno;
Quâ novus, & fractos reparans Hugenius artus
Ambulat, & solitis lassat palatia curis,
Aut turbata suis accommodat organa cannis,
Aut doctum modulatur epos, vel sidera spectat
Æqua sibi, Superûmque domos metitur, & ortus
Flammarumque citos obitus, vel verba disertus,
Et sua in innumeras diffundit nomina gentes,
Linguarum sandique potens. Quid maxima cessas
Gloria Toxandrûm, Batavi vox prima Senatus,
Grande decus vatum, Catsi? si femina, virgo,
Si Memphis lasciva suos suggessit amores,
Si matres meruere cani, & sua munia per te
Præclara didicere nurus, docilisque reperta est
Battavia, asserto potius jam barbita vati,
Et Clario concede Deo. Iam littora Nerei,
Naiadumque chori, vicinaque numina Fauni
Exiliunt, recubansque aliquis sub tegmine fagi
Exstinctum nondum crudeli funere Daphnim
Ingeminat calamis Corydon, vel gutture Phyllis.
Quæque viri forsan thalamos Galatea subibit,
Stegavisa canit: Vos hoc venerabile Belgis.
Depositum servate Dii: si sidera poscant
Indigetem, serò Superos & limina Divûm
Adspiciat patrio proles contermina cælo.
Spem faciat sobolis, venturorumque nepotum,
Quem totum periisse nefas, nec clarior orbis
Incola languenti prorsus sua subtrahat ævo
Nomina. quæ paribus patrem virtutibus æquet,
Progenies tantos decoret victura penates.

LAV-

LAVDATIO HORTVLI,

Siti in agro Leydensi, extrà portam Rhenoburgicam, intrà primum ab urbe lapidem.

Hortule, Apollineos toties cui rustica cantus
Pieris ingeminat, foliisque instillat amorem
Carminis, & lenes resonant arbusta Camœnæ:
Hortule, qui fessæ toties solatia menti
Sufficis, & tetricas curis levioribus horas
Delinire soles, & post abrupta laborum
Ad secreta vocas, Zephyris perflantibus orbem,
Fecundos jam pande sinus, almaque parentis
Depositum, messemque avido promitte colono.
Cessit hyems, cessere trucis fastidia brumæ,
Sideraque in faciles nimium crudelia Belgas.
Occidit effusa glacialis Aquarius urna,
Nec Pisces cum Sole meant; Ledæa pererrat
Astra Phlegon, laxisque dies expandit habenis,
Et matutinam vocat ad mulctralia Nisam
Purpureis Aurora genis. fumantia tauris
Tergora lassat ager, discissaque vomere tellus
Solvitur, & cupidis admittit semina sulcis.
Sic terris sua vita redit, cœloque parente
Concipiunt animas, naturaque fœta laborat,
Et varium molitur opus. me conscia veris
Vis agitat, pigrumque jubet secedere mundo,
Afflatum propiore Deo. nova gliscit ab imo
Pectore Musarum rabies, eademque poëtam
Tempestas annumque facit. cœlique calore
Pierides & Vesta calent. juvat ire per horti
Delicias laudesque mei, positisque coronis,
Nec jam Daphnea redimitus tempora lauro,
Fraxinea tenerum carmen meditabor in umbra.
Hortule, non ego te gelidâ regione Trionum,

Arcadiaque jugis, vel duri ad Strymonis undas
Quæsierim, Scythicoque solo, quà verberat Arctos
Proxima frigentes populos, frenoque coercet
Nereides immane gelu, noctemve diemve
Continuat cæli facies, & rectior orbis
Machina partiri nescit cum luce tenebras.
Nec te Sole rubens, torrensque caloribus Indum
Zona tenet, non ustus Arabs, non indigus undæ
Afer, & ardenti tellus vicina Canopo.
Te, cum vasta suis terrarum corpora quondam
Digereret Deus ipse locis, divisaque sedes
Acciperent elementa suas, Solem inter & Arcton
Conditor in Batavis posuit; ne fervidus Æthon
Vreret, & siccas radiis elideret herbas,
Aut frigus tardaret iners. tibi temperat æstum
Frigoribus natura favens. Tu languida Rheni
Flumina, Teutonicisque ruentem sedibus amnem
Sistis, & hic nullo metuendum vortice lambis.
Hunc sitiens æstate bibis; tibi pocula læto
Sufficit, & tremulis stagnans allabitur undis.
Hic Latiæ steterunt aquilæ, sua castra Quiritum
Te circum posuere duces. te, missus in orbem
Saxo Britannorum, Tamesinaque littora, pressit,
Engisto ductore redux. admurmurat undis
Oceanus, propiorque suas advolvit arenas
Thetis, & albentes circundat cærula colles.
Hortule Hamadryadum requies, Faunique voluptas,
Et Pani dilecte Deo, Corydonis amores,
Delicium pueris, statio secura puellis,
Quam te læta Pales pratis viridantibus ambit
Vndique, quam laxis succrescunt gramina campis,
Et circum tibi ridet ager. quam plurima passim
Pascua tondet ovis, distentaque cernitur Io,
Sed dudum neglecta Iovi. spatiosa vagantur
Flexipedes per prata boves, armentaque fervens
Taurus init, reparatque sua dispendia gentis,

Hic, quibus in tenera jam ludunt cornua fronte,
Imbelles spectes vitulos, mollesque juvencas,
Errantesque procul tenera sine matre bidentes.
His permixtus equus campo sese arduus infert,
Impatiens freni, & multum spumantis habenæ,
Lanigerasque inter pecudes generosa profusis
Immergit sua colla jubis, bellique furores
Concipit, & nondum conspecto irascitur hoste.
Vndique cæruleum spatioso fornice cœlum
Incubat, & superûm sublimes explicat arces,
Flammiferumque globum Solis, Lunamque Deosque
Objicit, & vario labentia sidera motu.
Nullæ oculos sistunt silvæ, non lumina montes,
Laxa patent spatia, & vasti pars altera mundi.
Non aliter Latiis Circæa cacumina surgunt
Littoribus, Bajæque nitent; ubi tramite longo
Tyrrhenos ultra fluctus, Siculumque profundum,
Imminet adversis æther declivior Afris,
Italaque oppositum tellus adspectat Atlantem.
Plus illum tu Leida beas, laudesque tuorum
Pars sentit tantilla tui. Tu mitia Musis
Otia das, spretaque novos Libethride lympha
Diffluis in latices. mediis non Pallas Athenis
Quæritur, Aoniæ Cirrham liquere sorores,
Ipsa Claros Phœbum Delosque antiqua requirit.
Hic habitant vates, hic numina docta serenos
Doctrinæ posuere lares. nova nascitur in te
Græcia, Cecropidæque novi. nunc altera Belgis
Ausonia est. in te Latialis Roma renasci
Incipit. hic varias industria parturit artes:
Dictat jura Themis, distinguit crimina recto
Relligio, & lentis remoratur stamina fusis
Parcarum Medicina potens. sua viscera pandit
Et cæcos natura sinus, verique recessus,
Ancipitesque aperit rerum Sapientia causas.
Hæc fundi laus prima mei est, hac sorte superbit,

Et

Et sibi vicinæ præconia vendicat urbis
Tot Musis illustre solum. sit milite fortis
Hesperiæ pugnacis ager: sit Gallia Baccho
Nobilis; illustret candenti marmore regum
Tecta Ligur: niveum peregrinis India regnis
Mittat ebur: fundant molles sua thura Sabæi:
Hæc loca venturis doctorum gloria seclis
Consecrat, & totum diffundit fama per orbem.
Dic mihi purpurei gratissima filia Veris
Flora, quibus tenerum nuper conseveris hortum
Floribus, & quales pingant virgulta colores.
Arboreos tu Faune senex edissere fetus,
Dicite lasciva Barlæi rura Napææ,
Dicite, Hamadryades, agrestia numina, Divæ,
Roscida disparibus nascentia germina formis.
Assurgant patulis argentea lilia labris,
Quæ violent candore nivem, vel odoribus Hyblam.
Hæc inter croceo pubescunt altera vultu,
Quæ vincant fulgore diem, Solisque lacessant
Lumen, & Assyrio rutilantem murice pallam.
Sunt violæ molles; sunt, quas clementior aura
Educat, at nullo nocituri vulnere dentes;
Et crocus auricomans, & gloria veris adulti
Crinita per colla rosa, quas Cypris Adoni
Inspergat studio'a suo, rapiendaque jam jam
Legerat in Siculis gradiens Proserpina campis.
Hic quoque, Threiciis ad nos transmissus ab oris,
Flos viret, imperiique decus regale Coronæ
Sceptrorumque notant facies. hic lumina pascit
Tulparum venerandus honor, preciumque coloris
Mirantur tam grande sui. stat margine quadam
Discolor, hæc varia folium vibice flagellat,
Sanguineis hæc tincta notis, hæc cærula fundo est,
Hæc umbone rubet, fulvumque intermicat illi,
Illi purpureum. totos facundia fontes
Laxat, & hæc ipsa Batavus jam cernit in herba

Stul-

Stultitiæ documenta suæ, curaque virili
Indignas telluris opes. appenditur auro
Immitis spolium Boreæ, brumæque rigentis
Opprobrium, & centum pignus violabile causis.
Non Veneri sacrâ myrti, feroque comantes
Narcissi, nardique deest fragrantis arista,
Et cum luteolo rutilantia fraga hyacintho,
Cecropiumque thymum. crispas de sentibus uvas
Pendentes latè videas, totoque rubentes
Cortice, & è teneris tot pendula corpora ramis.
Hic etiam ventres minuens lactuca tumentes,
Et molles malvæ, cichoreaque frigida laxis
Succrescunt spatiis : fabrorum prandia betæ
Hic sapiunt, & quæ betis se jungere gaudent
Ventosæ stant lege fabæ. quas expetat ipse
Pythagoras, solasque suis commendet alumnis.
Parte alia intortis erecto stipite pisis
Floret ager : juxtà gravida qui nascitur alvo,
In ventrem cucumis, prægnansque cucurbita serpit.
Delia fatidicas cessent attollere lauros
Littora, Cæsareos quæ cingant serta capillos,
Hinc, Romane, petas. hic versam amplectere Daphnen
Phœbe pater, causamque tui mirare furoris.
Et, tu Bacche, meis Acheloia pocula misce
Vitibus, & plenis latices extunde racemis.
En succo vineta tument, suppostaque botros
Tecta levant, petiturque meâ vindemia curâ.
Hac circum lentæ salices, tiliæque sequaces,
Et nux juncta via spatiosis frondibus umbram
Explicat, & pando protrudunt frigora dorso,
Oceanique gravem nocituram frugibus auram.
Et latus immitis Boreæ, multumque rigentem
Hiberno sub patre Iovem. dispendia cæli
Corrigimus Batavi studio, sylvasque procellis
Objicimus, doctique truces eludimus Euros.
Hic recubans magni miror fundamina mundi,

Autoremque Deum: quot se sapientia formis
Pandat, & unde suas arcessant singula causas.
Quæ vis cuncta agitet, quæ tot distincta figuris
Corpora, & æstivos pingat solertia flores.
Cur huic cæruleus, cur sit color aureus illi:
Hic bulbo, teneris alius radicibus agris
Hæreat; in mediâ cur crescant colchica brumâ,
Anticipet ver helleborus: funesta furentem
Expectent aconita Canem: cur flexus ab ortu
Tendat in occasum, medio declivis ab axe
Phœbææ comes ille facis: cur præpete fato
Vna dies natos hos cernat, & una peremptos.
Antè oculos stat cura Deûm, & venerabile cunctis
Numen inest foliis: stant circumfusa Deorum
Munera: jam digitis prensas, jam lumine spectas
Ingenii cœlestis opus: jam proxima gustat
Artificem natura suum. latet ipsa sub herbis
Majestas Superûm, & mediis spectatur in arvis.
Quod si manè diem roseis Matuta quadrigis
Vectet, & humanos opera ad consueta labores
Invitet Thaumantis Eos, concentibus æther,
Et circum resonant avibus virgulta canoris.
Triste gemit socia viduatus compare turtur;
Passere vernat ager, qualis tibi Lesbia primos
Impetiit petulans digitos: perstringit hirundo
Agrestes lasciva lacus, & vertice in alto
Insiliunt ramis imitantes omnia picæ.
Tu quoque, quæ medio pendes sublimis inani,
Nuncia veris avis, pulchrâ sub casside cantus,
Et dulces iteras modulos, ni carmina turbet
Turdus edax, picusque loquax, & aquaticus anser.
At non Ismaria patitur clementia Divûm
Pellicis ore frui, (nec enim datis omnia Divi)
Quæ scelus infandum Terei, dirumque sororis
Ploret torva nefas; gelidi non Phasidis ales
Cernitur, aut Numidûm glocitans gallina per agros.

In quorum ſubiere locum ranæque loquaces,
Veſpaque, & aſtrvæ facundia rauca cicada.
Huc vocalis olor nitidis argenteus alis
Advolat, & totum cantu circumſtrepit hortum,
Forte memor Ledæ, quærens, quam fallat, amator.
Heſperidum celebrant hortos præconia vatum,
Pomaque ſopito malè cuſtodita Draconi:
Theſſala laudantur Tempe: Baiæque tepentes,
Et quæ frugiferis Phæacum Autumnus habebat
Iugera culta locis: Helicon, & Adonidis horti.
Et quos ſublimi ſuſpendit in aëre dives
Aſſyria, & magnis cantata Semiramis auſis.
Audiat Ætna parens florum: ſit fertilis Hybla,
Spiret thuriferis Panchaia pinguis arenis:
Deſpiciant Siculos Paſtana roſaria campos.
Hæc mea cantatis præſtant viridaria fundis;
Hæc Dryades, Dryadumque domus, villæque coronant;
Et propè inoffenſis VVarmonda tuetur ocellis,
Virginibuſque ſacer quondam locus, & ſceleratâ
Templa Deûm ſubverſa manu, qua proxima Rheno
Arx ſtetit, & veteres poſuere cubilia Catthi.
Illic rura jacent emptis celebrata caballis;
Nec procul à facili cantatæ Thaide ſedes:
Frondibus Endelgeſta latens, & flebilis, eheu,
Ruderibus domus alta ſuis. ſpectamus iniqui
Temporis invidiam, & veteris veſtigia belli
Poſteritas agnoſcit inops. mare, flumina, terras,
Oppida, tecta, lacus, celſoque minantia cœlo
Culmina ſemideûm tandem invidioſa vetuſtas
Deſtruis, & priſci laudes mala deprimis ævi.
Hortule, jam fervet calidiſſima Solibus æſtas,
Et ſubit ardentem lampas Phœbea Leonem,
Virgineos ſubitura ſinus, & ſidera Libræ.
Da fructus, da fraga mihi, da mitia poma,
Iamque rubens ceraſum, mox autumnalia pruna.
Et pyra, & implexis pendentia vina racemis.

Hac colui mercede rudem: sperataque de te
Spes hac sola fuit. nam postquam gratior orbi
Triptolemus pingui glandem mutavit aristâ,
Crevit cura gulæ, peperitque licentia luxum,
Tota nec in mensas suffecit terra superbas.
Da requiem fesso, postquam lassata Sophorum
Vox mea voce fuit, postquam strepuere penates
Murmure Socratico, & querulæ certamine turbæ.
Sic tibi sit nullo nociturus Sirius æstu:
Lenius insurgant Cauri: non strangulet herbas
Agricolis invisa filix: non semina durum
Elidat perimatque gelu; non grandine florum
Colla labent: semper modicis destillet Olympus
Imbribus in Vestæ gremium: sic sidera donet
Iuppiter æqua tibi, & venientes proroget annos.

IN RECTORATVM,

Sive PRÆFECTVRAM ACADEMICAM Clarissimi viri PETRI CVNÆI, Iurisprudentiæ in Batavorum Academia Professoris celeberrimi.

Quis Deus Auriaci clarissima sceptra Lycæi,
Et tantum tibi credit onus? num Delphica fasces
Assignant responsa novos, & præscia fati
Destinat imperiis tacito cortina recessu?
An, velut Eoas Medo concessit habenas,
Infremuit tibi lætus equus, fallaxque caballus
Augustum monstravit iter: vel fixa parenti
Oscula Palladiis sacrarunt nomina regnis?
Num bello tibi partus honos, vel vindice dextrâ
Hos titulos fortuna dedit? num fascibus hæres
Succedis, proavûmque capis moderamina rector?
Præficeris Phœbi laribus, dominumque salutat
Te supplex doctrina suum; nec jussa minorum
Exeque-

Exequeris protrita Deûm. quin judice regnas
Nassovio, tantique Ducis mandata capessis.
Scilicet assertor patriæ, terrorque Philippi,
Neptunum Vestamque domans, dum classibus æquor
Vindicat, & dubii librat discrimina belli,
Pieridum procurat opus, Martique ministrans
Expendit momenta scholæ: quò præside in uno
Battaviæ stet tuta salus, nec fœda triumphet
Barbaries, placidasque ferox exterminet artes
Odrysius, rudibusque ruat facundia castris.
Insedit labor iste Ducem: geminisque Batavi
Vincimus auspiciis; & dum manus altera ferrum,
Altera Cecropiæ versat consulta Minervæ,
Arcetur malesanus Iber, securaque tollit
Pilea, & armorum captat solatia Belga.
Heu Pandioniæ Musis patuistis Athenæ,
Doctorum fecunda domus; subversa Cleanthis
Atria, Socraticique lares. mox prisca potentes
Eloquio rostris donavit Roma Quirites,
Et Latii laus ista fuit. migrastis & illinc
Aonides, sociaque vagus cum Pallade Phœbus
Constitit in Batavis, profugas ubi Leida Camœnas
Excipiens, placida tutas in sede locavit.
Sunt regnis studiisque vices, pariterque curules
Et Musas sors cæca premit. tibi læta secures
Iam desert Schola nostra suas, eademque potestas
Bis concessa viro, bis laudatura regentem,
Evehit, & dominum claris præfecit habenis.
Te rectore ferunt per amœnos Phocidis agros
Castalios undasse lacus: gavisa sororum
Atria felices tali moderamine fastis
Inscripsisse dies. tu doctæ jurgia pubis
Frangere, tu fluctus, tempestatesque futuras
Evitare sagax, facili sermone mederi,
Tritonumque minas poteras componere dictis.
Ac velut æquoreis prudens Palinurus in undis

 Assidet

Aſsidet intrepidus clavo, torquetque carinam,
Et decimis ſubducit aquis: ſeu fervida qualis
Laxat anhelanti moderator colla caballo
Automedon, calida nunc contrahis ora juventa,
Nunc ſapiens laxas. nunc ſpernitur ira tacendo,
Et rabiem mora parva domat: nunc efferus horret
Juſſa furor, vultuſque timent reſponſa ſeveri
Alcinoi, Lapithaque truces. ſi ſidera tentet
Enceladus, ſuperiſque Iovem detrudere regnis
Titanum fera corda parent, jamque ipſa vacillet
Majeſtas augusta Deum, trepidique Senatus
Regia, fulmineo audacem Typhoëa telo
Dejicis, & natos cœlum reſcindere fratres.
Non alium Latia gradientem clarius arces
Conſpexere ducem, quoties capitolia conſul
Scanderet, & rigida tremerent antè ora ſecures.
Te quoque, Apollinei generoſa inſignia regni,
Sceptra beant, decoriſque micat regalis imago
Æmula. ſunt Phœbo trabea, ſubſellia, faſces,
Quique Deum teſtetur, honos. tu pilea donas
Emeritis: tu ſudatis das præmia curis
Arbiter, & claris precium decernis alumnis,
Palladia tot jura toga. tu juſſa Senatus
Tranquillâ ratione regis, tantique ſuperbum
Nominis officium, majeſtatemque verendam
Diſsimulas, vultuque premis tua ſceptra modeſto.
Advolat ad tanta totus præconia fama
Orbis, & in Batavo naſcentes littore Muſas
Quævis terra colit. veniunt, qui muſtea Celtæ
Pocla bibunt, quos mittit Arar, rapiduſque Garumna,
Velivoluſque Liger. picti venere Britanni,
Quoſque ferox longis abigit Germania bellis,
Pannonius, potorque Padi, Dacuſque, Gothuſque,
Vandalus, & nobis jam mitia nomina Cimbri.
Dat dextram, juratque fidem vicina Sicambrûm
Progenies, Friſiique, & qui ferus innatat undis

Texan-

Toxander. pacemque tuis sub legibus optant.
Ipsa Palatina majestas debita terra,
Proles celsa Ducum, sub te jam Præside captat
Otia, & imbelles præclaris artibus annos
Mancipat Heroum soboles. his pulpita turgent
Vultibus, Aoniique lares: hæc purpura fasces
Irradiat veneranda tuos. sic regia sceptris
Parent sceptra tuis, mandataque prælegis ostro.
Ecquis Thespiadas tali rectore sorores
Respuat? aut quando studiis meliora patebunt
Secula? quis vecors adeò, qui jungere tecum
Verba neget? cui victricem facundia palmam
Destinat, & priscos Hellas transcripsit honores.
Nam velut immensas lampas Phœbeia terras
Illustrat, pariterque fovet, lumenque coruscum
Vtilitate probat, titulis illustribus addis
Doctrinæ documenta tuæ: quas dirigis artes,
Ipse doces, sociasque tuis tot commoda curis.
Nonne vides quantis Academia læta triumphis
Emicet, & pleno doctorum fama theatro
Prostet ovans, lambatque altum invidiosa cacumen
Gloria? Iam clarus Themidos delubra sacerdos
Ingreditur, querulique aperit spectante corona
Iura fori, laurosque refert. Iam secta Galeni
Vadit iter laudum, & Coo solennia jurat
Verba Deo. jam quadrijugo Sapientia curru
Invehitur, vocisque tuæ suffragia sperat
Terrarum, pelagique sagax scrutator, & æthræ.
Quique salutiferum terris commendat Olympum,
Æthereosque sonos, & magni nomina Christi,
Sub tua signa venit. nunquam majore Lycæum
Proventu Batavis tot docta pignora mentis
Edidit. in cunctas messis tua funditur urbes.
Excipit hunc trabeata domus, rostrisque disertum
Præficit, ille levis castigat crimina vulgi,
Inque adytis, Superûm antè aras, oracula pandit

Et cœli destillat opes. solatia morbis
Blanda Machaonia prabet solertia dextra.
Auspiciis hac cuncta tuis, hac voce reguntur,
Iudiciisque vigent, despectaque rursus Apollo
Signa levat. mox fatorum currentibus annis
Palladios iterum spondent tibi sidera fasces.

OPERVM

Clarissimi, Doctissimique Viri, D. GERARDI IOANNIS VOSSII, Heydelbergensis, Eloquentiæ, Chronologiæ, ac linguæ Græcæ apud Batavos Professoris celeberrimi,

PANEGYRIS.

FElices Nemetum populi, tuque optime Nicri
Accola, cui placidas veteri de sede Camœnas
Dispulit Austriaca furor implacabilis aula,
Cæsareasque ciens aquilas & nixus Iberûm
Intrepidá virtute Ligur; tot damna, vicesque
Imperii, & profugum mutato Principe Phœbum
Hoc uno solare viro: quem matre cadentem
Ipse tuo fovit puerum Thymbraus in antro,
Vangionumque Dea. Iam desine tristior atros
Sollicitare dies, & qua tibi secula currunt
Dura queri. sparsa rursus coiëre sorores,
Et reduces mens ista capit. Permessus & omnis
Hac Helicon sub fronte latet, sociataque curas
Conglomerat doctrina suas, & fundit ab uno
Pectore Romana quicquid facundia lingua
Grande loqui, aut Grajûm potuit sapuisse vetustas.
Quo Batavus se jactet, habet; quo Gallus alumno
Surgat, & aternis inscribant nomina fastis
Hostiles Grudii. Latiis celebrata Camœnis
Scaligero Verona tumet, magnoque superbum

Cæsare nomen habet. memores tibi Vossius annos
Scribit, & ingentis pandens proscenia famæ,
Clara Palatinæ reparat dispendia terræ.
Ostentare suos Memphis studiosa labores,
Et Pelusiacâ potuit signare papyro
Arcanas veneranda notas, latuitque sub umbris
Pallas, & Isiacæ stupuit sacraria lenæ.
Cum Memphi jam Persa silet, veterisque Minervæ
Ignorat Chaldæus opes, nec barbarus artes
Medus, & Eoos surgens Aurora magistros,
Brachmanasque colit. tepuit Sapientia, fervens
Quam late spatiatur Arabs, & nescia veri
Incubuit prisco gravis ignorantia mundo.
Cecropidum viguere lares, & docta Cleanthis
Porticus, & dulci sapiens vicinus Hymetto.
Desipit & Latium, numerosque Oenotria tellus
Pythagoræ meminisse nequit, Druidumque loquaces
Conticuere scholæ. Tu prima Batavia Musas
Colligis, & fractæ tabulas ac frusta carinæ
Naufragio subducta tenes. Tu cincta profundo,
Armorumque inter strepitus, lituosque tubasque,
Tranquillum meditaris opus, criticumque tribunal
Erigis, & Latiæ restauras jura loquelæ.
Adspice Leida virum, quo judice victa fatiscit
Barbaries, mordetque suas irata catenas:
Quique renascenti germana vocabula seclo
Sufficit. hic ille est Phœbæi censor honoris,
Pegasidum vindex, tot rerum scriptor, & avi.
Quid dignum memorare suo primæva vetustas
Possit Atlantiadæ? qui culti vocibus oris
Pallentes nigris animas emancipat umbris,
Tutaturque reos, vel tristi mersit Averno
Damnatum sub lege caput, cum dura clienti
Intonuit mediis victrix facundia rostris,
Persuasitque Deus causas. mentitur in illo
Fabula; nos alias, Vossi, te Rhetore, leges

Accipimus, doctumque forum. quibus artibus astris
Invehat Augustum, vel magni Cæsaris arma,
Scipiadasque orator ovans: qua voce furores
Increpitet Catilina tuos: Syllamque ferocem,
Et Senonum furias, sævique incendia Brenni.
Aut qua Suada togam clypeis, qua classica possit
Ignavis præferre togis; Asiaque potentis
Pompeio decernat onus: qua proxima morti
Colla levet, flectantque leves responsa Quirites,
Et victo trepidas eludant judice scalas.
Hac Lysias, Siculusque Corax, hac Antipho quondam
Accidit præcepta scholæ. vidêre priores,
Vile rudimentum, & teneræ cunabula linguæ
Versavit tum Stoa gravis: mox aucta Lyceo
Gloria, dicendique labor: fluxere diserti
Hermagoras, Grajusque Molon, & conditor artis
Hermogenes, Phalereusque loquens, & pagina Tulli,
Et Fabii clamantis opus, lususque Theonis.
Tu veterum cæcâ nitidam caligine lucem
Elicis, & scriptor priscos irrumpis in annos;
Eloquiique decus, turbataque nomina rerum.
Et fandi formas, collapsaque jura reponis.
Tu Latium, vocesque suas formare Pelasgos,
Argivosque doces: geminis exordia pandis
Gentibus, & tantorum aperis elementa laborum.
Quemque legat primum titubans industria callem,
Discendique viam. faciles Scaurosque Caprosque
Ire facis, cursque tuus respirat Apollo,
Et nova Palladiam solantur commoda gentem.
Cedite Grammatici, magno quibus ilia fastu
Inconsulta tument, delapsaque littera sede
Sufficit ad bellum, vel iniquum comma minaces
Exacuit calamos, & tanti scena paratur
Nominis. hoc cunctas absolvite judice lites,
Et vestros sedet melior censura tumultus.
Hic dictator erit. fasces submittite tandem

Invi-

Invidiosa cohors: dum vecta poëmata plaustris,
Et tragicum castigat epos, veterumque cothurnos,
Mœstaque Medea detergit fecibus ora.
Hippolyti properant alio temone quadrigæ,
Et Troas purgata nitet: sua vita Iocastæ
Redditur, & Latio clamat sermone Thyestes,
Adspectatque diem pulsis orchestra tenebris.
Qualibet huic nota est propriis insignibus atas,
Seclorumque patent facies, distinctaque magnis
Nomina temporibus; seu cum puerile loquendi
Robur erat, traxitque rudem doctrina juventam,
Scipiadumque gravis totum se involveret armis
Ennius, & tenui Plautus vestigia socco
Figeret, & vates Satyræ lutulentior iret:
Seu cum crevit honos linguæ, scabrosque fugavit
Majestas Romana sonos, & adulta Catulli
Capta lepore fuit: seu cum labentibus annis,
Quo Latium, fato cecidit, Romaque senectâ
Symmachus Ausonias offendit durior aures.
Ingeniis diversa placent: huic abdita pandit
Abstrusos natura sinus: hic floribus artes
Irradiat: lapsas alius restaurat Athenas:
Ille Cleantheæ neglecta palatia turbæ:
Hic in Aristippi solum præcepta relapsus
Socraticas evolvit opes: hic scribere fastos
Ad famam satis esse putat. Sed cuncta coërcet
Vossius, atque omnes fecundo pectore Musas
Parturit, & latè titulos arcessit honorum
Immortale caput. non te veneranda silebo
Relligio, veterumque fides, & sanctius avum,
Huic perspecta viro. quantis erroribus acta
Christigenûm steterint acies, quo castra Pelagî
Vindice tuta diu fuerint: quibus occidat armis
Contemptrix naturæ Deûm, delapsaque cælo
Gratia subnixos claris doctoribus Afros
Traxerit in partes, & grato fœdere perstet

Libertas, Superûmque favor; ne crimina Divis
Imputet impietas, rectique ignara voluntas
Audeat audaces vultus opponere cœlo;
Ille docet, totumque pius propugnat Olympum.
Ac veluti tacito subterlabentia cursu
Flumina diffundit Nereus, hic gignit Orontem,
Hic septemgemino turgentem gurgite Nilum,
Non tamen ipse minor, nec divitis indigus undæ
Usque fluit, terrisque ingentibus ingerit æquor,
Atque alias largitur aquas: sic ille perenni
Haurit fonte libros, & claris secula ditat
Muneribus, semperque novis, quæ donet, abundat.
Dumque sibi variâ contexit fronde coronam
Mens assueta operi, per mille volumina solers
Ambulat, atque suos aliquid seponit in usus.
Sic ubi Grajorum calamos, & prodita docto
Enumerat monumenta solo, momentaque scriptor,
Et rerum summas aperit, nunc abditus ævo
Anteit Olympiadum palmas, jam Persica radit
Tempora; & Herodoto multum narrante superbit,
Nec dulci Xenophonte minus. jam ficta Daretis
Pagina mentitur senium, jam Dictyos horret
Fabula: Pellæis vates arcessitur annis
Chœrilus: hinc Phariis scriptus sub regibus orbis,
Ausoniæque Ducum fastis signata papyrus.
Conveniunt doctorum opera, Chaldæus & Assur,
Phœnicum labor, & calidi secreta Canopi,
Atque Arabum tabulæ, & victuri industria Persæ,
Seraque grandiloquis turgens authoribus Hellas.
At non una tuas, doctor celeberrime, laudes
Terra capit, parti Latio dicuntur honores,
Gestaque Romulidum, & magnorum fata Quiritum.
Non ego, si lympha madeam Permesside, vastos
Ire per annales, digestaque tempora possim,
Tantorumque queam titulos memorare laborum,
Victorisque dies populi. Iam Roma renasci
Incipit,

Incipit, atque sua legit incunabula gentis,
Historiaque gradus numerat. spectate Batavi
Terrarum Belgique Deos, cantataque quondam
Bella Latinorum, magnique exordia regni,
Abdita Pontificum foliis: vestigia Navi
Ponè premit Calabrûm vates, & carmine docto
Instruit armatas acies. Pictoribus Afer
Militat, & primi studiis asperrima belli
Carthago, Italiam contrà. scripsere Catones,
Odrysiique rudis tunc formavêre juventam;
Accepitque furor legem, rabiesque docentis
Admisit pracepta viri. mox maxima Scauri
Fama fuit, Syllaque labor, Catulique Sisennaque,
Et clari Varronis opus. sua pralia dictat
Casar, & ingenti fortem munimine Gallum
Exuit. agnosco trabeas, augustaque latè
Nomina, & Æmathiis diffusa poëmata campis,
Et magni lituos Silli, contractaque Crispi
Verba, gravem monitis Tacitum. tu Flore disertum
Os aperis, vati propior. tu grandia Livi
Orsa legis, mediasque ferum deducis in Alpes
Hannibalem, Pharioque necas sub Principe Pœnum.
Nec Messala latet, doctique Rabirius oris,
Non Tubero, Macetûmque audacia pralia narrans
Curtius. imperio donec languente fatiscens
Victricem melius meminit se Roma locutam.

Hac scribis, pariterque doces, tantique per orbem
Imperii fastos celebras. veneratur honores
Belga tuos; poscitque sibi tam grande Britannus
Depositum. spatiosa tua Germania fama
Annuit. Euganeas tangunt tua nomina sedes;
It cœlo sublime decus. te Rhenus & Albis
Suspicit; in Druidum doctas illaberis urbes,
Et cupiant te posse frui. si Gallia plorat
Turnebos, Latium Alciatos, dispendia fati
Tanta levas.. toto mœstas Helicone sorores

Barbarie pulsa recreas. tibi tempora debent
Et rerum memores anni: lucesque renatæ,
Et linguæ Latialis honos: te sera loquetur
Posteritas, te clara vehent præconia vatum,
Istaque venturi relegent monumenta nepotes.

IN OBITUM

Clarissimi Viri, & Mathematici incomparabilis, WILLEBRORDI SNELLII.

QVa nova sidereos abscondunt nubila vultus?
Cur facies mutata poli est? mundi ne fatiscit
Machina? & æthereis orientia signa maniplis
Fatales metuunt obitus? num pristina cœlum
Improbitas facit esse reum? rursumque rebellis
Terra fuit, Tityusque ferox irascitur astris?
Stellarum cur languet honos? retroque jugales
Phœbus, & attonitos perterrita Cynthia currus
Raptat, & ardentes trepidant formidine flammæ?
Pallescunt cuncti Snelli cum manibus ignes,
Et Superi sua damna dolent; Atlante remoto
Astra timent. primi Boreæ sub parte Triones
Permiscent pelago lachrymas: vicina Bootes
Plaustra fugit, pavidoque Helices custodia pernox
Negligitur, radiisque Draco levioribus ardet.
Ipsa Ariadna suos capiti subducat honores,
Gnosiaque Arctoæ decedat stella Coronæ,
Sed vetat Arctophylax. mediis Ophiuchus in astris
Contrahit ingentes humeros, & segnius Anguem
Continet hic illic manibus: mœrore solutus
Scorpius invisæ condemnat vulnera caudæ.
Excutit exuvias, & victi terga Leonis
Engonasis, turbatque Lyræ modulamina Vultur.
Mœret Olor, cantatque melos jam flebile, quale
Ad vada Mæandri fatis instantibus olim
Præcinuit lugubre sibi. Tuque optime recti

Arbiter, & Themidis custos sanctissime Cepheu,
Stamina Parcarum repetas, ni numina summi
Plus timeas veneranda Iovis. planctura decoras
Tendit Cassiopeja manus, nec fulgida longè
Andromede excussâ plorat nova funera pallâ.
Non solitus vultu candor nitet, emicat ore
Antiqui luctus facies, cum brachia monstro
Panderet, & rigida vincirent membra catenæ.
Adstat Equus, guttisque humectat grandibus ora
Pegasus, & juxta lachrymantem Persea spectat.
Frendet Erichtonius; nec lugens amplius hircum
Ferre potest humeris. obtusa cuspide Telum
Labitur, Antinoumque Aquilæ dolor improbus urget.
Iamque suis iterum vellet Delphinus in undis
Mergier, & spatio majore Triangulus optet
Posse capi, vitiatque poli sors ista figuram.
Ast Aries cunctos inter venerabilis ignes,
Sede sua locat indigetem: quà circulus alti
Solstitii mediam populis distermınat athram,
Ingentesque habitant animæ, cum Cæsare magnus
Sosigenes, stellisque suis permixtus Aratus,
Alphonsusque senex, & Cimbrûm maxima Tycho
Gloria. tota trucis mugit vicinia Tauri,
Pleiadesque latent, & cum suspiria fundunt,
Electram soror Alcynoe, Meropemque Celano,
Taygetam Asterope & Majam solatur amicè.
Quin Geminos dolor unus habet, subit ille Leonem,
Chelarumque minæ fracto jam robore languent.
Virginei squallent habitus, & longius Arcton
Spica fugit, bustumque viri: divortia mundo
Libra facit, trutinaque æqualia pondera jamnunc
Despicit. at tensum Arcitenens dum surgit ad arcum,
Intentat telum Lachesi. natalibus iste
Principis Augusti celebris Caper ingemit umbræ,
Et sua perculsus Ganymedes pocula fundit,
Piscibus Oceano mersis. dic cætera nobis

Vranie, quosque Auster habet declivior ignes.
Hic timidum videas nimbosi Orionis ensem,
Lapsaque scuta manu: fugiunt Procyonque, Lepusque,
Quique furens urit sitientes Sirius agros.
Hinc Cratera ferens Corvo discerpitur Hydra
Acrius. ecce pius Chiron, præceptor Achillis,
Fortius adversum (dolor huic exasperat iras)
Transadigit mucrone Lupum. Iamque omine lævo
Thuribulum tristes ratibus denunciat Austros,
Velaque & extensos rumpit ferale rudentes.
Est etiam sub ventre Capri semotus ab Arcto
Piscis, & effusas jam largius imbibit undas,
Tristitiæ documenta suæ. Titanius ales
Hunc iterum flammisque suis atque igne renasci,
Et veteres reddi, seclis redeuntibus, annos
Gaudeat. At totum terret clangoribus orbem
Infausti Palamedis avis. Nerea Pistrix
Andromedam trepidare vetat, sociataque Tauro
Illæsum sinit esse bovem. Phaethonta superbum
Fleverat Eridanus; nunc, qui ratione magistrâ
Flammiferos direxit equos, cælique meatus
Noverat, has ipsas latè defletur ad undas.
Non rota præscriptos Ixionis occupat orbes:
Tardius Argolicæ subeunt aplustria puppis,
Lasaque languidulis Argo stat pallida remis.
Tiphys abest, docuitque ipsum qui tendere vela
Tiphyn, & incautis monstravit sidera nautis,
Heu, fuit, atque ultrà Batavam non dirigit Argo.
Hæc Superos fortuna manet, nec nescit istos,
Quà radio vastum descripsit gentibus orbem,
Inferior Natura obitus: dumque atria plangunt
Attica, Cecropidumque scholæ, præclara Canopo
Memphis, Arabs, paribusque Afer felicior horis,
Quæque levat fessos Phœbi Carteja jugales,
Occiduæ Gades, Atlanteique recessus,
In Batavis longe stupuit Facundia luctu.

In ejuſdem obitum.

Sidera quæ pernox æternaque lumina mundi,
Et didicit totum mens ſtudioſa Iovem,
Iam propius viſura Deos, Divûmque penates,
Odryſios ſub ſe Mercurioſque videt:
Stellarumque alios vultus miratur, & ignes;
Totaque ſpectanti machina facta nova eſt.
Non dolet ingrato fœdari veſpere cœlum,
Præcipitemque alto labier axe diem.
Oceano nuſquam mergi, vel ſurgere Solem
Adſpicit, aut tantum delituiſſe jubar.
Quin ſtupet ipſa ſuos nuſquam ſe cernere Belgás,
Cunctaque ſub puncto regna coire brevi.
Non illic rabido ſervens Canis æſtuat ore,
Aut nocet inviſa Parrhaſis urſa gelu.
Non dextrum ferit umbra latus, non ulla ſiniſtrum;
Omnia ſpectantur ſidera, nulla latent.
Non hic Eoæ Atlantides abſconduntur,
Humidaque Autumnos Pleïas orta facit.
Non levis effuſas occultat Aquarius undas,
Aut latitant iſtis Gnoſia ſerta locis.
Aſtra meant pariter, nec Tauro Scorpius exit
Rectior, aut Cancro lentius Ægoceros.
Cynthia ſub pedibus magno cum fratre quadrigas
Flectit, & hîc rectum Signifer urget iter.
Nuſquam ſtat librata dies, nec ſplendida nocti
Lumina Phryxæi velleris æquat ovis.
Sic diſcit periiſſe ſibi, quas ſcripſerat, artes
Snellius, atque aliis legibus ire Deos.
Sed veri ſatur ipſe Dei jam vultibus, artem,
Quam docuit, tanti dedidiciſſe putat.

Amplissimo, doctissimoque viro D. MATTHIÆ OVERBEQUIO, Hamburgi ad Albim moranti.

Albi pater, cujus latè per littora miles
Vandalus, & Cimbrûm posuit tentoria rector,
Saxonicamque ciet vicina per oppida gentem;
Si tibi pugnacis placuit vetus accola Rheni,
Et Batavos bellator amas, si noxia non sunt
Federa nostra tibi, & causis certamus iisdem;
Quem servas, mihi redde virum. tibi pignus amicum
Creditur, & doctæ decus haud ignobile Leidæ.
Dum procul à patria peregrino fertur in orbe
Dux Ithacus, castaque dolet se vota morari
Conjugis, excelso Pallas Tritonia tandem
Supplicat una Iovi. reddi sibi Thesea ventis
Cressa puella petit. tardisque obmurmurat undis
Phyllis, & absentem plorando carmine mœrens
Demophoonta vocat. lenes in carbasa Cauros,
Et faciles fluctus magno Venusina Maroni
Musa vovet, precibusque Deos, geminosque fatigat
Tyndaridas. hic noster amor mihi quæritur absens,
Hunc seræ poscunt, hunc poscunt mane querelæ.
Vos precor, Hansatici currus, celeresque quadrigæ,
Vos precor, Hansaticæ puppes, alnique, ratesque,
Accelerate virum. qui currus vexerit, illum
Curribus anteferam Solis, Venerisque Iovisque,
Quaque vehunt te, Iuno, rotis. qua puppe redibit,
Illa meis vivet, ceu quondam nobilis Argo,
Carminibus celebrata ratis. non Æolus illi
Iratis insurget aquis, infestaque Thetys
Illidet trepidam scopulis. æterna Favoni
Otia, placatasque sibi persentiet undas.
O, mea si Superis consors fortuna teneret
Frena poli, subito vastum Iovis armiger ales
Hoc raperet, per inane, caput: vel grande per æquor,

Qualis

Qualis Agenoream Tyrio de littore Sponsam
Abstulit, in nostras securum transvehat oras
Taurus, & Europa plus dignum virgine nobis
Portet onus! quin Dædaleas mea fingeret alas
Dextera, & hinc humeris illas, hinc figeret armis,
Præcipitesque darem Zephyros. sic præpete cursu,
Vatis ad imperium, cœlos tranaret & auras
Pierii dux ille chori, & sublimior iret,
Virtutum quà vergit iter, suffultaque laudum
Fama patrocinio magnis enavigat ausis.
Tu, qui jussa Deûm celeri trans æquora motu,
Plutonisque domos, cœlique palatia defers,
Atlantis Tegeæ nepos, talaria plantis.
Indue, Teutonicamque celer delabere in urbem,
Atque hæc verba refer: Quid in his, vir maxime, terris
Protrahis egregios Soles? cur sidera brumæ
Sideribus vicina placent? Germania discors,
Rixantesque Ducum populi, commissaque magnæ
Balthica signa Aquilæ, atque Albi contrarius Ister?
Siccine te Batavæ subiere oblivia terræ,
Auriacæque scholæ? sic claram Palladis urbem
Dememinisse potes? nec te dilecta tuorum
Nomina, magnificique lares, Sophiæque serenum
Numen, & ancipiti tangunt resonantia vero
Pulpita? crede, tui dudum possessor amoris,
Perpetuusque comes lateri, cui sæpè solebas
Pectoris arcanos motus, tacitosque fateri
Alterno sermone sonos, jam solùs inerrat
Hic illic Barlæus agris, ceu raptus Oresti
Si Pylades foret, aut Theseus solvisset amico
Vincula Pirithoo, vel charo spretus Achilli
Castra Meneciades pavidis lustraret Achivis.
Dixerit hæc Atlantiades, facundaque pandat
Ora prior. Iam tu, Iunonis nuncia magnæ,
Nimbo cincta latus, propera Thaumantias Iris,
Femineasque ordire preces. dic qualia pigro

Oenone dixit Paridi, vel Sestos Abydo,
Deianira viro. castæ suspiria narra
Conjugis; ut lentæ ignorent sua gaudia noctes,
Nesciat officium thalamus. dic multa perire
Oscula, dic vanâ amplexus sub imagine fingi,
Et Veneris languere faces; velut orba colono
Officium dediscit humus: dic mœsta vagari
Pignora, & Ascanium, foribus dum ludit in ipsis,
Incusare moras, & lentum poscere patrem.
Si minus hæc moveant, pendentis ab ubere matris
Innocuos risus Agathæ, frontemque genasque
Objice. dic spatiis flores marcescere cunctis,
Nec foliis decus esse suum, vix colla papaver
Tollere: candidulum vultus mutare ligustrum,
Fraga mori, nullum violis constare colorem,
Aurea nec solito gaudere rosaria cultu,
Liliaque è calathis altè flaccessere canis.
Dic genus aligerum, nullo jam Traside, magnis
Inter se committi odiis, crebrescere pugnas,
Nec ferri peregrina domi, pipire palumbes,
Tot modulos cessare avium: Pandione natam
Tristina fata queri: non lascivire columbas,
Nec spem venturæ sobolis promittere missas
Phaside Barbarico volucres: Meleagrides abdi
Gallinas, laxisque Afras vestigia pennis
Ducere tarda satis: dominoque absente, nec agris
Lætitiam, solitosque animos constare caballis.
Intereà, dum nostra Deos arcessit Olympo
Pagina, lene tibi sternant, Vir magne, profundum
Najades, & faciles veniant ad carbasa venti.
Scande ratem, properat Tiphys, qua surgit ab Ortu
Ducet ad optatam jam te levis aura Creusam.

IN NVPTIAS

Nobilissimi, & Magnifici Viri, ADRIANI BLYENBVRGII, Civitatis Dordrechtanæ Prætoris, secundùm Sponsi; Et Castissimæ, lectissimæque Virginis, SARÆ ROVERIÆ, Sponsæ.

Conjuge mitescit prætor, rigidaque secures
Imbelli cessere thoro; Themidisque severa
Vultus, & admisso subridet Curia Sponso.
Nec, velut antè, reis fatalia scribit amator
Nomina, funereosque dies; sed Cypride plenus
Dat miseris veniam, & faciles persentit amores.
Blanda, Dionæis passim permixta puellis,
Circumstat jam turba virum, mutataque tanti
Scena fori est. tetricum petulans Erycina tribunal
Occupat: amoto septeno judice causas
Dicit Amor: ternæ pulso lictore sorores
Anteferunt geniale jubar; facibusque ministrat
Officiosa Paphos. nec, sacri conscia juris,
Intentat strictos jugulis peccantibus enses,
Castigatque Astræa nefas. non fascibus horrent
Rostra, nec horrendas edunt Capitolia voces.
Flammea cum peplis, & tinctum murice cestum,
Cingulaque Idaliæ Veneris, tunicasque fluentes
Contrectat metuenda manus, crinesque beatæ
Virginis, & teneros frontis percurrit honores.
Non pœnas delicta luunt, scelerique paratur
Supplicium, tristique rigent spectacla theatro;
Non spolium ferale refert, durosque suorum
Ferre potest fontum gemitus, dum sanguinis hæres
Quæritur, & facilem promittunt tempora sponsam.
Sic, ubi Iunonis gremio se maximus abdit
Iuppiter, aut Tyrias inter mugire juvencas
Cogitur, & mediis Europam vectat in undis,

Maje-

Majestas veneranda latet, grandemque Dione
Abscondit lasciva Deum, non fulmina Lemnos
Fabricat, aut hominum vitiis irascitur æther;
Cuncta Panomphæo laxantur iura Tonanti,
Nec terras Iovis horror agit. sic arma gravesque
Deposuit Mavors clypeos, vultusque minaces,
Dardana cum tali sub bellatore sacerdos
Femineum pateretur opus. nec crimina Minos
Scrutatus vitasque fuit, cum læta severum
Pasiphae complexa virum, solenne mariti
Posceret officium, & socialis præmia lecti.
Vix Batavûm terris istos accenderat ignes
Idalius puer, & Roveri de stemmate prolem
In thalamos ducebat Hymen: cum protinus undis
Extulit os pelagi rector, (seu proximus Haga
Percepit secreta thori, seu fœderis index
Mervia fuit, seu cuncta Deos præscire putandum)
Et Dordrechtanam conchâ circumtonat urbem.
Ilicet Æolii compresso murmure fratres
Tranquillo siluere mari: visoque tridente
Cuncta repurgato fugerunt nubila cœlo,
Nigrantesque globos, obscuraque sidera claro
Mutavit natura die: quæ carbasa latè
Sulcabant vitreos audaci remige fluctus,
Quæque suis hæsere vadis. illi hispida mento
Barba fuit, viridisque caput distinxerat alga,
Et tremula æquoreas aspersit cauda sorores.
Venit & ipse senex Vahalis, Mosamque secutus
Lingam Merva trahens, placido sed gurgite Linga
Lenior obliquis Vahalis se miscuit undis.
Circum Nereides, circum sedere biformes
Glaucus, & Arctoo subvectus pisce Palæmon,
Inque novos semper Proteus mutabilis artus.
Vt pater Oceanus vultum, frontemque serenus
Explicuit, qualis socia cum coniuge quondam
Lætus ad Æmonii properavit fercula Pelei,

Talia dispositis fremuit præsagia mensis:
Non tristes tibi Sponse dies, non tristia Sponsæ
Verba loquar, blandis etiam me amplexibus ambit
Æquoreæ regina domus, & frigida quamvis
Regna colam, gelidosque lares, sum gnarus amorum,
Incaluitque meis vitalis flamma medullis.
Quam memini, cum laxatis fera Thetys habenis
Hos circum popularet agros, & fœdere rupto
Nescirent elementa fidem, Vestæque patenti
Turgidus iratis Nereus incumberet undis!
Omnis Hamadryadum fugit chorus, arvaque latè
Deseruit miseranda Pales, & pastor Alexis,
Et mersis ovibus Corydon. vestigia rerum
Cernimus. avulsæ sunt istæ à mœnibus arces,
Quæ pelagi cinguntur aquis. en saxa, minasque
Murorum ingentes, æquataque culmina cœlo.
Hanc proceres tenuere domum, Merveque potentes;
Iugeraque incurvo Batavus scindebat aratro,
Tondebant salices dumosaque prata capellæ,
Omnia campus erant, nunc omnia pontus & æquor.
Iam furor iste mihi, jam prisca relanguit ira,
Iam pacem tibi Belga damus, jam claustra procellas
Arcta tenent, sensimque meo se gurgite tellus
Exerit, & veteris reparat dispendia secli.
Corrigitur clades thalamo, fatale resarcit
Diluvium Lucina thoro, & melioribus astris
Proscribit Cytherea metum. quibus occidit oris
Battaviæ pars magna meæ, nova gaudia cœlum
Concipit, & nostra firmat connubia voce.
Felices, Blyburge, dies, nec iniqua tuorum
Fata, nec indignos tali genitore nepotes
Te Superi spectare volent. venerabile Belgis
Parturiet tibi mater onus: quæ pignora fundet,
Adspiciet trabeata pater. puer auctus in arctum
Virtutis se trudet iter, crescensque per artes
Ingenium & magno ducet sua pectora motu.

Consulet hic populis, jurisque gravissimus auctor,
Et Themidis custos, majestatisque Batavæ,
Accipiet patris exemplum, quod sumet ab illo
Filius, & pariter titulis studiisque Minervæ
Splendida continuo numerabitur ordine proles.
Nec ventura minus maternos filia mores
Imbibet, & famam poterit pietate mereri.
Virginitas sine labe fluet, permixta nitebit
Forma pudicitiæ, referet plus dote bonorum,
Quisquis amator erit; qui basia figet in illâ,
Pandoræ continget opes. atque omne stupebit
Femineæ probitatis opus. non illa repellet
Dura procum, non blanda volet, sed tota parentum
Hauriet insolitos tantis auctoribus ignes.
Vix ea fatus erat senior, cum dicere plura
Donantem gremio complectitur Amphitrite,
Basiolis intenta suis. præludia Sponsis
Ista paramus, ait. discas nova conjugis uxor
Talia sollicito solátia ferre marito,
Et similes furor insolitus despumet amores.
Felix, quæ viduum conscendis nupta cubile,
Et tepidos ab amore thoros. in Cypridis artes
Molliter erudienda jaces. tibi gnarus amandi,
Quæ facias, præscribet amans. non oscula figet
Dura nimis, non blanda nimis, non Vespere primo
Crebra nimis, non rara nimis, verùm omne Diones
Officium docta peraget solertia lege.
Cesserit ille pudor, cupidi qui gaudia lecti
Tardat inexpertis, & spes eludit amantum,
Et metuit, quod poscit, iners: trepidatque petitâ
Virginitate frui. latis adoperta tenebris
Quæret anhelantem secura audacia Saram.
Ac velut insolitis trepidantem cernimus undis
Tiphyn, & ignotis luctatur fluctibus excors
Navita, nec timidis paret rectoribus Argo,
Sic rudis horret Hymen, metuit certamina miles

Nan-

Nunquam visa prius, bellique pericula sentit
Territus. haud aliter primos amor exerit ignes,
Et friget pudibunda Venus, vixque ægra medetur
Ipsa sibi, thalamique audet secreta fateri.
Hoc etiam Paphias moderari conjuge curas
Et disces flagrare minus. sed robur adultum
Decerpes secunda thoro, magnumque putabis
Adsuevisse viro. primas insania tedas
Arguit; hæ sola possunt ratione probari.
Antiquum quodcunque placet, preciumque vetustas
Grande refert; cunctis novitas invisa Batavis;
Nec nisi trita juvant. noto se calle viator
Expedit: indoctam fugiunt consulta juventam;
Perque suos usus artem rimatus amandi est
Infelix vates. hic hic sapuisse maritis
Proderit, & gravibus documenta petuntur ab annis,
Optimaque in thalamos manant exempla secundos.
Naufragus amissâ jactat sua fata carinâ,
Et victam pelagi rabiem, Boreæque furores
Deputat in lucro. viduatus compare conjunx
Sæpe suos memorat casus, & mente revolvit,
Prospera quæ fuerint, quæ nubila tempora nuptis.
Romanis rerum Dominis, gentique togatæ
Mox alia placuere nurus, facibusque potentum
Egregiæ rediere vices. Iustina Severa,
Fausta Minervinæ successit Galla Placillæ,
Quoque Creusa prior, jacuit Lavinia lecto.
Ælia cui primum, mox Messalina marito
Jungitur. Augusto peperit Scribonia. nec tu
Livia protritos fastidis Cæsaris ignes.
Ipsa ego, ni Superis immortalique Deorum
Conjugio fruerer, tales Neptunia conjunx
Auderem sperare faces. te læta coronant
Pignora, te matrem soboles jam nata salutat,
Et non facta parens alieno jure superbis.
Non tibi primitiæ teneri libantur amoris,

At

At messis matura tua est. non fallet amicam
His sacris operata manus, risusque, jocique,
Verbaque. cognosces veteris vestigia flammæ,
Inque tuos clarus thalamos descendet amator.
Dixerat hæc regina maris, plausuque secundo
Assensere senes, Triton, & lucida Phorci
Canicies; verùm Batavûm per littora sparsi
Nereidum risere chori, repetitaque spernens
Fœdera, non tacto cupiam concurrere Sponso,
Clamat Leucothoë petulans, submissiùs inquit
Cymothoë Spathaleque procax. mox gurgite surgens
Latior, & musco spumantia pectora tergens,
Bellator loquitur Vahalis: Duo numina cœli
Terrarum jam sceptra tenent, invictaque mundo
Iura ferox socia scribit cum pellice Mavors.
Me, Rhenumque patrem scelerata compede vinxit
Odrysius, nec Mosa suis mea carbasa vectat
In Tungros diffusus aquis. tibi vincula nectit
Lascivus, Blyburge, puer, geminosque catenis,
Te pharetratus amor, me belliger urget Iberus.
Servit, quisquis amat, sed mitia gaudia spondet
Servitio Cytherea suo. perit omnis amanti
Libertas, meliorque redit; fit juris amator
Alterius, discitque suum, dum discit & illud.
At tu, quæ Batavi suffragia prima Senatus
Vrbs antiqua legis, pulcræque insignia præfers
Virginis, & priscâ patriam virtute tueris;
Adspice, quàm clari coëant in federa cives,
Quæ nova dotetur conjunx, quo sanguine speret
Progeniem jam Belga sibi. sociantur in unum
Blyburgi Roverique domus, respublica quorum
Imperiis secura viget, trabeaque potestas
Emicat, & fasces stringit prætura verendos.
Ille decus quondam juvenum, & florentis imago
Battaviæ, generisque sui, diffudit in omnes
Doctrinæ sua sensa gradus; interque juventæ

Vagitus,

Vagitus, tenerum ratio subtilis alumnum
Grandævo dedit ore loqui. mens ardua fulsit
A pueris, potuitque senum consulta morari
Iudicio. jam tunc gemini solertia juris,
Et probitas, & cura vigil, prudensque loquendi
Gratia cunctorum tabulas promisit honorum.
Nunc hæc ipsa tenet, quæ tunc gavisa spopondit
Patria, nunc rigidæ radiant post terga secures,
Et defert sua sceptra Themis, nunc facta nocentum
Excutit, & scelerum formas expendit ad unguem.
Pensat justitiâ crimen, pœnasque relaxat
Supplicibus. dum punit, amat, lenique severos
Edulcat sermone patres; quos causa nocentes
Arguit, & spreta damnant oracula legis,
Quàm cupiat non esse reos! dum funera poscit,
Pauca probat. non sæva placent edicta Draconis,
Spartanusque rigor. placidos clementia mores
Suggerit, & cunctos facilis se fundit in actus.
Hunc amat, & metuit, quisquis peccare veretur,
Et quisquis peccare potest. Prudentia factis
Grandis inest, dictisque fides, & Suada, suusque,
Sed sine felle, lepor. jures candore Batavum.
Hoste caret, nullique gravis devincit amicos
Obsequio: nescit turpi livore moveri,
Irascique diu. sociat concordia, quicquid
Dissidet in nobis. gaudent hoc vindice Musæ,
Languentesque scholæ, neglectaque numina vatum;
Nec sua præclara desperant præmia mentes.
Optime justitiæ custos, legumque benigne
Arbiter, amplexu, quâ nunc dotabere, Sponsam
Accipe, virgineumque novis decerpe pudorem
Basiolis. jam tempus adest, quo debita victus
Gaudia sperat amor, lentasque incusat & odit
Impatiens Erycina moras. tibi ducitur uxor,
Quæ thalamos pietate beat: virtutibus ornat,
Quas illis impendit, opes. cui nubilis ætas

 Feminea

Feminea plus forte sapit, vultumque venustas
Format, & insigni gravitas persusa decoro.
Ludite jam gemini, Venerisque licentia tardas
Ire sinat tenebras, geniales segnius ignes
Occultet Phœbæa soror, procul atra facessant
Nubila, decurrant venientes molliter anni,
Nec vobis alias decernant sidera tedas.
Sic pater Oceanus, sic dixerat Amphitrite,
Dixerat & Vahalis, dicturus & ipse fuisset
Merva, sed, ut dixit Vahalis, ruit Oceano nox,
Dumque procellosi merguntur in æquore Divi,
Pendula cantatos cortina abscondit amantes.

VENVS A'NAΔYOME'NH,

Sive Epithalamium in nuptias Generosissimi, Fortissimi, Doctissimique Viri, LAVRENTII REAEL, Equitis, rerum Indicarum nuper ad Orientem Præfecti, & ad Daniæ Regem Legati.

QValis de patrio surgens Venus alma profundo
Extollit geniale caput, spumansque, madensque
Æstuat, & mediis Lipara fornacibus ardet
Basia speranti mox surripuisse marito:
Talis Hyperboreis vixdum subducte procellis
In Batavis bellator amas, & damna, Reali,
Naufraga, & ingentes solaris conjuge casus.
Nec, velut ante, Deûm furiis, in littore, rerum
Indigus, & grandi positus discrimine, sola
Involvis virtute Ducem; sociisque, ratique
Ingemis, & nudo versas in corpore Belgam,
Tunc etiam patria memorem. sed numine læto
Mutant fata vices; tempestatesque, minasque
Æquoris, & tumidum placari Nerea cerno,
Amstelis dum lenis aquis se miscet, & ipsis
Fluctibus advolvit Paphios uxorius ignes.

Non Batavûm jam jussa procul, gelidaque sub Arcto
Auriaci mandata aperis, non Cimbrica tangis
Sceptra manu, regumque pavens palatia scandis,
Vexatasque Ducum bellis feralibus aulas
Sollicitas. totum flammis & amoribus insons
Absorbet Cytherea virum. sibi mancipat unum
Obsequio regina Paphi, faciendaque mandat
Femina. quam prona venereris fronte tiaram,
Illius est. quas cernis opes, subsellia, fastum,
Atria, sunt magnæ Veneris. non aurea collo
Pondera, non augusta humeris donaria Princeps
Alligat, atque suum testantur regna favorem:
At puero servire Deo, captivaque ferre
Corda tuum est, tactaque semel sufferre puellæ
Ingenium, & totum gremio submittere Martem.
Iam, Batavûm gavisa malis, Fortuna carinas
Fregerat, & reducem Cimbris illiserat oris:
Illic transtra, fori, mediis dispersa jacebant
Fluctibus, hic lacerâ puppis compage saburræ,
Rostra alibi, tabulæque, & circumfusa natabant
Quassæ membra ratis: nondum satiata furorem
Explerat vis sæva Deûm. te longius Ister
Pannonios inter populos, & regna tenebat,
Captivoque gravis ducebat tempora Cæsar:
Cum Cytherea, tuos tandem miserata labores,
Sic infit commota Iovi: Quid, maxime rector,
Humanis pateris nequicquam illudere rebus,
Quæ vaga per cunctos nullo discrimine fertur,
Instabilem, cæcamque Deam? cur omnia nutu
Versat, & insana virtus Rhamnusidis ira
Succubat? & proprias nescit prudentia partes?
Dum latè fors ista furit, consultaque turbat,
Ingenio lasciva suo. Si crederis orbis
Esse pater, totumque tuo moderamine mundum
Flectis, & ex alto mortalia facta tueris;
Ne ratio sit sorte minor, nec casibus anceps

Pendeat, & dubio vadat sapientia motu.
Cur maris & terræ fasces, cur omnia fallax
Arbitrio fortuna regat? nec livida magnis
Parcere nominibus discet, poteritque jocari,
Cum volet, atque audax regum responsa morari?
En, ubi Parrhasio tumidum devolvitur axe
Æquor, & Arctois rector Christiernus in undis
Arma quatit, celebrem egregiis virtutibus ausa est
Naufragio damnare virum. tibi nota Batavûm
Nomina, quos inter titulis illustris & armis,
Grande decus Phœbi, generosa Realius ora
Explicat, & patriæ se plus debere fatetur.
Hunc eadem Austriacæ sors implacabilis aulæ
Alligat, & lentis remoratur vocibus Istri
Arbiter. hic pigros queritur sibi currere soles,
Et sisti virtutis iter, damnisque suorum
Misceri sua damna dolet: flaccescere priscos
Pectoris impavidi motus: tenebrisque laborum
Materiem famamque premi, cumuloque malorum
Obrutus hos sola casus ratione refellit.
Quàm memini, cum tela Duci Gradivus, & arma
Porrigeret, clypeosque illi formaret & enses
Mulciber, & dites inter Bellona Moluccas,
Intrepidum ferri, Javæ nec dira timentem
Fulgura, victricis pugnæ inflammaret amore!
Quàm memini Eoum latè duxisse per orbem
Auriaci vexilla sui, mandata dedisse
Gentibus, ac vario latrantem gurgite Gangen,
Et formidatos placidis sub fascibus Indos,
Et Solis rexisse domum. mens docta per omnes
Imperii micuit partes, populique feroces
Non armis bellique minis sua regna, sed acri
Ingenio sensere regi; gladioque maritans
Pagina Palladiaque artes fecere potentem.
Illum etiam, extremis Tamesis dum Gadibus atrox
Instat, & Hesperiæ trepidant penetralia terræ,

Vidimus

Vidimus Herculeis ferrum ostentasse columnis,
Et Caroli mandata sequi. jam jussa suorum
Vandalici per regna soli, pavidisque ferebat
Vrbibus, & Gothici librabat pondera belli.
Huic thalamos jam, magne Pater, lectique parantis
Gaudia, si partes in tanto vindice dudum
Implevit Fortuna suas, si noxia tantis
Cladibus una fuit; discat meliora Dionem
Principibus conferre viris. non illud abibit
Pectus inaccessum Veneri. mox liber amores
Sentiet, & nostris mollescent corda sagittis.
Sic ubi Dardanium Siculis exercuit undis
Æneam regina Deûm, sociosque, ratesque,
Relliquias Danaûm, cæcis illisit arenis,
Solamen Cytherea fui, Lavinia curas
Diluit, & Phrygius tepidis amplexibus heros
Hæsit, & adversos æquarunt basia casus.
Sic quoque post fluctus, tumidique pericula ponti
Medeam Pagasæus amat, claroque Creusa
Conjugio pertexit iter. cum barbara Memphis
Actiacæ gemeret feralia funera pugnæ,
Et Pelusiacis pugnans Antonius undis
Viveret, excepit profugum regina maritum,
Et Phario pepulit belli discrimina sistro.
Totaque post Troiam victrix jam Græcia per me
Arsit, & Argolicos sperata conjugis æstro
Fregi sola Duces. alius Briseide ductor
Incaluit, cessit spolium Cassandra potenti,
Phyllide Demophoon, lentoque potitur Vlysse
Penelope. cunctis pelagi post tædia feci
Otia, & imbelli damnata ferocia lecto est.
Hinc dicor Venus orta mari. quia, quisquis in undis
Navigat, acer amat. stimulat prævisa voluptas
Fortius, & quem non licet insanire furorem,
Exacuit conclusus amor. quin ipsa calentes
Parturit unda faces, quantumque remotior igne est,

Æstuat illa magis. veluti, cum frigidus æther
Et gelidæ cingunt fumantia corpora nubes,
Fulgurat, & celeres extrudunt frigora flammas:
Sic Batavus jam noster amet, captivaque dudum
Nomina, & æquoreis fato servata procellis
Conjugio, pater alme, bea. fac Moria charos
Currat in amplexus, dilataque gaudia conjux
Acceleret. tu namque soles miscere sereno
Nubila, tu mœstis socias solatia rebus.
Ipsa faces subdam geminis. bis discet amare
Illa, potens matrona viri, rerumque peritis
Irruet in thalamos oculis, veteremque labellis
Vim dabit, atque iterum poterit formosa placere.
Ille supercilio, adversos quo terruit hostes,
Auroraque graves dominos, adsperget amicum, &
Molle aliquid, cupietque illi non miles haberi,
Sed placidus, sed lenis amans. certamina, cædes,
Et Martis dediscet opus, saturataque Iberûm
Sanguine Acidaliis accendam pectora flammis.
Annue, quæque peto, totis connubia votis,
Perfice. non magnæ Veneris sors invida cœptis
Obstrepat, aut Paphiæ violet decreta magistræ.
Dixerat illa Venus, tremulis cum Iuppiter astris
Annuit, & jussus Legatum emancipat Ister,
Belga videt, reducemque suis amplectitur ulnis.
Vxor, & accensis fumant penetralia tedis.
Sic latos tibi fata dies, sic fausta, Reali,
Tempora conficiunt Superi. non deserit æther,
Quos patriæ commendat amor. non gratia cœli
Destituit cœlo genitos, animasque capaces
Mortis, & æternæ captantes præmia famæ.
Crede equidem, nec te pietas suprema fefellit,
Nec sceptris solum illa placet. facundia Divûm
Pro te verba facit. potuit tibi tanta mereri
Æneadum genitrix, & magni filia Nerei.
Quàm grata rediere vices, quàm nulla marito

Æquora, quàm nullis obstant Borealia nimbis
Sidera, quàm placidos Virgo tibi porrigit ignes,
Augustusque tuis plus jam fervoribus ardet!
Plaudunt cuncta tibi, nivei lætantur Amores,
Quique thoros juvenis dudum jam spreverat, audet
Exemplo sperare tuo, nec sera putare
Gaudia, quæ seris prudentia carpit ab annis.
Fulgida quæ variis texuntur stamina formis
Irritant fulgore diem. tibi quicquid ab Ortu
Misit Eos, vultu jam nunc meliore renidet.
Splendet gemma magis, niveisque monilia baccis
Conjugis irradiant manibus. per eburnea colla
Lucet, at occultis minus est virtutibus aurum.
Iam tibi, quæ facilis sensit moderamina freni,
India vota facit. credas hæc regna moveri,
Et fatis gaudere tuis. tibi sacrat odoras,
Banda nuces, meliusque piper misere Moluccæ.
Bangala donat ebur, dites dant vascula Sinæ,
Cinnama largitur Ceylon, sua thura Sabæus,
Seres fila parant: fundunt opobalsama Sponsis
Proni Arabes; Persæque, & divitis accola Gangis,
Quæ placeant, tibi dona ferunt. quæ candida nuptis
Lux nitet, hostilem poterit placare Malaccam,
Et belli meruisse moram. sed proximus Arcto
Amstela, blandenti strepitu, levibusque susurris
Pulsat honoratos, genialia tecta, penates,
Ominibusque favet. quà te Doctrina per omnes
Deduxi. spaciosa gradus, Phœbumque, Themimque
Miscuit, & facili patefecit jura poëtæ,
Stridet Apollineo Barlæi tibia cantu.

Tu, qui bella ferox alium longinqua per orbem
Gessisti, nunc illa cave. quam vincis amando,
Dedisces pugnare magis. quantum arma reposces,
Addisces adamare minus. cui tempora circum
Cassis, & excelsæ fulserunt vertice cristæ,
Palea bellaci præfer civilia lauro.

Et clypeos postpone togæ. cui dextera ferrum
Strinxit, & Hispanum gladiis ultricibus hausit,
In molles descende sinus, & flammea Sponsa
Discute, ut adverso pateant lata ora marito.
Non fragili te crede rati, jam tutior illâ
Vxor erit. si vela placent, si carbasa, venti,
Vela parabit Amor, distendet vela Cupido.
Ille dabit Zephyros, clavum moderabitur ille.
Ille per obscura tranquilla silentia noctis
Longè aliud monstrabit iter, quod mascula Bruto
Porcia, monstravitque suo Cornelia Graccho.
Et tu, conjugio conjux dignata superbo,
Magnanimos conscende thoros, & vincula necte,
Qualia blanda suo strinxit Cithereïa Marti.
Quotque tuus dicet sese tranasse procellas,
Quot terræ spectasse sinus, quot sidera noctu,
Quot formidatum ratibus vexasse Philippum,
Oscula tu totidem numera, tot mutua rursum
Oscula delibare jube; numerumque malorum
Basia, & admotis transcendant murmura labris.
Sin referet, qua sorte trucis per tempora brumæ
Vandalicos inter scopulos, Cimbrûmque Charybdes
Hæsit, & æquoreis madidum caput abdidit undis:
Tu portum præbe facilem, totumque sub ulnis
Abde virum, madidumque abstergas, Moria, corpus.

Ad Illustrissimum DOMINICUM MOLINUM, Patricium & Senatorem Venetum, Querela, de Poëmatum meorum libello, cum ob fila serica contagii suspectus, in Lazoretta apud Venetos detineretur.

PArve liber, magnā Venetûm dum tendis ad urbē,
Illustres subiture lares, & docta Molini
Atria, & Adriacis immersas fluctibus arces;
Quæ miserum te fata manent? quæ dura moratur

Susceptum Rhamnusis iter? nec conscia fraudum
Carmina, & insontes damnant edicta Camœnas?
Sit satis, infidis oneratas mercibus alnos
Illyricos mersisse sinus. absorbeat atrox
Insanas Neptunus opes, dignamque furori
Materiam putet esse suo. fera militis ora,
Assuetasque manus sceleri, dextrasque rapaces
Sors invisa premat: placido tibi pagina versu
Currit, & in nullas armata est Belgica cædes
Calliope. nec dira meæ præsagia chartæ
Aut omen ferale canunt. quid nescia pravi
Numina Pegasidum, quid tot meruere sorores,
Progenies dilecta Iovi? dignataque cœlo
Nomina? cur sanis non parcunt morbida saltem
Limina Virginibus? cur quas Parnassia rupes
Educat, & purâ Permessius proluit undâ,
Includit Lazoretta Deas. non turbida pestis,
Aut mala cœlestes adflant contagia mentes.
Quique suis fixit sævum Pythona sagittis,
Telaque in Argolicas torsit funesta phalanges,
Dat Musis veniam Phœbus. pater ipse medendi,
Quod scripsi, dictavit epos. quin Phocidos omnes
Castaliosque bibi latices, epotaque nobis
Omnia, quæ fœdas abstergunt flumina sordes.
Ista canes rabies, hic lethifer occupat æstus
Palantes per prata boves, hominumque per artus
Transudat violenta lues. si carmina pestis
Corripit, inversus miracula parturit orbis,
Plusque Dii nocuisse volunt. perterrita quondam
Semivirum stupuit soboles Minoja juvencum,
Aut lapidum pluvias Latium, tinctosque rubenti
Sanguine Romulidûm puteos: aut triste gementes
Tarpeja de rupe lupos. plus Adria jamnunc,
Plus Venetus, plus illa timet, quæ cingitur undis,
Vrbs, Divûm fabricata manu. timet illa poëtæ
Carmen, & occulta nocituram tabe papyrum.

Heu pudor! adversam populus qui terruit Hellen,
Cæsareasque aquilas, & tot victricia latè
Signa tu'it, vastoque patens dat jura profundo.
Quem leges longisque probant exercita seclis
Imperii decreta sui, fascesque vetusti,
Aonidum jam dona pavet, causamque timoris
A foliis chartisque capit. quam fulmina belli,
Nec circum tumidis terrent irata procellis
Æquora, ad imbelles trepidat gens Martia cantus.
Parve liber, mea cura liber: cur vincula membris
Implicui preciosa tuis? cur corpora bysso,
Assyriosque tibi strinxi malè cautus honores?
Ah, nocui, dum pulcher abis: & veste sub ista
Crederis infestum populis abscondere virus,
Et taciti fomenta mali. si nudus abisses,
Securus poteras claros subiisse penates,
Et magni pia tecta patris, venerandaque jamjam
Fortè meas placidè tetigisset dextera Musas.
Non aliter propriæ sentit dispendia formæ
Hospes, & illustri quisquis spectandus amictu
Alpinas calcare nives, & inhospità tentat
Pyrenes juga; qua socio latrone viator
Nudus adit, sola tunc paupertate beatus.
Nunc atrum te limen habet, formidinis aula,
Et funesta domus, pavido quam pectore luctus
Exanimesque habitant animæ, morbique fluentes,
Et dolor, & quicquid damnat malesana tenebris
Suspicio, rabidique premunt fastidia cæli.
Hic aliquis tibi thura adolet, myrrhamque, crocumque,
Balsamaque, & spissâ totus caligine fumas,
Infectumque scelus medicis exuritur herbis.
Qualibus Æëtem Colchis scelerata recoxit,
Hippolytoque diem lacerosque salutifer artus
Restituit Phœbi puer; aut juvenescere possis
Auroræ, Tithone, tuæ: vel pristina Circe
Corpora, & annosum reparet Cytherea Phaonem:

Impe-

Impurum sic lustrat opus, vitiumque vetustas
Expiat, & vivo purgat delubra Deorum
Sulphure, & accensis solennia pocula tadis:
Aut salsas adspergit aquas: vel ab ubere matris
Raptat anhelantem calido sub sanguine porcam.
Quod si Romano Venetus mea pignora ritu
Expurgare volet, foliisque avertere pestem:
Eja age, ad Eoi conversus lumina Solis,
Expediat fruges calathis, sal torreat igne,
Et liquidas modò libet aquas, capamque rubentem
Porrigat, & tostis crines admisceat ovis:
Terque meum circa felix eat hostia librum,
Spargens rore levi, & ramo viridantis oliva.
Sic nitidus, sic purus erit, sic criminis expers
E tenebris tantis iterum donabitur astris.
Parve liber, charis nimium semote Batavis,
Nec domino jam tute tuo, sine labe libelle,
Hosne ego te genui in casus? ut sordida laudes
Depreciet Lazoretta tuas? & ludicra damnent
Fila reum? ut sordes inter, mercesque dolosas
Deliteas, cœlique luas innoxie culpam?
Ah querere, & magno referas mea verba Molino.
Et loquere hac: Non hic solum, venerande Senator,
Me tangit dolor, aut nostras infamia Musas
Deterit. en Regem, majestatemque Britannam,
En, Carolum Lazoretta tenet. captiva tenentur
Nomina; Nassovii, & tanta praconia gentis
Claustra premunt, Myliique decus; quo vindice solo
Audent ecce mea trans saxa Alpina Camœna
Ferre gradum. graviora queror. damnata tenentur
Numina, Pierides, & vatum fautor Apollo,
Quaque meis plausit studiis Tritonia Pallas.
Dique, Deaque latent, vanaque piacula pestis
Exercent superos? quanam hac vesana jocandi
Savitia est? etiam sacros fortuna poëtas
Vexat? & innocuas audax bacchatur in artes?

Vnum hoc, Aonii cœtus celeberrime vindex,
Hac passus jam fata, precor. Da cernere vultus
Posse tuos, & cum lustratus carcere solvar,
Perlege, sed facilis, purgatam à peste poësin.

Ad eundem.

PAlladii dux magne chori, quo vindice Musæ
Clarius in terris exeruere caput:
Cur invisa meum purgat Lazoretta libellum?
Et nocet insonti suspiciosa domus?
Si vitium, si crimen habet, si barbara vox est
Vatis, & ingenium simplicitate cadit:
Nil fumi flammaque juvant; non thura, vel herbæ
Versibus abstergent horrida verba meis:
Ne veniat, quæ lustret anus mea carmina, vel quæ
Præferat indignâ sulphur & ova manu.
Tu solus lustrator eris, tu, docte Senator,
Percurras oculis pignora nostra tuis.
Omnia decedent subitò contagia, postquam
Illa tua fuerint tacta, Moline, manu.

PROPEMPTICON,

Ad nobilissimum, amplissimum, doctissimumque virum, D. FOPPIUM ab AISSEMA, Equitem, Ill. Ord. Generalium apud Hanseaticas urbes Delegatum, cum Hagâ Leidam transiens Germaniam repeteret.

DVm Batavos, vir magne, tuos, spoliisq; triumphās
Hesperiis illustre solum, prædaque recenti
Et debellato felices Vespere terras
Deseris, & patriis iterum subduceris oris:
Nec jam te magni dudum exspectata Senatus
Consilia & lentis remoratur vocibus Aula:
Auguriis, votisque sequor; facilesque Camœnæ

Quà

Quà properas, socio subeunt vestigia gressu.
Quippe nefas & turpe reor, sine vate poëtam
Desertas calcare vias, sine teste laborum
Ferre gradum, summoque decus venerabile Phœbo
Tandem etiam nostro non inclarescere cantu.
Dicite Pierides, tenerumque arcessite carmen,
Vestraque qui toties subii delubra sacerdos,
Et medio merui textas Helicone coronas,
Tollite me Superi. cupio per regna, per undas
Ire comes, reducemque sequi; & discrimina terræ,
Tantaque Palladio solari tædia lusu;
Dum longum molitur iter, jussisque Batavûm
Inclyta per veteres transfert sua nomina Chaucos
Aissema, bellacemque parat superare Visurgim.
En tibi transactæ nequicquam ignara juventæ
Ingeminat jam Leida, Vale. tua, maxime Foppi,
Colligit haud uno præconia judice Pallas,
Inque tuas gestit plaudens Academia laudes
Doctorum sociasse sonos. te sensit alumnum
Rhenus, & Aoniòs inter celeberrime cœtus
Tot titulis sublimis eras: cum gloria pigrâ
Intrepidum te ferret humo: facundia præcox
Venturos patriæ juvenem formaret in usus:
Dictaret consulta Themis: curamque virilem
Suaderent exempla tibi: cum gnara futuri
Mascula primævis Prudentia luxit in annis.
Nec minus, Auriacos, Mavortia fulmina, jactans
Haga Duces, tibi vota facit, Belgique Potentûm
Auspicio jam quisque favet. dum Nestor, & alter
Ceu Cineas, responsa capis, momentaque belli,
Grandiaque Hansaticas defers mandata per urbes.
Ipse procellosis jampridem sævior undis,
Componit tibi Flevus aquas. obnoxius æther
Frigora, & immites cœli clementia Cauros
Temperat, invisumque gelu castigat Olympus.
Terra omnis pelagusque patent, nec segnis eunti

Emollit natura vias. si vasta viator
Æquora, & Arctoos sulcabis remige fluctus,
Spirantes aderunt Zephyri, & tranquillior Auster
Carbasa speratum tutò propellet in Albim.
Sin Frisia loca grata tua, patriosque penates
Oceani securus adis; Amasisque lavabis
Vorticibus defessus equos, populosque videbis,
Et circumfusis passim trepidantia castris
Oppida; sæva aliis, strictos Bellona recondet
Et gladios, & tela tibi. te neuter Apollo
Vindicat; Austriacasque aquilas, Istrique furores
Pierides placare queunt. innoxia Marti
Causa tua est. insons mediis legatus in agris,
Di cujus violare timent ac fallere jura,
Ingrederis. veniam belli doctrina meretur,
Si vel causa neget. procul hæc à pignore miles
Hostiles averte manus, neu pessima charo
Insultes Fortuna viro, ne gaudia tristis
Polluat hora mihi. in superos, divosque redundat,
In Musas, Phœbique caput, Charitesque, Theminque,
Damnorum quodcunque dabis. si læseris, en, sunt
Arma mihi, culpamque feris ulciscar Iambis,
Et tua mordaces proscindent numina chartæ.
Hæc inter, vir summe, tui meminisse poëtæ
Ne pigeat, rapidisque rotis subvectus, & altis
Curribus, hæc tecum reputa. & quem dura suorum
Iussa premunt, tu lenis ama; nostrisque remotus
Sedibus, in mediis Batavos qui laudat Athenis,
Barlæum plus crede tuum, Cimbrosque per ipsos
Mitia nascenti dona suffragia vati.
Quod superest, reddam soboli; doctasque per artes
Ingenium, & Sophiæ ducam juvenile per hortos
Pectus, & Ausoniis tingam præcordia lymphis.
Tu pavidas Cimbrûm terras, & sceptra disertas
Erige, tu Gothicæ Belgas Cimbrosque tiaræ
Consocia, tu certa favens regalibus adde

Robora

Robora consiliis. sic te Christiernus amicum,
Sic victor Gustavus amet. sic longa viarum
Decurras sospes spatia, & desuetus amator,
(Vt non illepidum credas scripsisse poëtam)
Lætior in chara amplexus descende Creusa.

In Amplissimi, Doctissimique Viri, ROCHI HONERDI, Supremæ Curiæ Consiliarii, Tragœdiam sacram, quæ MOSES NOMOCLASTES inscribitur.

LEgiferi vatis furias, perculsaque tanto
Pectora flagitio, & scelerata crimina turbæ,
Funeraque, & grandes æterni numinis iras,
Vndantemque reo desertum sanguine Sinam,
Dum tragicis, Honerde, sonis, ac vultibus aptas:
Obstupui Batavum Latia sub veste Sophoclem,
Euripidemque mea rursum de gente renasci.
Desinat Argolicæ carmen ferale puellæ,
Et personatum populo ostentare Thyesten
Græcia, vel tumidâ Electram producere scenâ,
Hectoraque, Ajacemque, Duces. nec sola Latinè
Se putet ore loqui vilem Cisseïs ob hircum.
In Batavis orchestra tremit, quassatque cothurnus
Pulpita, & atratis depictus fecibus ora,
Iratum tonat ore Deum; Mosenque, Ducesque
Belga, nec in fictis loquitur lachrymosa tragœdis.
In rabiem impietas, & cæco concita motu
Relligio primæva ruit. præfertur Olympo
Stulta Pharos, laudesque Dei sibi corniger Apis
Poscit, & insanum plebes veneratur Osyrim.
Quæ Pelusiacis jampridem mugiit aris,
Se credit jam vacca Deam: quod gesserat aurum,
Iudæus pro numine habet: quod fecerat ipse,
Et cuperet fregisse, colit; cœlique creator
Fit dextræ pereuntis opus. concluditur ære

Majestas

Majestas spaciosa poli. Nec jam ipsa furori
Imposuit mens sancta modum. se vindicat ultrix,
Atque aliquà peccat pietas. franguntur honesti
Vocibus insignes tabulæ, pereuntque salutis
Federa, & humani monumenta æterna laboris.
Legum verba cadunt, & magno pravia Christo
Ex alto doctrina ruit, mutandaque tandem
Pacta docent, fideique probant præcepta ruinæ.
Interea insanos miserandis cædibus ausus
Expiat, & jugulos ultori commodat ensi
Isacides, discitque sua deliria vitæ
Absentem spectasse Deum; numenque veretur,
Quod pœnâ se tale probat. Memphitica nec jam
Saxa vocat, fractaque colit secreta juvencæ.
Hæc canis, & strepera curis interseris aulæ,
Aonii Dux magne chori, placidumque tribunal
Fari mœsta doces, & sacris induis iris
Pectus, & attonitum socias cum judice Thespin.
Post Thamaram das ista legi. quæ femina fundit
Verba furens, scis esse minus. plus pulpita surgunt
Hebræo percussa Duci. si filia regis
Æstûat, in sexu vicium est. cum legifer ipse
Intonat, & rabido pulsat proscenia gressu,
Auditor tacitisque stupent subsellia linguis.

Ad doctissimam virginem, ANNAM MARIAM à SCHVVRMANS, Trajecti in Batavis habitantem.

QVæ tibi Diva parens generis? nũ docta Batavis
Te peperit Carmenta tuis? titulosque virorum,
Doctrinaque decus debet natura puellæ?
Scandis Apollineos colles virguncula. priscâ
Excidimus jam laude viri. vilescimus ultrà,
Feminaque ingenio nostros transcendis honores.
Mirabor magis? an rerum portenta dolebo?

Num

Num dicam peccasse Iovem? vel mascula miris
Inverti simulacra modis? Sempronia nobis
Altera, & Arctoo melior sub sidere Sappho
Nascitur, atque novam protrudit Pallada terris
Iupiter, & veteres mulier scrutatur Athenas.
Non Latium, non Roma satis, non sufficit uno
Ore loqui, minor est simplex facundia votis
Virginis. Argolicas etiam (proh numina) voces
Anna legit, sociatque suum cum Cecrope Belgam.
Si mirum antiquæ committi scripta Corinnæ,
Hæc etiam, quod scribat, habet. si conscia rerum
Prodidit exactis Manto sua carmina seclis,
Egregiumque aliquid grandes cecinere Sibyllæ,
Et Mariæ mens ista potest. sociata marito
Polla fuit, juvitque sui commenta poëtæ.
Nec minus illa virûm studiis succurrere posset,
In socios admissa thoros. quid Belgica jactas
Belligerasque rates, & magno Principe fultas
Imperii crescentis opes? quid didita famâ
Prælia? barbaricis oneratas mercibus alnos,
Totque novis passim laxatas mœnibus urbes?
Hic majora stupe. rarum Battavia nomen
Conficit una tibi. præstat facunda virago
Tot titulis, fastusque leves virtutibus anteit.
Nec precium jam sexus habet. cum virgine, docti,
Communes animos geritis. vilissima nostri
Portio nostra manet. solis discernimur, eheu,
Corporibus, geniumque viris confundit & artes,
Et, qua nos sapimus, vir dici parte meretur.
Quid dignum te, Virgo, loquar? veneranda pudori
It juxta doctrina tuo, castissima mores
Vita probat. doctam submissa modestia mentem
Flectit, & ingenuos decorat reverentia vultus.
Quis thalamos, formosa, tuos conscendet amator?
Ridebis cui sponsa viro? cui nupta marito?
In Batavis si Phœbus amet, te conjuge Daphnen

Negli-

Negligat, & tali cupiat se jungere Divæ.
Dos tua tot fuerint artes, prudentia, virtus.
Dos tua tot fuerint linguæ, tua gratia, candor,
Simplicitas, & quicquid amant scivisse Camœnæ.
Anna, (fatebor enim) non me tua nomina tantum
Afficiunt, vatemque trahunt; sed quicquid in ista
Virginitate queat summum flexisse Tonantem,
Suspicimus, Musisque placens me tangit honestas.
Scribimus hæc, loquimurque tibi. si dicere coram
Cogerer, hærerent forsan suspensa poëtæ
Verba, nec ad solitas fluerent mea carmina leges.
Sin minus illa placent, & si magis oscula vester
Sexus amat, nos illa domi debere putabis.
Invenies alium, si te hic fastidit Alexis.

Ad IACOBVM VOLMARIVM, Philosophiæ Magistrum.

CARMEN IVVENILE.

QVid pulvis Caveæ? victumque saburra cruorem
Prisca bibens? quid Cæsarei spectacula circi,
Et circunductis Daphne suspensa theatris?
Quam laudis mala materies, tristisque palæstræ
Turpe patrocinium, pensataque crimina recto,
Iusque datum sceleri? quid honorum prodiga Memphis
Et Mausoleum conjunx mirata sepulcrum,
Quam lapidi decus, aut fragili dat præmia ligno?
Posthuma quæ stupeat demireturque propago.
Vsque adeo vili natum de cespite nomen
Vivax fama vehit, vanisque excita trophæis
Dextra tubam memoresque emit post fata nepotes;
In saxo quærens titulos, in pulvere vitam,
Nomen in exequiis. Quin tu Tiberina labores
Adspice Roma tuos, Latiis decerne triumphis
Currusque tumidasque rotas; da carmine festo

Militis ora fremant, dominasque secuta curules
Turba triumphantes Capitoli ad limina sistat
Scipiadas: victis patrem ter clamet Achivis
Æmilium, patriaque ferocem funere Syllam
Aspiciat, tutata reum. Quin gaudeat unus,
Cædis Cæsareæque, & nominis ultor Iuli,
Iungere magnanimos primo temone leones.
Indignum meriti spacium, cui sanguine, rapto,
Cæde, latrociniisque & acerbi fulmine Martis,
Tot matrum lacrymis, & fœmineo ululatu,
Constat honos, fasces, trabea, monumenta, corona.
An tanti pomum fuit, aut prælata Diones
Filia, Tyndaridumve soror, Cassandra prophetans,
Anna soror, regina furens, conjunxque Tonantis
Invida? num tanti foribus dimissus eburnis
Omnis ab irato furor eructatus Achille?
Posteritas ut & illa ferat; victuraque semper
Figat in æternis vatum mendacia fastis?
Scilicet antevenit veræ virtutis honorem
Fabulaque & vicium; fucato splendida vultu
Post tumulum, & cineres, & longi secula tractus,
Emicat improbitas, magni mentita poëtæ
Ingenio, tenebrisque alti damnanda silenti
Narrantem decimo sobolem sibi sufficit ævo.
Non ita Palladius laudum fastigia miles,
Aut trabeam fascesque capit: non purpura Phœbi,
Augustoque umbrosa virens in limine laurus,
Non hederæ, & seros deductum nomen in annos,
Degeneri virtute datur: melioribus ausis
Doctrinæ succrescit honos, vitaque meretur
Præmia, qui vitam seclis fugientibus adfert,
Pieridumque instaurat opes: cui tota recessus
Cyrrha suos, sensusque aperit grandæva vetustas.
Talis ades, quem Leyda pios attollere vultus
Aspicit, & celsa decus ostentare curuli,
Volmaria de stirpe Puer, cui regia pridem

Victori

Victori dominos fixit Sapientia fasces,
Doctaque Sidonias suspendunt limina vestes.
Non tibi mendacis secunda licentia vatis,
Non precium recidiva dabunt, non funeris atræ
Solvet ab invidia, & pallentis dente senectæ
Pulverei sudoris opus, veterisque palastræ
Dura rudimenta, aut magnæ congesta parentis
Ossa, rudis terræ soboles, despectaque laudum
Materies, sed Socraticis mens dedita curis,
Quaque Stagirai tecta insidiosa Lycæi
Pressit, & humanos prorsus desueta labores,
Vidit in obscura gremium subtile Minervæ.
Non tibi plebeio sudatum pulvere nomen,
Non senium, non fama datur; verùm ardua rerum,
Et nulli, aut certè paucis tentata priorum
Lustrasti spacia; immensorum plena laborum
Area prima tuæ pandit tentoria laudis.
Te gravior valido pressit Sapientia nisu,
Ipsa Cleanthea denudans ilia turbæ,
Ingenio monstrante viam. tibi vasta sophorum
Atria, Cecropiæ miranda arcana senectæ,
Rixantesque choros, & non placabile Grajûm
Agmen, & ancipites ostendit diva catervas;
Quicquid in antiquis contendit Pallas Athenis,
Inventum quodcunque tuo schola prisca recessu
Prodidit. Hæc magni dedit aspectare Platonis
Communes rerum facies, abstractaque mundo
Formarum genera, æthereos agitata per orbes.
Illa tibi Samiæ veneranda silentia turbæ,
Migrantesque animas, nec dilanianda ferarum
Tergora, & innocuæ præscripsit pabula mensæ.
Iamque ætas prior, & sapiens abstrusa vetustas,
Cunctaque difficilis patuerunt ostia secli;
Cum per Avenroen, facilisque inventa Iavelli,
Per gravis Alphonsi folium, per inhospita Scoti
Tecta, per Occami latebras, decreta Pereri,

Occul-

Occultosque sinus Thomæ mens ignea rupit.
Non latuit Fonseca pater, non docta Toleti
Pagina, non dubios versans Mirandula sensus.
Trivisti Gabrielis opus, quæsita Lovani,
Et Cajetani Scholion ; perque abdita Suaræ
Scripta, laboranti tantum perspecta cerebro,
Perque theses Durande tuas, sinuosaque dicta
Ægidii, Bedamque senem, perque omnia raptus,
Immensum Sophiæ tranasti sedulus æquor.
Qualia terrenum fugiunt molimina vulgus,
Vix hominis sortita modum. sibi congrua poscit
Limina, nec crassis animorum nascitur atriis,
Sed genium res ista cupit. mens illa deorum est,
Semideisque immixtus agit, quicunque sagaci
Ingenio naturæ obices & claustra relaxans,
Tantarum potis est causas evolvere rerum.
Hic terram, sed ut exul, habet. secretaque mundo
Pectora fert, quin solum anima est , dum simplice motu
Spirituum puros meditando conficit actus.
Obstupuere viri, & totus (sacer ordo) Senatus,
Palladiâ cum gente, novam miratus honorum
Materiam, quoties rationum umbone coruscans
In varios docto te ferres ordine gyros,
Hostiles acies emissaque tela retundens.
Ipsa inimica phalanx tanto se fassa minorem
Principe, devictas aquilas, inhonoraque signa
Ante pedes posuit. neque enim victoria major,
Quam quæ confessos animo quoque subjugat hostes.
Tale tenes meriti spacium, cui curia Patrum,
Et Procerum veteres hodie vox justa triumphos
Aptat ovans, cui posthabita Tritonia Cyrrha
Servit, & antiquo decernit pilea ritu.
Iustior hæc laudum seges est, hoc pulvere curret,
Quisquis ab ignavo senium defendere mundo
Tentat, & æternæ captat solatia famæ.
Quare age, magnorum testis præclara laborum

Aspice

Aspice Leyda virum, juvenem quem dixerit ætas,
Mens grandæva virum; quem vult natura minorem,
Majorem grandæva suis industria curis.
Aspice, totus adest oculis, dum tempora tristis
Præteriere moræ, Pallasque exporgere frontem
Nostra venit, postquam attonito delubra Senatu
Muta diu, solitis iterum reserata loquuntur
Vocibus, & sacri pandunt oracula vates.
Lætitiæ da signa tuæ, gratisque verenda
Imperiis, lachrymasque piæ miserata Minervæ,
Iura simul sceptrumque refer, venerare clientem,
Qui novus incedit Sophiæ per templa sacerdos.
Exere jam dignos tantæ certamine laudis
Læta choros, quantumque tuis facundia pollet
Ingeniis, expande decus. Stat certa merenti
Mercedis mensura, juvant præcognita quemque
Præmia, & egregiis gliscit Sapientia donis.
Illa suis licet aucta bonis vix extera curet
Iudicia, & strepitus vulgi, facilesque susurros,
Magnificasque trabes, & honoris negligat arcem;
Vsque tamen socios tacite sibi poscit honores,
Et pompæ plaususque aliquid, gratique favoris,
Et strepitus patitur, quamvis non præmia tantum,
Quam curas, studiumque suum & se digna moretur.
At tu Pegaseas tandem conscende curules,
Quò laudum se tollit apex; da cernere doctum,
Sed socia virtute, caput; tibi nomina tandem,
Principibus concessa viris, & debita claris
Ingeniis, tardæ famulis invisa Vacunæ,
Transcribit senior venerando Snellius actu.
Iam votis mensura tuis, quæsitaque dantur
Munera, dum plenis prostat tua fama theatris,
Æternum latura decus. nunc undique laudum
Cingeris agminibus. jam te meruisse videmus,
Dum plausus titulosque refers. jam dextera concors,
Iam placidæ prætexta togæ, jam pilea priscum

Digna decus, digitisque auratum insigne coruscans,
Et celsæ sedis facies, tactumque volumen
Debita nascenti decernunt jura Magistro.
Ecce novos Phœbo pubes dilecta triumphos,
Et tantum comitatur opus, tibi plena Lycæi
Atria densatis fervent devota catervis.
Applaudit simul æqua cohors, gratoque coronas
Et currus tibi corde parat. defertur amicus,
Concordi sed voce, favor. tibi gratia Patrum
Gestit ovans, gaudet sacra cum gente Senator,
Votaque Pieridum cumulant plebeja favorem.
Iam Leydæ communis amor, jam maximus audis
Antistes Sophiæ, de te miracula quisque
Colligit, inque animis plausu meliore superbis.
Scilicet hoc meritis præclari nominis addit
Annexus pietatis honor, tantamque rependit
Relligio tibi culta vicem, dum criminis insons
Virtutis pura veneraris mente tribunal.
Euge, movent tua facta Deos, Parnasia læto
Murmure templa sonant; & te nascente magistro,
Vndique Pegasea Phœbus stipante caterva,
Carmina festa fremit; tremulis quæ fluctibus inter
Luxurians fluidos Aganippe concitat amnes.
Pallas Cyrrhæa thalamum tibi sternit in aula.
Calliope viridis contexit brachia Daphnes.
Melpomene tibi læta boat, sed concinit illì
Dulcior Euterpe modulis. te cœlica vellet
Vranie celsa cœli regione locare,
Sed Iovis illud erat. quin laudis conscia Parcæ,
Non rumpenda tibi promittit stamina Clotho.
Nec satis hoc. nimis arcta tuis sunt nostra triumphis
Regna, nec ingentes metitur Belgica laudes.
Trans pelagi spacium curris, dum nuncia rerum
Fama Britannorum velox se accingit ad urbem,
Natura famulante Deæ, quæ vincta resolvens
Claustra maris, portus aperit, quò libera puppis

Possit

Possit oloriferas effundere nomen in undas.
Tuque mihi, titulis gravis, & fama ubere pragnans
Salve progenies, seris qua debita seclis
Battavicis ponis laudum spectacla tuarum
Porticibus. latare tuis mens splendida curis,
Qua dominum mercede beant, dum basia jungunt
Hinc labor, hinc meritas texens Astræa coronas.
Sed dum per magnos graderis spectandus honores,
Vnum te Pietas & cœli filia poscit
Relligio. sacros studiis invade penates,
Ipsum ordire Deum, pateant secreta Tonantis
Abramidum, priscique patres oracla loquuti.
Cui tantum Natura patet, donataque cœlo,
Tota salutares mens imbibat enthea sensus.
Sic te, quem gravior fecit doctrina magistrum,
Relligio perfecta beet, sic nobile lucrum
Christiadum Pietas celso te inscribat Olympo.

Ad nobilissimum virum, D. GERARDVM THIBAVTIVM, Libros suos de Gladii usu edere parantem.

HActenus indoctis Batavi pugnavimus armis,
Et simplex Bellona fuit; quum vindice nullo
Tuta Salus celeres nimium procedere mortes
Indoluit, vitamque truci committere Marti,
Et bellatrices exhorruit anxia dextras.
Pugnantum laus vilis erat, robustaque solum
Plus poterat nocuisse manus, fortesque lacerti,
Fixaque fatali heroum vestigia campo.
Perdomuit vis una viros, & gloria victrix
Naturæ, non artis, erat. Sic nescia legum
Græcia privatas gladiis ulciscitur iras,
Priamidesque ferox venienti occurrit Achilli,
Et falsis Patrocli animam deposcit ab armis.
Nec Latium priscique magis sapuere Quirites,

Romuli-

Romulidumque pater ; tunc, cum crudelibus ausis
Armaret geminos vesana superbia fratres,
Æmulaque ingentis caderet pars altera Romæ.
Ignari nostrorum operum pugnare Sabini,
Et vinci potuere patres, & freta duello
Agmina : nec tales credam vibrasse machæras
Albanos, Tullique duces : cum fœdere sancto
Rixantes populos victor conjungeret ensis.
Quid juvat è fragili pendentia retia filo
Artificem rexisse manum ? quæ verbere vano
Currentem totâ juvenem derisit arenâ ?
Vos Threcum infames sicæ, falcesque supinæ,
Parmaque, nec faciles avertere vulnera peltæ,
Et Myrmillonum pugnæ, rudibusque superbi
Cedite victores ; quos quondam Martia circis
Et circumductis inclusit Roma theatris.
Nunc alius manet arma labor, delapsaque cœlo
Decrepitum felix industria perficit orbem,
Nec notum molitur opus. sublimior ensem
Cura rotat, neque jam validæ vis effera dextræ,
Sed sapiens doctrina ferit. succumbitur arti,
Cum cadimus, solaque hostem ratione necamus.
Ipsa novos ausus, & tanti pondera veri
Miratur natura parens ; quæ rara Thibauti
Sedulitas nostro pandit mirabilis ævo.
Ipse sibi vitæ spatium mortisque futuræ
Scribit homo, & proprio metitur corpore ferrum.
Ars circo depicta jacet, similique figurâ
Ingentis terræ faciem, divûmque penates,
Et nostrum consummat opus. signatur in illo
Littera ; quò tutos possis defigere gressus,
Et lethi vitare vias : ubi vulnera cautæ
Infligant funesta manus : ubi deneget ictus
Semita, & hostiles spernat secura furores.
Area parva patet, totus quam suspicit orbis,
Ignorata diu terris. hic abdita sensus

Occultat doctrina suos, generosaque pandit
Dogmata, & humanæ miracula plurima mentis.
Quo gladio se munit, habet momenta salutis,
Pugnandique gradus. non ulla licentia ferri est,
Nec, quà velle potest, libertas tuta vagatur.
Lex motus immota regit. stant certa nocendi
Tempora, nec frustrà mucro mucronibus instat,
Aut gladius gladio premitur. jam vincere tactu,
Iam visu superare potes. nunc parvula tollit,
Nunc servat mensura virum. nunc occupat hostem,
Nunc fugit arte suum. nunc linea rectior ensem,
Nunc obliqua capit. nunc hoc, nunc eligit illud
Anxia dextra latus; totoque sequacia circo
Brachia versat ovans. Procul hinc fortuna facesse,
Bellorum Martisque comes. pugnare parati
Ad numeros stabili tentamus prælia normâ.
Hæc mundum, Belgasque tuos, & regna Thibauti
Nostra doces. stupuit tanta molimina mentis
Auriacus: stupuere duces, devotaque bello
Nomina Nassavii; queis cum committere dextram
Et pugnare datum. sic qua prostraverat hostem
Sæpè manus, vir magne, tuas exercuit artes;
Victricisque tibi concessit præmia palmæ.
Iam tua Cæsaream grassatur fama per aulam,
Et reges tibi vota ferunt. Germania supplex
Expectata tui poscit monumenta laboris.
Nos quoque, quos tantis dudum virtutibus æquas,
Et nescire nefas credis tam grande salutis
Præsidium, pariter magnis applaudimus ausis:
Quemque tuis cultum studiis & voce dedisti,
Laudatum pariter grati tibi reddimus ensem.

QVERELA LVCRETIÆ

A Sexto Tarquinio violatæ, ad Collatinum, patrem, & amicos.

QVod sum passa nefas, tibi, quos sum passa dolores,
Collatine, querar. non jam Lucretia credor
Esse tui conjunx thalami, dum rapta pudoris
Præmia Sextus habet, gremiumque invasit amator
Improbus, & nostro decessit gloria lecto.
Si scelus est hæc ipsa pati, ferroque coactam
Cedere flagitio, dicat me fama nocentem,
Me Latium peccasse putet. si crimen habetur
Armatas sensisse manus, timuisse tyrannum,
Dic sontem, dic, Roma, ream. si sola voluntas
Arguitur, culpaque caret violenta voluptas,
Absolvar, te teste, pudor. mihi corpore læso
Mens superest illæsa, nec hoc à pectore priscus
Conjugii defluxit amor, mutataque casti
Causa thori est. non Tarquinio dilecta rependi
Officium; miseræque mihi non gestus amantis,
Sed facinus damnantis erat; non brachia vecors
Injecit cupidæ rabies. adspeximus hostem,
Et placui infelix, cui displicuisse volebam.
Græcia Pergamei luxit raptoris amores,
Ægysthique nefas, Agamemnoniumque cubile:
Me Latiæ lugete nurus. sunt altera vobis
Pergama, Romanusque Paris, nec crimine tanto
Troja nocens solum est. serpunt exempla potentum,
Improbitasque etiam nostram descendit in urbem.
Heu quid agam? neque enim stupro violata pudicis
Matribus annumerer: nec, cum sim nescia culpæ,
Damnari matrona queo. licet esse marita,
Intactæ non esse licet: sociavit adulter
Corpora, non animos: rapuit vis sola pudorem,
Non ratio; constansque mei reverentia lecti est.

Ne dubita, Romane. mei mox certa pudoris
Argumenta dabo, nec in hac ego fata superstes
Esse diu cupiam. quod si bona fama vacillat,
Morte luam scelus alterius, proprioque piabo
Funere. non erit, ut digito Lucretia monstrer,
Non ego ludibrium nurubus debebo Latinis,
Nec quod suspicio fallax sibi fingat, habebit.
Omnia magnanimâ solvam discrimina dextrâ.
Me robusta manus, violentaque Principis arma
Implicuere malis: rursum violenta potestas
Eximet, & stricto tot rumpam incommoda ferro.
Non erimus patria indecores, exemplaque de me
Nulla petet mulier sceleris. non semine regum
Progeniem tibi Roma dabo, aut invita tyrannos
Producam genitrix. forsan sperata Quirino
Libertas per me dabitur, sceptrique facesset
Terror, & invisi scelerata potentia regni.
Quin pia posteritas irata nobile factum
Conjugis, & justi referet documenta furoris,
Et, si non patiens, saltem sic fortis habebor.
Fraterno primi maduerunt sanguine muri:
Successit funesta soror, Sponsique cadentis
Victima. femineum rursus Tiberina cruorem
Terra bibat, discatque meo jam qualibet ausu
Illicitas odisse faces, & sancta putare
Vota pudicitiæ, & socialis vincula dextra.
Tu genitor cape tela manu, tu Brute viriles
Vltricesque animos & grandes indue curas,
Vindictaque ferox studium. nunc tempora cessent
Stultitiæ simulata tuæ. cui femina vinci
Imbellis potuit, timeat concurrere vobis
Dextra viris. hac sola meis solatia fatis
Collatine feras. pœnas persolvat adulter,
Nec veniam donet spreto clementia recto.
Peccantem celeres Metium rapuere quadrigæ,
Et mansit sua pœna reum, spretorque Deorum

Morte

Morte luit. fœda quondam perjuria matris,
Et spretos patris thalamos, vetitosque hymenæos
Ense Thyestiadæ clarus fuit ultus Orestes.
Viximus insontes; titulo moriemur in illo:
Me pudet amisso vitam servasse pudore.

ORATIO

MVTII SCÆVOLÆ ad PORSENAM CLVSINVM regem, postquam pro rege scribam obtruncasset.

ADspice, quem juvenem solum fortuna fefellit,
Bellorum jam jure reum. Rex, adspice solo
Has sontes errore manus. si Scævola pœnas
Debeat, absolvet Romanum patria civem,
Ipsaque posteritas. petii, quem sensimus hostem,
Et Capitolinis inimicum sedibus hostis
Aggressus virtute fui. cur abnuis æther?
Cur, Superi, favisse pudet? num sceptra tuetur
Rex hominum, Divûmque pater? regumque verenda
Majestas dilecta Iovi est? num fata triumphis
Incolumem superesse volunt? num nostra ferocem
Terrebunt exempla ducem? aut gravioribus ultrà
Servaris Porsenna malis? quodcunque placebit,
Erratum ratione fuit. tamen, audiat æther,
Hanc doleo peccasse manum. consultaque Divûm
Detestor diversa meis. Etruria specta
Romanæ virtutis opus, tantique laboris
Auspicium, Latiæque animos mirare juventæ.
Non deerit cœptis alius, longo ordine post me
Regis in exitium festinat & alter, & alter,
Deque tua cunctis speratur cæde triumphus.
Castra vacent bello, lætus per jugera miles
Ambulet. haud petimus vili de sanguine laudem,
Nec locus est pugnæ. juratum in viscera regis,

In jugulos Porsenna tuos. unum omnia contra
Tela Latinorum. solum regale tribunal
Arma notant, condetque tuo se pectore ferrum.
Vestibulum ante ipsum, primoque in limine sicam
Sica premit, mixtusque tuis Romanus inerrat
Militibus, tua circumstat tentoria, regem
Qui feriat. te posci unum, tua corpora quæri,
Te signari oculis video. sit funeris hora
Qualibet hora tui, momentaque singula claræ
Partitur jam Roma neci. tu mœnia cingis,
Intentasque famem populis: sed gnara nocendi
Dextera circumstat pavidum, & cervicibus ensis
Imminet. in mediâ fulgent diademata fronte,
Sed spolium sperata meis: quæ purpura cocco
Ista rubet, bibet illa tuum funesta cruorem:
Quodque geris sceptrum, fatalis polluet ictus.
Hoc fato Rex esse potes, semperque, quod unus
Extimeas jugulandus, erit. Iam sæviat in me,
Cui vacat esse truci. spernunt Romana dolores
Pectora, nec, regum quisquis percussor habetur,
Supplicium timuisse potest. mihi fortia, crede,
Conari & perferre datum. nec gloria dispar
Vel mortis, vel cædis erit. suspiria, planctus,
Et gemitus odisse, virûm est. mens conscia recti,
Libertatis amor, patriæ tutela salutis,
Infractos subdunt animos, & præmia famæ
Proscripsere metum. quam cernitis, ara, focusque,
Testis erunt, quantis sese constantia factis
Explicet. en flammis ultricibus uritur illa
Romanis minus æqua manus, quæ dextra fefellit
Me dominum, Porsenna, tuis jam tota favillis
Arsit, & hanc noster pœnam mihi debuit error.

ORA-

ORATIO VETVRIÆ,

Ad Cn. Martivm Coriolanvm filium, armis patriam impetentem.

Qve malesane ruis? patriaque haud tale merenti
Hostiles infers acies, & tela Latinis,
Infestosque tuis intentas manibus enses?
Quid Latium, quid Roma in te committere tantum,
Quid cives potuere? tua est Volumnia conjunx,
Quam ferro scelerate petis; tua pignora, Marti,
Natorumque feris jugulos, ultorque malorum
In mea victricem convertis viscera dextram.
Vsque adeone tuo concedis frena furori?
Nec cessas certare odiis? tantumne licebit
Invidiæ? patriæque tibi venerabile nomen
Sub pedibus, ceu vile, jacet? jam filius hostis
Esse cupis, materque tui cum conjuge belli
Materies feralis ero? quas eripis urbes,
Eripis & nobis, & quos grassaris in agros,
Hos credam quoque jure meos. quæ mœnia perdis,
Sunt matris, sobolisque tuæ. periere Novella,
Corioli, Satricumque potens, Trebiumque, Pedumque,
Et Labici, supplexque tuis Pollustria castris;
Meque tuosque malis demens involvis iisdem.
Sit plebes Romana nocens, proscripserit illa
Insignem virtute ducem. non illa probare
Innocua potuere nurus. damnavimus uno
Ore nefas. sontes incusent jura tribunos,
Hi belli decreta luant. ego mater iniquas
Sum nati miserata vices, lachrymisque peregi
Officium, verbisque sui solata dolorem.
Hostibus immixtæ, conjunx, sobolesque, parensque
Vivimus, & nostro petitur vindicta periclo.
Ex æquo furor iste nocet. complexibus hisce
Cur hærere cupis? quæ me complectitur hostem

Dextera? nec genitrix nocituris eximor armis.
Hæc facies irata mihi est: quæ basia figis,
Das inimica mihi. nunc omne hostile putandum est,
In Romam dum castra moves, dum classica matrem
Sollicitant, tenerosque cient tua bella nepotes.
Hæc ego, quam genui peperique Veturia, jamjam
Abducar captiva manu: devicta triumpho
Destinor: ante tuas incedam vincta phalanges.
Brachia numellæ; qui te gessere, lacertos
Vincula constringent: quæ sæpius ubera flenti
Porrexi puero, nunc improbus hauriet ensis.
In cunas rabies, propriosque insana penates
Arma ruent, &, quos habitasti mitior olim,
Evertet tua dextra lares. deposcitur insons
Ad pœnam puer, & culpâ mactabimur unâ.
Hos ego te in casus, & in hæc te fata Quiritum
Progenui? ut nostro natus de sanguine Romam
Perderet, & Volscis crescentem traderet urbem?
Heu tanti sum caussa mali. sum, Romule, nomen
Imperio fatale tuo. jam nascitur ex me,
Cui vix nata suam debebit Roma ruinam.
Cur turpi me morte mori, cur crimine tanto
Coriolane cupis? generique adnectis & umbris
Opprobrium tam grande meis. miserabilis, exul
Esse velim: solùm, per te periisse, scelestum est.
Conduplicat tua causa malum: mihi cerneris idem
Hostis, & extorris patria. sors utraque matrem,
At magis illa premit. res scilicet altera fati est,
Arbitrii res una tui. depone feroces,
Et nobis placare, minas. quin adspicis illa
Romulidûm constructa manu, & jam didita famâ
Mœnia, Mavortisque domos, veterumque celebres
Relliquias Danaûm, atque novæ fastigia Trojæ.
Si non illa movent, saltem miserere parentis,
Natorumque, pater. pudor est, tibi, conjuge serva,
Deque triumphatâ promitti matre triumphum.

varum decerne modum. malè bella ministrat
Impetus. humanis etiam succenset Olympus
Criminibus, sed thura Deos, sed vota, precesque,
Sed flectunt lamenta Iovem. num patre rogante
Hectoris exuviis atrox ignovit Achilles?
Quamque prius rapuit Priamo Tirynthius urbem
Reddidit, ultricesque Deos placavit Orestes?
Quod si nec gemitus, mea nec suspiria frangunt
Præcipites animos, tibi si contemnitur uxor,
Roma, Deûmque locus, tot nomina blanda tuorum,
Insulaque, & Patrum referentes jussa Quirites;
Impete maternos jugulos, in conjuge ferrum
Abde ferox, sobolem patriis à mœnibus arce:
Sæviat in socios cognata potentia cives:
Rideat hoc Volscus, Vejensque, & iniqua Falisci
Nomina: crudeles placeant Samnitibus iræ;
Solaque Romano succumbat Roma furori.

ORATIO CATILINÆ,

Milites suos ad pugnam cum Antonio hortantis.

HOc stamus, Fortuna, loco; nec patria segnem
Experiere Ducem. pressi servire Quirites
Si cupiant, mihi bella magis, tentandaque ferro
Libertas, ac fama placent. plus de fide vita
Clarescet morientis honos. si dura secundos
Successus mihi fata negant, at fortibus ausis
Et cœptis illustris ero. spes sola triumphi
Audacem intrepidumque facit. non Consulis enses,
Non metuit mandata Patrum, qui ficta Senatus
Nomina, qui cunctis trabeas Latiasque curules
Deberi ratione putant. cur tota Catonem
Roma tremat? cur Ausoniæ terrisque superbus
Arpinas mandata dabit? cur horreat orbis

Pisonem, Catulumque, & ditis jugera Crassi ?
Hoc plures, Romane, sumus. cur tanta potestas
Paucorum, cur tota manet ? nos sanguine eodem
Æneadum stirps clara dedit. non Romulus illis,
Non solis Mavors pater est, nos semine ab illo
Fluximus, & veterum titulos servamus avorum.
Cur aliis diti turgescant scrinia censu ?
Paupertas nos sæva premat ? stipendia gentes
Penditis, hi rapiunt. dant vectigalia reges,
Dat populus, nos æra gravant, alienaque perdunt
Nomina. nos, tetrico passi sermone repulsas,
Iudiciis debemus opes. illustribus illi
Imperiis totum stringunt sub fascibus orbem ;
Obsequii nos cura manet, famulique laboris
Deprimit officium. nostris Respublica jussis
Cur parere neget ? cur me, cur, patria, cives
Despicis hos, tantisque indignos credis habenis ?
Ludibrium tibi Roma sumus, contemtaque turba
Negligimur. praeunt aliis antè ora secures,
Hos grandis pretura beat : locupletior istos
Illustrat quæstura patres : rapit ille sacrorum
Iura sibi, & circum pendentibus infula vittis
Circumdat gemmata caput: fastigia laudúm
Terrarum dictator habet : timet ipse tribunos
Consul, & emeritas aquilas emancipat alter.
Nos numerus sumus, & viles contemnimur umbræ,
Degenerésque animæ. Pariis exstructa columnis
Limina conspicitis passim : nos paupere tecto
Claudimur. ingentes sternunt sestertia montes,
In fluctus jam luxus abit ; rabiemque profundi,
Oceanumque patrem Romana superbia vinclis
Alligat. En cœlo sublimia saxa minantur,
Stultitiaque petunt Superos. nos indiga rerum
Pauperies, atque æris inops affligit egestas,
Et scelerata fames. num vos hac sorte novercans
Progenuit natura parens ? hac vivere tristes

Condi-

Conditione cupit? ferro decreta Deorum
Rumpite, præscribat fatis industria legem;
Et quales nos esse volunt, non esse velimus.
Audaces fors ipsa juvat, quin imperat astris
Sedulitas, & cura vigil. jam desinit esse,
Cui dolet esse, miser., patimur, servimus inertes.
Macti animis, subeat tanti fiducia regni,
Et Latii decus, & potiundæ gloria Romæ.
Vos patriæ tangat pietas, & dulcis amœnæ
Libertatis amor; multi spes erigat auri
Languentes animos. leges calcate timendas;
Quemque suæ rapiant generosa in prælia causæ,
Sed potior merces. hæc belli præmia prostent
Antè oculos, magni vobis augusta Senatus
Nomina, & hos ipsos Tulli promittite fasces.
Dux, milesve siem, nullo discrimine habebo.
Dicite me socium: tanti collega laboris
Aggrediar clarum facinus, flammisque penates,
Ense viros, dominosque ulciscar Romæ superbos:
Aut signate ducem. patriæ devota saluti
Bellatrix est illa manus. qui militat ensis,
Militat hic vobis. hic Divûm vindicat aras
Perdendoque dabit vitam; per funera, cædes,
Ad magnas grassatur opes, avidusque cruoris
Sanguine restituet patriam. jam tecta, penates,
Rostra, lares, nostraque ruant Capitolia dextra.
Nobilitas invisa cadat, feriantque curules
Tela, nec à claris revocetur fascibus ensis.
Libera mutato gaudet sic Roma renasci
Consule, sic pulso dabitur pax tuta Senatu.
Ite viri, Latiisque truces occurrite castris.
Victores sperate Deos. jam fortibus esse
Expedit, ignavis noceat. jam parcere cives
Civibus hora vetat. veniam clementia victrix,
Sed post bella, dabit. primas audacia partes
Effrenisque furor teneat. discrimina, pœnas,

Exitium, mortes timeant, quos arguit atrox
Causa reos. quotquot metuunt, jam proxima morti
Regna tenent, solusque timor pars certa pericli est.
Nec spes ulla fugæ est. gemino circumdamur hoste,
Stant sterili mea castra loco, fastigia circùm
Aeriæ attollunt Alpes. hinc signa Metellus
Gallica, parte alia adversis Antonius armis
Bella movet. stricto sternenda est semita ferro,
Visque viam inveniet. certa momenta salutis,
Qui pugnabit, habet. quod si moriemur, inultos
Turpe mori. cernat populi ferale cadaver
Roma sui, madeatque suo quoquè sanguine, quisquis
Hunc bibet, & belli ploret dispendia victor,
Vindictæque furor manes descendat ad ipsos.

IN NVPTIAS

Amplissimi, doctissimique Viri, PETRI C. HOOFT, Poëtæ Batavi, ac in Tragico dramate summi, secundum Sponsi.

HActenus à tragico Vates celeberrime cantu
Idalium meditaris opus; grandemque cothurnum
Exuis, & Paphiis dissolvis tempora curis.
Iamque truces iras, & sævi crimina Velsi,
Vltoresque Deos, caligantesque profundæ
Tisiphones thalamos, excitaque sedibus imis
Numina; confossumque Ducem, tantoque piandum
Funere flagitium, tot tristis nomina scenæ
Dediscit tibi Musa loqui; tenerumque Diones
Ingenium, moresque procans addiscit amantum.
Ad soccum deflectit Amor, cupidisque maritam
Occùpat officiis; nec jam tua fecibus ora
Dedecoras, vultusque tuos abscondis in illis:
Sed cunctis noscendus ades, pulchroque decorus

Corpore fragrantes thalamis inspergis odores.
Non fusis per colla comis, verbisque severis
Machtildem prabes populo. stant lege capilli,
Comtaque casaries, & lata frontis honores,
Tellacesque oculi, vocesque in amoribus apta,
Atque inter molles lucentia lumina risus
Efformant geniale caput, Sponsumque loquuntur.
Non Thespis tibi verba gravis, mœstumque tragœdo
Dictat epos, sed blanda suos Cytherea lepores
Suggerit, & festo resonant proscenia cantu.
Flebilis orchestra facies & pulpita lato
Mutantur funesta thoro: nec vestra loquacem
Admittit cortina chorum: quin fabula solùm
Actores capit ista duos, longeque remotus
Hac scena spectator abest. sic omne tenebris
Officium moderatur Hymen, positoque pudore,
Iam tibi, jam Sponsa sociandos dividit actus.
Dum loquor, ecce gravi regina Tragœdia gressu
Ingreditur, foribusque meis sese altior infert,
Sed priscos exuta habitus: non longa trahebant
Syrmata funerea vestes, piceasque rotabat
Dextra faces, qualis furias recitavit Orestis,
Aut Hecubam fari docuit, dirumque Thyesten.
Vtque per Aonios spatiantem suaviter hortos
Me videt, atque aliquam capiti pratendere laurum,
Nec vatum aversum studiis, Batavique poeta
Ludere per thalamos, totamque arcessere Cyprum:
Et nostrum, Barlae, tuis intexe Camœnis
Carmen, ait; Clarios à me pater Amstela fontes
Accipiat, Pimplamque suis permisceat undis.
Diximus Ægysthi facinus, spretamque Pelasgo
Colchida, & ingenti Troas subnixa cothurno
Per me bis raptam fuit execrata Lacenam.
Dicta mihi Phadra rabies, incestaque mater
Hippolyti, fictisque stuprum mentita tabellis.
Hoc dedimus sceleri precium, famaque nepotum

Vivit adhuc crudelis amor, fœdosque Hymenæos
Fundunt perpetuæ ventura in secula chartæ.
Iam libet in castum deducere carmina lectum,
Et vatem cantare meum; scenæque magistrum,
Grandiloquamque suis animam donare Batavis.
Vndique jam festis collucent atria tedis,
Et picturatis fulgent spatiosa tapetis:
Molle lyræ blandumque sonant, dum suscitat ignes
Sponsus, & ad veteres subridet Sponsa labores.
Illa maritali, tunicas discincta, cubili,
Et voti jam certa jacet, pictoque sub ostro
Tota latet, nisi quà roseis formosa labellis
Ora micant, spectantque virum. non ulla beatos
Stringunt vincla pedes, nec gemmea serta cubantis
Colla gravant. fluidas laxavit fibula vestes,
Vt sic virginitas possit deprensa timere.
Nec timor omnis abest illi, sed docta timorem
Castigat matrona suum, discitque pudere
Cum ratione pudor. lachrymas non fundit inertes,
Non simulat bis nupta metum, sed lenis amari
Se patitur, lectique licet reverentia cordi
Insideat, placet illa tamen, petiturque voluptas,
Quæ neque Scipiadum matres, sponsamque Catonis,
Andromachesque thorum, majestatemque Deorum
Dedecuit, quamque ipsa Iovi non exprobret uxor.
Hippomenes illam si sic spectasset amator,
Optasset se posse frui, pernixque virago
Languidius dilecta foret: Briseida Achilles
Sperneret, infidis fugeret Leander ab undis,
Nec quicquam chara Patroclus in Iphide pulchrum
Esse putet, Thisbenque suus dimittat amator,
Nec Phœbus Daphnen, nec Gnosida Bacchus amaret.
Stant ternæ circùm Charites, natasque sub Ida
Adspergunt thalamo violas, costumque, rosasque,
Cinnamaque, & quidquid messes misere Sabææ,
Almaque odoriferis donavit flatibus Eos.

Gestibus

Gestibus Euphrosyne blandis irritat amorem,
Et pulchras resoluta comas, nudata papillas,
Lene salit. juxta modulis cœlestibus Ægle
Furta canit Paridis, Batavæ jam Phyllidis ignes,
Auriacique faces, vel qualis nuper ab hoste
Ille redux, victi spoliis insignis Iberi,
Obvia ab Ameliæ decerpserit oscula labris.
Tertia Pasithee dextris innexa sororum
Conjugibus sua fata canit: fecundaque lecti
Otia, nec mœstis temerandos solibus annos.
Parte alia lentis deducit stamina fusis
Præscia fatorum Lachesis: catusque per istos
Omnis Pieridum currit chorus, ipsaque dum se
Melpomene multùm Sponso debere fatetur,
Ingeminat geniale melos, facundaque narrat:
Heleonora quibus possit contendere donis,
Amstelias prægressa nurus, quæ gratia vocis,
Quantus in ore lepos, quæ circumfusa facultas
Ingenio, quales formet prudentia mores,
Quàm thalami veneranda fides: ut nescia fuci
Candida simplicitas cunctos intermicet actus.
Ipsa leves manibus stringit Cytherea sagittas,
Telaque, queis vatum potuit læsisse maritas.
Hanc circum pennata cohors, atque omnis amorum
Turba volat, gratisque onerat connubia donis.
Pars offert festiva jocos: pars altera risus,
Et doctos in amore oculos: pars blanda Secundi
Basia: pars magno cantatas Cæsare quondam
Mellifluas largitur Apes: pars carmina Catzii,
Pars bellatoris modulos, lususque Reali
Antè pedes posuit: pars desudata ministrat
Otia Constantis Batavi. jacet illa, stupetque
Munera tot Divûm, atque oculos ad singula confert.
At tu, grande decus patriæ, cui sidera transit
Ardua vis animi: cui nil facundia tritum
Aut loquitur vulgare, tuis qui verba Batavis

Præfor-

Trasformas, farique doces; qui proximus undis,
Oceanique inter strepitus & regna, cothurnum
Induis, & tragico metiris pulpita gressu,
Ad laudes assurge tuas. si Graja Sophoclem
Terra tulit, tu Belgarum proscenia genti
Sternis, & æquoreis prabes spectacula terris.
Tu, sibi quem vellet jam Gallia mœsta renasci,
Henricum doctè celebras, tu pralia scribis,
Iam belli, jam pacis opus, tantique verendum
Principis imperium, clarosque edisseris ausus.
Nunc alind tibi dictat amor, nunc conjugis Hymen
Exigit officium. detersis fecibus, ora
Myrtus amica tegit. veteres, Vir magne, furores
Concipe, Vesper adest; dilataque gaudia rursus
Auspiciis ordire novis; exercita mox te
Sentiat esse virum conjunx: titulisque parentum
Illustret fecunda domum. sic vita duorum,
Istaque, sed lato, tibi plaudat fabula, fine.

PROPEMPTICON,

Ad Ornatissimum, præstantissimumque Iuvenem, IOANNEM SCHOTERBOS, Convictorem meum, cum Britanniam adiret.

SIccine Battavicæ charissima corcula terræ,
Et natale solum, nec fastidita tuorum
Nomina, maternosque lares, & littus amicum
Deseris? & toto divisos orbe Britannos
Belgarum securus adis? vocat æquor euntem,
Naiadumque chorus vitreis te vectat in undis,
Sedibus avulsum patriis. & nobile pignus
Excipit infidâ fragilis fortuna carinâ.
Hîc medios inter fluctus, dum regna Deorum
Adspicis, & celso rutilantes fornice flammas,

Non

Non ultrà arboreis viridantem frondibus Hagam,
Sed maria ampla vides: non magni Principis arces,
Sed formidatos inimico in littore portus,
Hostilesque rates Morinûm, & feralia cernis
Classica: non inter tumidos Academia fluctus
Apparet; non illa domus, quà sæpè solebas
Sobria convictor partiri prandia mecum,
Nec multum dubiis obsonia poscere mensis.
Antè tuos oculos grandes jam corpora Phocæ,
Aut pistrix squamosa movet, vel turgida spectas
Carbasa, quasque suis oneravit mercibus Eos,
Aut redolens Aurora rates. pro matre salutas
Nerea, & absentes quoties subiere sorores,
Spectantur tremulis Nymphæ Oceanitides undis,
Et Thetidis lasciva cohors. jamque æquore in ipso
Miraris magni miracula plurima mundi;
Vt refluis Neptunus aquis subsidat, & amplos
Distendat vis cœca sinus: cur pocula Triton
Salsa bibat: quo Luna regat moderamine fluctus,
Et sibi præscriptas metuat transcendere metas
Ingentis rector pelagi: quo numine in Arcton
Dirigat incertas virtus magnetica puppes:
Vnde fluant ipsum terrentia flamina Tiphyn,
Et redeant toto tranquilla silentia ponto,
Alcyonumque dies. illic flammantia noctis
Sidera, & errantes æterna lege tueris,
Demerso jam Sole, Deos: ut magnus in orbem
Orbis eat, proprioque adversum lentius axe
Corpora nitantur septem. cur cornua languens
Vertat in occasum, mox crescens vertat in ortum
Cynthia: quid rutilos maculis deturpet honores:
Nunc totos spissa involvat caligine vultus,
Astraque retrogrado faciat procedere gressu.
Hæc ubi perpendes tacitus: mihi dicta revolves,
Et prælecta tibi veteris suffragia secli,
Et Graiæ decreta scholæ. tunc fortè subibit

Barlæi vox rauca tui, clamataque nostris
Dogmata porticibus, doctique oracla Lycæi.
Mox ubi te Celtas inter littusque Britannum
Aura feret, Batavis quondam celebrata triumphis
Æquora, & Hesperiis inimicas classibus undas,
Et debellatum Belgis mirare Philippum.
Hic mersa periere rates: hic vecta carinis
Bætica castra jacent: hic bellatricia rostra,
Veliferasque arces, tot transtra minantia cœlo
Disjecit gravis ira Deûm, portusque remugit
Iccius, & vasti tremuerunt regna profundi.
Tunc patriæ fortuna tuæ, casusque tuorum,
Primaque felicis subeant molimina belli,
Armaque, quæ nostris pepererunt otia Musis.
At postquam fessam fundaverit anchora puppim,
Et certus telluris eris; Tamesina viator
Oppida & insignem sceptris regalibus urbem
Lætus adi, regumque domos atque atria specta,
Et mihi cantatas Caroli venerare tiaras.
Suspice Pieridum columen, quo dante, beatum
Aurea jampridem lassarunt pondera vatem,
Et lauro potiora tuli, cunctaque canenti
Sordescunt hederæ, &, doctorum præmia, frondes.
Hic sua Romulidûm posuit tentoria ductor,
Et bellatrices aquilas; sensitque Quiritum
Imperia & Latios generosa Britannia fasces.
Illic permixtam peregrino Saxone gentem
Adspicies, pulchroque procul candore nitentem
Albiona, & forti contermina littora Scoto:
Oxonios etiam colles, montanaque circum
Pascua, regalesque scholas, & docta videbis
Limina Pegasidum, nec non, custode remoto,
Lanigeros errare greges; ut viscera terræ
Subruat, & pallens scrutetur dextera stannum.
Sic novus externis hærens in sedibus hospes
Et mores hominum, & populorum crimina disces:

Quid

Quid fœdum factu, quid cum ratione sequendum,
Quid magis expediat, quid poßit inutile credi,
Optimaque in patrios referes exempla penates.
Grande decus Iuvenum, propera felicibus Euris,
Et longum, dilecte, vale. tibi vota secundet
Æolus, & faciles impellant carbasa venti.
Ille tibi frenet Cauros, Austrosque catenis
Stringat, & Arctois Zephyros emancipet undis.
Nulla tuam vel Scylla ratem, vel cœca Charybdis
Sorbeat, aut dira sidus ferale Lacena
Fulgeat. iratum placabunt verba Tonantem,
Maternæque preces, & si quid carmina possunt,
Illa etiam cœli poterunt lenire furorem.
Si minus illa juvant, saltem secura per æquor
Inveniet doctrina viam, perspectaque Divis
Ipsa tibi tua jam probitas, laudataque virtus
Sternet iter. cœlum, tellus, mare, ventus, eunti
Cuncta favent, facilisque tibi se commodat æther.
Hoc unum primumque precor, seu portus habebit
Incolumem, Tamesisque suas te ducet in urbes,
Seu procul à patria tumidis jactaberis undis,
Seu quadrupes te tollet humo, seu tergore suras
Tectus eas, feriantque tuas calcaria calces,
Seu sitias, seu pocla bibas, seu Vespera fessum
Excipiat, vigilesque tibi matuta caballos
Aptat; ut absentis (nec enim labor iste gravabit)
Digneris meminisse mei, nec vilis amici
Ingenuos memori verses in pectore vultus.

Ad VVINANDVM RVTGERSIVM, Philosophiæ laurea donatum.

CARMEN IVVENILE.

VLtima Palladii sumunt exordia fasces,
Cum trabeis crescunt tituli, rursusque triumphans
Ardua Pierios lassat Sapientia colles.
Et jam Pegaseo late veneranda Senatu
Doctrinæ delubra patent, foribusque Minervæ
Inclyta victrices suspendit Leida coronas.
Tuque ô, qui patrium claris virtutibus orbem
Illustras, tantos inter spectande triumphos,
Rutgersi, procedis ovans, ac judice Phœbo
Proveheris, signasque novis insignibus annum.
At non indecorem claris te, magne, Sophorum
Inseris ordinibus, nec te veniente dolebit
Auriaca regina scholæ; per grandia rerum,
Per clausos naturæ obices, per quicquid ubique
Scire potest mens docta, vel ignorare recusat,
Vadis iter laudum, & vastas diffusa per artes
Irrequieta suos virtus exuscitat ignes.
Prima tibi gravibus trita est discursibus ætas,
Et sapuit de matre recens. tibi contulit idem
Ingenium vitamque dies. præsaga futuri
Ardua mens, vix passa parem, festinaque laudum,
Impatiensque moræ, socias vigil antè cohortes
Vertit ovans. semper Pallas perspecta priores
Vrget, & à tergo venientum despicit agmen.
Mox ubi firmarunt pleni præcordia sensus,
Agnovit natura suum, complexa ministrum
Fœcundo matrona sinu; mundique labores,
Hinc varios animæ genios, hinc fertile terræ
Ingenium, tot rerum obitus, tempusque locumque,

Mate-

Materiæque informis opus, miranda Deorum
Atria, & aurato rutilantia sidera vultu
Prodidit, & magno dominum dignata theatro
Abdita tantarum patefecit semina rerum:
Quis celsi convexa poli, quis limina Divûm
Sustineat versare manu: cur cornua Phœbe
Mutet, & auricomi velox vestigia fratris
Ponè premat: nunc ipsa prior contendat in ortum:
Nunc societ dirimatque faces, medioque recedat
Æthere: corporibus quæ sint elementa caducis:
Quam distet natura Deûm; quæ cognita monstrent
Angelicos documenta choros: quam discrepet orbe
Angulus, & pulchro vitium secedat honesto.
Non ita judicio Minos commissa severo
Factaque fortunasque animarum & crimina discit,
Nec vitæ pars ulla perit: sed tempora curis
Cuncta vacant divisa suis. quos otia perdunt,
Non credis fluxisse dies. si prævia Solis
Nuncia purpureo Pallantias exit amictu,
Tot mundi secreta legis; si vesper Olympum
Induat, emerito subducens lumina mundo,
Te tuus urit amor. vulgoque ereptus, & umbris,
Adspicis æternis habitatas mentibus arces.
Iamque tibi fessam firmaverat anchora puppim,
Cum titulis decorandus ades, generosaque sprevit
Privatos doctrina lares, testisque laborum
Leida fuit: cum jam trepidum gavisa Sophistam
Risit, & exactis clamavit pilea curis.
Palladii stupuere senes, attentaque Phœbi
Conticuit domus, & sancti delubra Senatus.
Tam celer ingentes explevit cursus honores.
Currus Pegasei strident, Sophiæque curules
Approperant, gestitque novo jam vindice Pallas,
Ingenii mirata decus, tantique superbum
Pectoris officium, doctæque exorsa juventæ.
Quare age Socraticos inter celeberrima cœtus,

Scande

Scande triumphalis culmen venerabile sellæ,
Edita mens, proceresque inter spectanda togatos
Iura superba tene. geniis donata Sophorum
Principibus, magnis animum nunc laudibus exple
Victor, & æternas capta tua præmia lauros.
Panduntur laudum portæ, tibi buccina mugit
Pegasidum, festoque fremit tibi carmine vates,
Nec tanto dubitat plausum conferre triumpho.
Ante tuos currus doctæ septem ordine divæ,
Quarum barbaricas solertia despicit artes,
Incedunt, gratoque ducem sermone salutant.
Prima Palamonios ostendens virgo labores
Ingreditur, calathisque effundit lilia plenis,
Phocais allata jugis. hanc pone sequuta,
Amplificam pandens chlamydem, Facundia palmam
Explicat, & suavi solvit præconia voce.
Mox contracta subit Ratio. quartumque Galeni
Ridet opus, tanto destructum præside diva.
Hinc quæ discreti disponit munia quanti
Ad numeros dea vota facit, Pyliamque senectam
Suppetat, & seros excurrens nomen in annos.
Quam radio totum describens gentibus orbem
Insequitur regina, tuosque expandit honores,
Et vastum laudis spacium. tibi sidera sexto
Ordine & ipsa Deum designat tecta virago.
Vltima dulcisonis victori concinit hymnis.
Felix, cui tanta præconia ferre catervæ,
Et precium cœleste datur, cui docta dearum
Agmina, & Aoniæ despondent vota puellæ.
Nec tamen immodicus proprii jactator honoris
Aspectandus ades. generosa modestia laudem
Dissimulat, titulosque sibi mens candida demit,
Quos pudibunda capit. non se meruisse fatetur
Quisquis adhuc nescire putat, geminosque triumphos
Victor agit, quicunque suos dum perdomat hostes,
Demissâ se mente domat, lauroque togâque

Fit

Fit minor, & tumidos calcat bis victor honores.
At tu Battavicæ qui surgis gloria gentis,
Emeritus mundi studiis, castrisque Minervæ,
Thura Deo laudesque refer; persolve Tonanti,
Qui novus intrabis Christi delubra sacerdos,
Vota precesque tuas. jam te cœlestia poscunt,
Et sancti vates, & prima sensa loquela,
Ipsaque Relligio. sophiæ descende theatris.
Sat mundo terræque datum: desueta prophanis
Vna Palæstinos mens sacrosancta prohetas
Imbibat, & magnum destillet ab æthere Christum.

IN OBITVM

Laudatissimæ matronæ MARIÆ de IONGHE, Vxoris amplissimi præstantissimique viri LVDOVICI KINSCHOTII.

Conjugis extinctæ cineres, raptumque cubili
Pondus, & irriguis madidam ploratibus urnam,
Dum quereris, Kinschote, tuis dissolvor in undis,
Et mea ferales humectant carmina guttæ.
In foribus fumant taxi, nigrumque reducit
Immitis Libitina diem. stat triste feretrum,
Plutonisque domos, &, quo propellimur umbræ,
Laxat terra sinus. atratis limina squallent
Porticibus, partesque dolor se fundit in omnes,
Et mediis lacrymant etiam tibi marmora tectis.
Conjunxit Cytherea duos, divellit amantes
Parca ferox, visumque istâ de conjuge summis
Dissentire Diis. rapit inclementia Fati,
Quam thalamo donarat Hymen, tenerosque per annos
Occursat Veneri Lachesis, tedæque recentes
Præluxere rogo. vix nomen dulce mariti,
Vix notum tibi dulce patris; vix blanda Diones
Otia, & insolitos lectus persenserat ignes,

Cum

Cum frigus lethale subit, sociamque thorumque
Corripit, & primos mors interturbat amores.
Qualis in Hesperidum cum pulcher amaracus horto
Occidit, & rosei pallent ante ora colores,
Avulsum cum virgo rapit, vel sævior Eurus
Discutit infestis vernantia culmina nimbis:
Talis erat Mariæ vultus, cum posceret illam
Iuppiter, & pulcrum secuit Proserpina crinem.
Scaldiacæ flebant matres, ubi Iunia primos
Extulerat mundo claris natalibus ortus,
Atque alibi sensere mori. circumflua cunis
Nereidum genitrix tanti quoque conscia luctus
Ad tumulum festina stetit; fluctusque propinquos
Et totum in lacrymas fudit mare. flebat & ipse
Scaldis, & æquoreis mœstum caput abdidit undis.
At Ziriziæa pia spectans lamenta sororis,
Iam Superos jam fata dolens adversa vocabat,
Et circumfusis spargens suspiria campis,
Tristia tingebat lymphis rorantibus ora.
Quin etiam Fauni & Dryades, Haganaque circum
Numina, ut ereptam senserunt Thyllida terris,
Quam toties Pan est, toties veneratus Apollo,
Et quam Mattiacæ toties cecinere Camœnæ,
In latebras fugêre suas. at pastor Iolas,
Ille thori consors, nec jam solamen amantis,
Ibat egens animi. velnti cum pignora plorat,
Et raptos fœtus densâ Philomela sub umbrâ,
Aut velut aëria turtur suspirat in ulmo,
Cum viduos luget thalamos, nec compare gaudet
Solus, & invisa queritur dispendia lucis.
Nec minus & Charites illam flevêre sorores:
Nam Charitum fuit unus amor. flevêre Cupido,
Et Venus, ac fractis damnarunt spicula nervis,
Et lecti genialis opus. flevêre Napææ,
Flevit Hamadryadum chorus, & quà vidit euntem
Silvarum pater, aut per pascua rura vagantem,

Tristior ex ipsis sonuit convallibus Echo.
Deliciæ tot matrum, & magno nata parente
Filia, dilectas inter speciosa sorores,
Fatorum jam lege cadit, nec dulcia vitæ
Gaudia, nec solito semet concedit amanti.
Quæ roseæ rubuere genæ, jam pallida mortis
Insedit facies, & quæ vigilantia læto
Lumina consuerant nuper placuisse marito,
Clausa latent. nec lingua suas facunda per artes
Flexanimas iterat, Kinschoto judice, voces,
Aut loquitur præcepta domus, famulisque modestè
Imperat, aut curas alacris se vertit in omnes.
Fare age, num talem jactes Zelandia terris
Te genuisse tuis? virtutum pectore cujus
Credidimus coiisse choros, totamque recondi
Pallada, fæmineumque decus. si gratia formæ
Quæritur, emicuit major reverentia morum,
Et vitæ non fictus honos. si candida laudi est
Simplicitas, vicit longè prudentia, sexu
Digna suo. placida generosa modestia menti,
Eloquioque lepos, & mellitissima fandi
Suada fuit; Paphioque pudor se miscuit igni
Egregius, thalamoque fides infracta reluxit.
At tu jam lacrymas inter luctusque tuorum,
Kinschoti venerande, tui dispendia lecti
Consiliis solare piis. si marcuit ille
Flosculus, & tenero conjux contabuit ævo;
At nunc Elysios campos, sedesque pererrat
Æthereas, ubi perpetuâ jam plena juventâ
Vivit, & æterno juvenescens Iuncta Christo,
Non unquam moritura, viret; nec languida spectat
Membra fatiscenti robur subducere vitæ.
Interea tumulo violas, hederamque, crocumque,
Purpureasque rosas, & suave rubentem hyacinthum,
Cinnamaque adsperges, ut gratos ventus odores
Excitet, & possit sic arridere sepulcrum.

Eminentissimo Cardinali RICHELIO, cum Hymnum in Christum ipsi offerrem.

Magne Heros, illustre tuis decus addite terris,
Ingentis columen Regni, firmumque tiaræ
Robur, & Augustæ Præsul venerabilis Aulæ:
Dum mea semideûm turres, & limina Regum
Calliope pudibunda subit, nec longius audet
Ferre gradum, pavidæque tremunt ad Lilia Musæ;
Indulge tua verba mihi, cupiasque Poëta
Paulisper non esse gravis; dum sceptra, deosque
Alloquor, & dignas soliis facundia voces
Nescit, inexpertæ donet tua gratia linguæ
Eloquium, timidasque juva sermone Camœnas.
Non hîc Argolicis minitantem incendia castris
Hectora, Priamidæque leges, non flebile fatum
Andromaches, Phrygiasque nurus, non subruta Regum
Imperia, aut veteris miseranda incendia Byrsæ;
Nos canimus majora, Deum, & servantis Iesu
Natales, obitusque & magni encomia Christi,
Terrarumque illustre caput. quo vindice mundo
Parta salus, cœloque decus, victique fuere
Et Phlegethon, Erebique furor, turbataque Ditis
Atria, Tartareaque domus. Si docta vetustas
Callimacho modulante, Iovem, dominumque trisulci
Fulminis, & profugum cecinit mentita Tonantem;
Si Phœbus, vectusque suis à Lyncibus Euan,
Si mollis Regina Paphi, interpresque Deorum
Egregio sub vate tument: si concinit Hymnos
Mæonii mens alta senis, vatumque furores
Numina sunt, & tanta refert præconia mendax
Relligio; Regem potius te, Christe, canemus,
Nos potius memorare tui primordia partus
Conveniet, miserasque vices, clarumque triumphis
Nomen, & æthereos inter venerabile cœtus.

Ecce per immensas supplex Ecclesia terras,
Ad Cunas, seu prona, ruit, præsepe salutat
Principis, & sancta veneratur pondera Matris,
Et visum sub carne Deum. non altera Vatem
Vis agitat, pigrumque jubet se tollere mundo,
Atque inter sacra solennia gaudia turba
Privatos miscere sonos, procul ite profani,
Nulla quibus grandi fulta est fiducia Christo;
Nec satagit credenda fides, fruiturque futuro.
Hunc pietas, hunc nixa bonis cœlestibus hymnum
Corda legant. Tuque ante alios, quem purpura, virtus,
Relligio, doctrina, labor, prudentia cunctis
Segregat, & magni suffulcit gratia Regis,
Borboniique favor, Richeli, ne carmina sperne
Ingenti sacrata Deo, possitque mereri
Materies veniam Vati, dictusque Redemptor
Palladium commendet opus. Si longa quietæ
Bella tuæ tulerint jamdudum incommoda menti;
Hic pacis consulta leges. Si Martius horror,
Tympanaque, & rauco resonantia classica cantu
Turbarunt studiosam animam, solatia curis
Invenies hic certa tuis. Si mitia semper
Iussa probas, victæque cupis miserescere gentis,
Exemplo Tibi Christus erit, qui parcere mundo,
Et miseris voluit clemens ignoscere terris.
Sin procul à regni studiis semotus & aula
Emeritum Superis animum, cœloque redonas,
Et jam pendentis subeunt suspiria Christi,
Iam nullus morientis honos, jam sordida tabo
Vulnera, & innocuo conspersum sanguine corpus,
Liventesque manus, & quod latus hauserat hasta,
Perfossique pedes, & prono languida vultu
Colla, & in excelso minitantes vertice spinæ:
Hic eadem, Dux summe, leges. hic tota malorum
Scena patet, tantosque obitus edisserit author.
Excipe, sed facilis, Druidum clarissime gentis,

Hoc opus, & placidus nostris allabere votis.
Fac mea regales contingant carmina dextras,
Fac oculis sint visa piis quibus adspicit aquus
Sidera, & hunc ipsum spectat Lodoïcus Iesum.
Sic faveant Tibi sceptra, diu, sic annuat æther
Conciliis, sic tuta tuis fragrantia curis
Lilia Gallorum populis, Batavisque supersint.

IN NVPTIAS
Ampliss. Viri THEODORI GRAEF.

ITe graves ferro clypei, galeaque, ducesque,
Et quicquid, Bellona, probas. Tu sæve facesse
Mars pater, & Paphiis furialia prælia bellis,
Et facibus secerne faces, atque ignibus ignes,
Non ego jam Sylvæ muros, non subruta flammis
Tot circum castella canam, non matribus arma
Detestata piis, crudaque incendia pugnæ.
Molle melos Citherea cupit, levibusque Camœnis
Dici Cypris amat; grandesque exosa cothurnos
Gaudet Acidalio thalamos percurrere socco.
Ille mihi quondam Sophiæ deductus in hortos
Virginis os tenerum, & blanda promissa puellæ
Cogitat, insolitoque furens incanduit æstu.
Tu celerem in flammas juvenem Sapientia dictis,
Consilioque juva, vellem prudenter amari,
Quam jam Sponsus amat. vellem sapienter amari,
Cui debet se Sponsa, virum. sine lege maritum
In thalamos inferre faces, insania lecti est.
Vestigant secreta Duces, bellique labores,
Vt noceant pravisa minus. discrimina Nerei
Navita, & in cæco scrutatur saxa profundo,
Ne noceant occulta rati. tu pectore, Gravi,
Dum Cyprum, totamque Paphum, Gnydiique recondis
Arma Dei; primoque ferox incumbis amori;
Barlæi præcepta tui, monitusque suaves

Accipe.

Accipe. Iamque gravis credas commenta Lycei
Insanire tibi, tetricos mitescere vultus
Doctorum, & rigida dici convitia barbæ,
Graiaque Romanis impleri pallia nugis.
Formant cuncta virum, docent maritum
Cœlum, sidera, terra, pontus, aër,
Occultumque aliquid thoro loquuntur.
Saturnus gravis incubat cubili,
Emollitque senem sereniore
Vultu Cypris, amicior puellis.
Promittunt sobolem, negantque stellæ,
Promittunt facilem negantque Sponsam,
At non ista, minantiumque duros
Moratur sapiens Deûm labores.
Astris imperat, applicatque lecto
Totum Zodiacum sagax amator.
Et quibus ratio faces ministrat,
Mens exercita, masculumque pectus,
Cœlum, sidera, terra, pontus, aër,
Totum prospera donat Universum.
Hac dum remisso disputamus otio;
Foris sub ipsis præliatur Alpibus,
Et signa tollit præpotentium furor.
Domi triumphos, fracta Rheno cornua,
Mosamque victum, fataque indomabilis
Miramur urbis. ire retro Cæsarem,
Aquilas fugari, latiorem Marsacum
Frontem receptis explicare finibus.
In Batavis, tu noster, amas, primusque tuorum
Ordiris, Theodore, virum. dulcissima res est
Conjugium, conjuxque tibi. post bella, necesque
Tranquillum meditaris opus. dispendia mundi
Tanta cupis sarcire pater, belloque cadentes,
Pro patria, reparare animas: proferre nepotum
Nomina. Virginitas, & Virginitatis honores
Sordent cuncta tibi. pudor est, sine conjuge, primos

Effluxisse dies, pigram traxisse juventam,
Et magni genuisse nihil. Nunc verba mariti
Ingeminat Bickera tibi, mutataque de te
Adsuescit matrona loqui. sic Portia fecit,
Cum sua in ingenti defigeret oscula Bruto.
Nec sapuit Drusilla magis, prudensque Serena
Pectus, & Augusto recubans Vipsania lecto.

IN NVPTIAS SECVNDAS,

Amplissimi Viri, D. LVDOVICI à KINSCHOT; Et Nobiliss. Virginis, D. CATHARINÆ HESSELT à DINTER.

KInschoti, si vestra Deos jam gaudia tangunt,
Si totus tibi sudat Amor, si tela Cupido,
Et pharetras arcusque parat, pronisque Dione
Militat officiis; & jam genialia fulgent
Limina, & accensis collucent atria tedis;
Egregiasque domos Procerum, mensasque trabesque
Barbaricæ insternunt vestes; si porrigit Hebe
Pocula, ludit Hymen, festos Lucina penates
Permeat, atque iterum votis adsuescit amantis:
Fas erit, has inter Divos & numina, Phœbum
Accinuisse tibi, propiusque accedere vatem.
Sic ubi Neptuno se miscuit Amphitrite,
Aut pulchræ Thetidis thalamum conscendit amator
Emathiæ columen Peleus; cecinisse poëtas
Fama fuit, cecinisse Deos; totumque cubile,
Et Larissæos Musis strepuisse recessus.
Expetitur nova Virgo tibi, cui plena tumescit
Virginitas, vultusque nives candore lacessit,
Vt credas sic esse Deam. vix matris amicæ
Blandula decessit gremio, metuensque futuri
Adspectat tremebunda virum, flentemque puellæ,

Et

Et rerum gnaræ matres solantur euntem.
Non tibi Scipiadum genitrix, non mascula Bruti
Porcia, vel grandi placuit Cornelia mater
Nixa supercilio. poscis rorantia labris
Oscula, turgidulos oculos, viridemque juventam,
Lacteolasque genas, & frondescente capillo
Pubescens caput ; & quicquid juvenile, tenellum
Inflammare solet secretos pectoris ignes.
Sic Thisben adamasse putem, sic junior Hero
Arsit Abydenum. teneram Briseida Achilles,
Phyllida Demophoon. quamvis Mavortia tantis
Mens Ducibus, clypeoque manus, gladioque rigeret
Dextra ferox : juvit tamen, arridente marità,
Carpere diductà paulum sub casside vernans
Basiolum, & rigidas hirsuto in corpore setas
Emollire suæ levi lanugine Sponsæ.
Multa licet sit cura viris, prudentia rerum
Major, & ingentes animus se tollat in actus,
Asperet ingenium gravitas : in virgine bellà
Diffluimus cuncti. nescit Sapientia semet,
Dum poscit sua jura Venus. quin ipse verenda
Majestatis apex, & formidabilis Aula
Desipit, & tetricos dediscit Curia mores,
Itur in amplexus quoties, & Cypride plena
Lascivire graves cogit virguncula Patres.
Non illic loculos scriptor, non scrinia censes,
Et ditata suo Belgarum æraria fisco,
Aut Batavûm digesta tuis sestertia chartis
Colligis, & tumidas enarrat pagina gazas.
Quin potius vibrare faces, & ducere ludo
Tempora, & insuetæ circumdare flammea nuptæ,
Cura tibi est, legemque novo præscribere amori.
Nunc frontis spectare decus, nunc murmura blandis
Permiscere jocis, nunc stringere brachia nexu,
Nunc dare præcipiti docta intervalla furori.
Iam neque grandævæ Themidis consulta moraris,

Nec Decios, Paulosque tuos, quaque ordine longo
Cæsarea populis quondam jussêre cathedra.
Vendicat una virum conjunx. mens omnis in illa
Fixa manet. qua jura sagax industria norat,
Imperitans eludit amor. mutantur amantum
Pandecta salibus; decretaque concipit audax
Diva Paphi, mollisque tibi poppysmata lecti
Præcipit, & quicquid titubans fiducia Sponsum
Vult facere, & sperat nondum satiata voluptas.
Nec tibi jam Musa studium. cui carmina cordi
Pieridumque artes fuerant & nobilis oti,
Plùs Paphiæ placuere nurus. cui tota penates
Cyrrha suos, sacramque favens Helicona reclusit,
Et Parnasseos aditus Thymbræus Apollo,
Nunc pueri delubra Dei, Cyprumque, Gnidumque,
Idaliumque nemus colis & Cythereia Tempe.
Et jam bis, Ludovice, furis, bis fœdera jungis,
Bis tibi succumbit victus pudor, & veneranda
Virginitas bis tacta manu. quam pronus adorat
Orbis, & invicta gaudent rapuisse tiara.
Bis thalami secreta subis. bis maximus audis
Feminea gentis domitor, nomenque paternum
Promittunt iterum Superi. Fortissime patrum,
Fecundaque domus germen, nec vana Diones
Gloria, Kinschoti: patriis virtutibus adde,
In plures fudisse genus. tibi pronuba Iuno
Servit, & ignavis famulantia sidera pellit
Matribus, & sterilis damnat contagia cœli.
Adspice, te propter crescunt felicius herba,
Et, quas Haga fovet, frondes, tiliaque salaces
Luxuriant magis, & languentes vertice quercus
Annosos tollunt apices. te conjuge, passim
Vinea pampineis ulmum amplexata corymbis
Arctius haret amans. Terris se lætior æstas
Exerit, atque tuis Cancer fervoribus ardens
Promittit faciles, Geminis cedentibus, ignes.

Te circum densis volitat gens omnis amorum
Agminibus, jaculisque cohors armata trisulcis
Te, sociamque petunt. sentit Catharina medullis
Insolitos æstus, & adhuc ignara laborum
Non audet sua vota loqui. cum conjugis ora
Adspicit, & vultus, quales concesserat Ida
Formoso quondam Paridi, confessa rubenti
Ore fuit culpam, & longas sub pectore cœpit
Incusare moras, lentosque incessere soles.
Sæpius ut fluidos digessit pectine crines,
Impexi fluxere diu crinesque, comæque.
Sæpius ut niveâ circundare tempora vittâ
Instituit, niveas neglexit dextera vittas.
Sola virum volvens animo, sortemque futuram,
Cogitat hæc pernox, & gaudet mente procari.
Quam distant Belgæ studiis, quam dispare curâ
Vivitur, atque aliis Patriæ succurrimus armis.
Vos molles animæ tepidis hæretis in ulnis,
Dum meus in Morinis dura sub casside sudat
Auriacus. Vos humidulis exanguia tutò
Prælia basiolis geritis: dum classica nostras
Rauca cient acies, & sparsos sanguine campos
Bellator calcat Batavus. dum corpora Mavors
Sternit humi, quassatque faces furialis Enyo,
Redditis hæc iterum mundo, vesterque resarcit
Belli damna labor. Vos, Cypridis area, claudit
Lectulus, atque illis validus se jactat amator
Finibus. Odrysii magnum capit orbita, laudum
Æmula, Nassovium. Quantis actoribus Orbi
Scena datur. quam diversis orchestra resultat
Plausibus. hic fortem populo se ostentat Achillem,
Hic Davum festivus agit, vel amoribus aptum
Priamidem. sic desipimus, quos vivimus, annis,
Et personato debemur fabula mundo.

AD AMSTELAM.

AMstela, qui totum circumfers vela per orbem,
Magne remotarum sollicitator opum:
Cui sociæ vadunt gemino cum Sole carinæ,
Cunctaque sub quovis sidere lucra patent:
Quas tibi nascentes uni sacramus Athenas,
Accipe, Pieriæ munera prima Scholæ.
Sic tuus & merces, & diligat accola Musas,
Atque aliquod precium Palladis esse putet.
Vna manus gazas, manus altera ponderet artes.
Et magno assurgat Plutus Aristoteli.
Quaq; Pelops dis tecta locat, locet atria Pallas,
Socraticoque tibi gestiat ore loqui.
Hoc mecum si velle cupis, te judice, disces,
Cum Crœsos opibus viceris, esse Numa.

ATHENÆVM,

Sive in Illustris Amstelodamensium Scholæ Inaugurationem Poëmation, ad ejusdem Reip. Senatum.

PRæstantes Batavorum animæ, devota Camœnis
Pectora semideûm, magnam quos Fama per urbem
Iactat, & agnatis virtus sua destinat astris,
Et cœpti præsentis honos, reserataque Belgis
Atria Pegasidum, & tantarum exordia rerum:
Vos ego per populos, Parnasseosque recessus,
Per Phœbi delubra feram. trans æquora, terras,
Memnoniosque ultra fines, Solemque cadentem,
Auritamque viris Malabar, & littora Bandæ,
Quaque ferox in nos ensem distrinxit Iäva,
Nomina vestra veham vates. cum puppibus ibunt
Nuncia, nascentesque Scholæ. quin audiet Arctos,
Oppositumque Vrsis mundi latus, æthere nostro

Surgere

Surgere desertis facunda cacumina Musis.
Nescit stare loco Batavus, nec limite claudi
Angusto gens ista potest. successibus instat
Irrequieta suis, laudumque exuscitat ignes,
Et maius generosa movet. sociavimus Indum
Europa, dextrasque procul junxere Molucca,
Miscuimus Vahali Gangem, Rhenumque bicornem
Fluctibus ingentis Plata. quin vela Maragnon
Miratus peregrina fuit. post terga relictos
Vidimus ire dies, Austrum Boreamque secuti
Extra anni Solisque vias. sic axe sub omni
Puppibus Amsteliis fervet mare. tollit Olinda
Signa, pares aquilas, & castra minantia castris,
Et formidatis instans inimica tiaris,
Hesperias affligit opes. dejecta patescunt
Oppida, & invictis infert victricia portis
Nassovius vexilla labor. terraque marique
Latius Auriaco decurrunt Principe fines.
At Martis laus ista fuit. nunc, omine lato,
Maxima Phœbaa surgit reverentia genti,
Et Pallas sibi regna parat. non classica turbant
Pierios vicina choros, nec bella morantur
Tranquilla rationis opus. nos inter & arma
Et lituos, rabiemque & sparsos sanguine campos,
Exstruimus Phœbo muros, Pataramque, Claronque,
Et Tenedon aliam, atque alias molimur Athenas.
Hactenus intentam lucro Cyllenius urbem
Rexerat, & multo locuples ditaverat auro,
Iam fora, jam ditis turgebant scrinia Pluti
Divitiis, Pelopasque illic, Crœsosque, Midasque
Cernere erat, longoque habitantes ordine Crassos.
Non urbs; orbis erat. vasti brevis area mundi,
Carcer opum, fulva custos fidissima gleba,
Regia Tantalidum, Sylla domus, altera Colchis,
In qua fuscus Arabs Cimbro, fortisque Sabao
Occursabat Iber; Gallo contrarius Afer

Ibat, & inflexum prono gravis ore Britannum
Persa salutabat. cui fertilis omnia tellus,
Omnia vendebat laxi fortuna profundi.
Vtque solet magnis comes ire licentia rebus,
Divitiæ secum fastum, fastusque trahebat
Luxuriem; & poterant cives peccasse videri:
Cum sic Pallas ait: Non has mihi, Iupiter, arces
Invidisse velis. nec tantam spreta per urbem
Negligar una Deûm. sunt hic sua limina Marti.
Has habitat Bellona domos. en littore toto
Plurima belligeris horrent navalia transtris,
Inque undis tot castra natant, & multa nocendi
Materies, bellique labor. Mavortius ignes
Ya vomit, positasque alio sub cardine latè
Fulminat in terras. quassatoremque tridentis
Neptunum gens ista colit. mercantibus illic
Atlantis dat jura nepos, lucroque ministrat
Ingenium, fraudesque suas. granaria passim
Triptolemo Cererique patent; totumque Borussum,
Et fecunda trucis seponunt jugera Daci.
Ipse etiam Eois subvectus lyncibus Evan
Tollit adorandum populis caput, udaque vendit
Pocula quæ latis Druidum vindemia prœlis
Colligit, Hesperisque Tagus despumat arenis.
Quin etiam delubra mihi, Phœbæaque surgunt
Atria, & Amstelii fundunt oracula portus,
Exultantque, habitante Dea? si Martia pubes
Hac didicit bellare manu; si subdere Thetyn,
Cæruleosque Deos potuit, lateque patenti
Scribere jura mari, longinquas vincere terras;
Si, quam læva gerit, toties hanc ægida torsit
In latus Hesperium: placidis mitescere Musis
Discat, & ingenuas partiri civibus artes.
Non mihi jam solitos sapiens Chaldæus honores
Exhibet, aut medius hærens Babylonius astris
Naturæ scrutatur opus. doctissima Memphis

Balbu-

Balbutit, nescitque sui secreta Canopi,
Aut Pelusiacis intorta volumina formis.
Iamque Pharum scivisse pudet. jam nescia rerum
Barbaries fœdo populi præcordia cœno
Obruit, & septemgemino ignorantia Nilo
Incubat, Inachiaque latent arcana juvencæ.
Cecropidum periere lares, & docta Cleanthis
Atria, degenerique silet Stagira Pelasgo.
Nec jam rixantem prælustris Stoa Melissum,
Aut atomos Leucippe tuas, magnumque lacessit
Parmenidem. non ille, negans se scire, superbis
Insultat patribus Pyrrho, verumque revellit,
Ancipiti ratione potens tot regna locosque
Torpor habet, spissisque involvit corda tenebris.
Tu mihi decrepiti tandem dispendia secli
Belgica, tu Graja repara subsellia turba,
Et cupias hæc ipsa loqui, quæ Græcia solers
Scripsit, & Ionia disceptavere cathedra,
Vel Samos Italicæ decidit dogmata sectæ.
Non ita Tarpejo Latii se colle potestas
Extulit, audacem victrix cum Roma Iugurtham
Stringeret, & Libycas Tiberis sorberet arenas,
Aut debellatæ ruerent fastigia Byrsæ:
Quam cum se mediis pollens Facundia rostris
Exeruit, flexitque truces doctrina secures,
Et trepidi docto viguerunt consule fasces.
Tu quoque quæ Siculas generosa Neapolis undas
Prospectas, regina maris, me præside claris
Artibus instruxti populos, nec dulcia spernens
Otia, Pierio fudisti pectore verba
Gentibus. Aonii Capuam vexere labores,
Massiliæque decus. docui, mercante Corintho,
Et docui, mercante Rhodo. vivacia Thebis
Nomina sunt, centumque ruunt præconia portis,
Pindaricis subvecta sonis. venalis Athenis,
Non uno doctore, fui; preciumque decoris

Ingeniis non vile stetit. circumflua ponto
Vrbs Venetûm, tumidos placida Tritonide fluctus
Placat, & Euganeis Cirrhæa cacumina jungit
Rupibus. omne meis resonat de vocibus æquor,
Totque patent studiis urbes. nunc Amstela nobis
Ædificet, salsisque Aganippen misceat undis
Ta pater. cerno facili mansuescere cultu
Immitem Tritona, & duri navita Nerei
A nobis præcepta capit, medioque natantes
Najades Oceano magni consulta Platonis,
Castalio ceu fonte, bibunt, & pocula sævæ
Thetyos, & queruli castigant murmura ponti:
Scilicet immensum populus diffusus in orbem,
Hunc discet lustrare domi, partesque per omnes
Versabit studiosum animum: quibus horreat æther
Sideribus, quibus insanos ferventior ignes
Explicet, aut faciles moderentur frigora flammæ.
Cur dederit nautis usum magnetis Amulphis,
Errantesque trahat longinqua per æquora puppes
Abdita vis; Solisque domos, Eoaque tantis
Declinet convexa odiis: quo teste, remotum
Monstret Hyperboreis adeundum fluctibus Indum
Parrhasis, & Scythicæ socient commercia terræ.
Quâ cœlum ruat omne viâ: quæ linea Phœbum
Sistat; ubi ætherea volvantur lentius arces:
Aut magis impulso properent temone jugales;
Quæ Phœben minuant causæ, totoque coronent
Lumine; cur pleno se portibus Amphitrite
Infundat tumefacta sinu, sensimque recedat;
Scrutari juvat, & cunctarum evolvere rerum
Principia, & tacitis nascentia corpora causis.
Hic partus Natura suos, cunctasque recludet
Fecunda telluris opes; ubi pinguia stillent
Balsama, thuriferis fragret Panchaïa glebis,
Aut ubi perpetuis pallens radicibus aurum
Pullulet, & veterum pateat mercantibus Ophir.

Quæ

Quæ stannum dis vena vomat, quibus æra reposcat
Clamosus latebris Corybas, vel montibus ornos
Sarmata præcipitet, durisque bipennibus ilex
Icta cadat. quo vitiferos sub sidere colles
Bacchus amet, gravidasque Ceres protrudat aristas.
Sic sapiet mihi Belga magis, Sophiaque sacerdos
Tot rerum mercator erit. digesta patebunt
Omnia doctorum studiis, & divite cornu
Fundet Apollineas aliquis luculentius artes.
Namque velut toti facies illustrior orbi est,
Cum Titan suprema tenet, summoque refulget
Vertice, & informes prorsus cessere tenebræ:
Sic ubi magnificis sese Sapientia tectis
Intulit, & nostras reddunt palatia voces,
Majestas plus fulget opum, coctumque sub ipsis
Montibus irradiat cives illustrius aurum.
Ipsa peregrinos lasciva pecunia mores
Dedidicisse volet. poterit moderata placere,
Et lucri minor esse fames. succrescet honestum
Pectoribus, rectique tenax industria nolet
Esse suum, quicquid solerti fraude paratur.
Qui sapiet, plus dives erit. qui nesciet, amplas
Inter opes credetur inops. qui plurima votis
Præcipient, & multa petent; caruisse petitis
Supplicium voti referent. sibi vendicat orbem,
Quisquis mente capit. cœlum, terrasque Deosque
Dum scivisse potest sapiens, sua cuncta putabit.
Quæ possessa nocent, vel custodire nequibit,
Optabit minus, & partis ratione fruetur.
Ille trucem patulisque inhiantem faucibus auro
Trudet Avaritiam, & vim castigabit habendi.
Non ultra tumidos vesana superbia census
Iactabit, secura mali; sed gnara futuri;
Divitias doctrina reget. non prodiga lautæ
Sortis, & effrenis patrimonia tota vorabit
Luxuries, dubiaque terent sestertia cœna.

Virtuti comes utilitas & moribus ibit.
Fenora relligio, usuras moderabitur aequi
Regula, nec pulchro sejunget lucra decoro.
Contrahet innocuus candor. sine crimine vendet
Simplicitas. non sæva rigor vadimonia poscet,
Aut faciet mora parva reum. nec credula multum
Accerset sibi damna fides. non omnia prudens
Emptor emet, veteres statuas, laquearia, cippos,
Et quicquid Damasippus amat. si militet æther
Mitiaque Æolii promittant æquora fratres,
Fortunam cautus metuet; nec vota fovebit
Inconsulta furens animus. cum turbidus Auster
Incubat Oceano, & Neptunia concutit arva,
Audaces frenabit opes, tutumque putabit
Æquoreos timuisse Deos, suspensaque ventis
Commoda, & infidi toties ludibria ponti.
Mox ubi barbaricas opulenta Perside gazas,
Aut gavisa vehent optatas carbasa messes,
Aut Gothico transmissa solo, vel divitis Afri
Munera, vel gelidi ferventia vellera Moschi:
Decidet lucro pietas, & triste levabit
Paupertatis onus, Superisque faventibus aucta
Dividet in miseros geminata præmia sortis.
Sic per me sanctos urbs augustissima mores
Induet, & poterit sociis virtute placere.
Ipsa suis animosa malis Fiducia fortem
Eriget, & segnes proscribet provida longè
Cura metus, frangetque novo temeraria motu
Pectora. non cives vexabit cæca protervos
Ambitio, & fallax mendaci gloria fuco.
Ille satis precii, & fautorum semper habebit,
Qui rectè faciet. commercia spernet honorum,
Atque emptas Astræa togas. injuria nulli,
Sed cunctis erit aqua Themis, legesque sequetur,
Quas scripsit natura sibi, fixitque medullis
Communis recti ratio. nec iniqua potenti

Confun-

Confundet jus omne manu, vel lenta nefando
Concedet veniam sceleri. cum pulpita passim,
Socraticaque meis resonabunt vocibus umbræ,
Muniet afflictas constans Patientia mentes,
Et perferre volet, quicquid nos ferre necesse est:
Obfirmare animum duris, nil pendere vulgi
Iudicia, aut fluxæ damna & compendia vitæ.
Nobilitas solum claris censebitur ausis,
Et quantum meritis, tantum decedet honori.
Nullus erit generis splendor, vel gloria gentis,
Cum coram populo malè vivitur. improba Siren,
Quæque virûm Cypris pulcros effeminat annos,
Mœnibus his aberit. spernet moderata voluptas,
Quicquid dulce nocet. permixtaque turba malorum
Temperiem latis rebus dabit. otia pernox
Sedulitas redimet. neque Centaurea movebit
Bella puer Semeles, rabidisque furoribus acta
Mœnades, aut nullo grassantes vindice Bacchæ.
Vindicta dabit ira modum, lenisque potestas
Hoc peraget, quod sæva nequit. Clementia cœlo
Æquabit Proceres; & talis rector haberi,
Qualem optet civis, cupiet. conspectior orbi
Vita ducis populis se fortius ingerit ipsis,
Exemploque docet. veluti cum Phosphorus astris
Præradiat, totum sequitur tranquillius agmen,
Sidereæque faces gyro volvuntur eodem.
Aut velut agrestes inter speciosa sorores
Exercet Dictynna choros, & pravia monstrat,
Quos ducet regina gradus. illa ordine longo
Ad dominæ solos flectunt vestigia gressus,
Et peccare cavent, & non audire vocantem.
Nec minus hic res Ausonias, populique potentis;
Et non ignavo scriptos sub consule fastos,
Terrarumque Deos, & formidata triumphis
Nomina, Romanosque duces edisseret alter.
Quantus ab Hebræis seclorum fluxerit ordo

Tempo-

Temporibus, quantis distent ab origine mundi
Heroum vita spatiis & sceptra potentum.
Vt veteres Phœbe mutatis vultibus annos
Condiderit, magno donec sub Cæsare fratri
Cesserit instabilis, meliusque cucurrerit ævum.
Quin & Davidici narrari incendia templi,
Subversasque domos Superûm, & veneranda Tonantis
Atria, vastantem Assyrium, raptosque penates
Isacidûm, captosque lares mirabitur Yà.
Qualis Olympiacis Grajûm sub sidere currat
Æra rotis: prima surgentia mœnia Romæ
Audiet, & pulso celebres diademate fasces,
Atque iterum æterno sub Dictatore laborans
Imperium: feris Latium miserabile bellis,
Hunnorumque Ducis furias, & perdere quicquid
Vandalus, & Gothica potuerunt lambere flamma.
Quam fragili stent sceptra loco: quam crebra ruinam
Regna trahant: regumque ferox cervicibus instet
Hæredum furor, aut discors virtute potestas.
Quam sit nulla fides sociis. quam præstet amari,
Quam cives terrere metu: quam mobilis aulæ
Gratia: quam fallax dubia cultura tiaræ.
Vt desperatos ultrix fortuna tyrannos
Pone premat, septosque gravi formidine cogat
Ancipites inter gladios, & toxica, fati
Expectare diem, crudoque occumbere letho.
Ecce renascentes meliori fenore Musas
Excipit argenti locuples possessor, & illa
Sueta manus pelagi spoliis auroque gravari,
Versat Aristotelem, grandisque volumina Livî
Ponderat, & Tacito multum doctore superbit.
Invenit hìc, quas non geminis à Solibus Indus
Donet opes; non dives Arabs, non accola Gangis
Sufficiant. hìc illa patent arcana regentum,
Doctaque Cæsareas enarrat pagina fraudes,
Et vafra consulta togæ, bellique labores.

Irriget

Irriget Ægyptum glebis redolentibus uber
Nilus, in immensam Tanais Mæotida merces
Fundat, ab occasu fulvum Guiana metallum
Distribuat populis, nitidumque Aurora ministret
Gentibus Arctois ebur, & candentem elephantum.
Hæc quoque cum vendet mens Amstela, flumine largo
Ingeniis quod vendat, habet. quin, præside Phœbo,
Pandet iter magnis virtutibus; æmula postquam
Gloria laudatos accendet mentibus ignes,
Et famæ studium & vitæ melioris amorem.
Tuque adeò, quæ jam totidas jura profundo,
Urbs cognata polo, bellacis terror Iberi,
Et Belgî florentis apex, tutela bonorum,
Immortale caput cœptis illustribus aude
Tollere humo, & totam Batavis promittere Cirrham.
Quamvis Dalmatico surgant tibi culmina saxo,
Et varium niteat speciosa per atria marmor,
Illic pulchra tuos spectent laquearia cogi
Lucullos, centumque ruant sub pontibus undæ;
Majus opus jam Diva moves, majorque videri
Tot socias inter poteris regina sorores.
Hospite me, spondent æternam secula famam,
Et tua perpetuis scribentur nomina fastis.
En tibi Daphnea textam de fronde coronam
Cæsareis miscent Phœbaïa numina sertis,
Ut credant magis esse suam. Iam doctior urbe
Auditur passim strepitus, Sophiaque susurris
Aonidum delubra sonant. nunc ipsa curules
Melpomene, laudumque faces attollit honesti
Ambitio, celerique movet vestigia gressu.
Talia fatidico postquam Tritonia Pallas
Dixerat ore, suas donavit civibus artes,
Excussitque Deam. suspensaque splenduit ægis
Ante fores, jussusque alibi pallescere Livor,
Fœdaque Barbaries. donec, mandante Senatu,
Amstelia doctis strepuerunt vocibus arces.

LACHRYMÆ, IN OBITVM

Ampliss. doctissimique viri IACOBI vander STRATEN, Hamburgi ad Albim, post Sponsalia, placidâ morte exstincti.

Tristes conjugii tabulæ, præsagaque mortis
Fœdera, languentes vicino funere tedæ
Ite procul. tuque ô lux intempesta Camœnis
Æternum damnate meis, nec lurida fastos
Irradia, nostrique fluas mensura laboris.
Te cum fata volent invisâ lege reverti,
Involvant totam tenebræ, & caligine mergant,
Ceu priscum facturâ Chaos. pervertere rerum
Cur timeat natura vices? quæ gaudia turbat,
Et mundi domino jam nunc illudit Amori.
Divellit Libitina duos, junctosque potenter
Disgregat, & socias scindunt divortia mentes.
Succedunt thalamis tumuli; sperataque lecti
Otia castigant lachrymæ. stat præfica lugens,
Quo steterat Citherea gradu. quæ candida nuper
Atria promissa juveni fulsere marita,
Atratis circum videas squallentia tectis,
Totaque virgineo resonant penetralia planctu.
Sic Venus exanimem mœrens conspexit Adonim,
Quemque suis puerum amplecti speraverat ulnis,
Amplexa est inopina rogum; tetigitque cadaver.
Pallidulasque genas, quas arrisisse Dione
Maluerat festiva sibi. sic territa Thisbe
Incidit in juvenem, gelidæ cui mortis imago
Mollibus Idalium membris excusserat ignem.
Sic rigidam juxta Thracen lacrymabilis Hero
Detersit nivea Leandri lumina vitta.
Saxoniæ ferale solum, tuque invide nobis

Albi

Albi pater, qui bellantem nunc surgis in Istrum,
Teutonicoque tuos perfundis sanguine campos:
Quid mansuetam animam tot bellatricibus umbris
Permisces? Phœbique decus, devotaque Musis
Nomina crudeles inter, sævissime, dextras
Inferias vis ire tibi? si tota furenti
Castra ruunt, placantque tuas tot cædibus iras
Vltores Regum Superi; cur quæso furori
Debetur mens ista tuo? quam mitior aura
Extulit & mediis Pallas nutrivit Athenis,
Iamque optet supcresse sibi. quid nobile raptas
Depositum? grandisque animæ possessor iniquis
Sedibus, & cineres alieno in littore condit,
Te tantum meditante nefas? quem nuper amavi,
Dum meus in castos Pylades transiret amores,
Nunc odiis, iris nunc exercebere nostris.
Te poscit jam Belga reum. tibi, federe juncta,
Certatim irata dicunt convitia Musa.
Vates arma parant, & tot nocuisse querela
Peccanti poterunt. non jam tua flumina posthac,
Noxiaque in Batavas decurrant ostia terras.
Horrida damnatos fluctus absorbeat Arctos,
Aut in Parrhasias alio deflecte pruinas,
Cimbrorumque immite latus. quin funeris ultrix
Naiadum genitrix, & damni conscia fontes
Occludat natura tuos. sis mercibus impar,
Et tua nascentes hebetent vestigia Syrtes.
Hæc mihi dilecti dictant solatia manes,
Hæc cogis, Stratene, loqui. pars maxima nostri,
Quid me, quid moriture fugis? sine, funera jungam
Funeribus. tumuloque simul claudamur in uno,
Quos junxit secreta fides. tunc forsan amanti
Signa darem propior. forsan vicinior umbra
Te posset propiore frui. sub pulvere forsan
Posses ipse tuum propius novisse poëtam.
Nunc licet Oceano & vastis secludar arenis,

Atque

Atque interfusa Nereus obmurmuret unda,
Alloquor absentem. peregrino sidere questus
Audiat & nostris trepidet singultibus urna. (es.
Vrna domus Musarum, & Apollinis urna sepulcrum
Vrna domus virtutis eris. tu, squallida quamvis,
Exuvias pietatis habes. mentisque pudicæ
Hospita & infausti carcer diceris Amoris.
Vrna domus Charitum, toti, proh, flebile Cirrhæ
Nomen acerba tenes. cui primo à limine vitæ
Aoniæ pariter se sacravere sorores,
Et dixit doctrina suum. permixta pudori
Mascula primævis Prudentia luxit in annis,
Et niveos pinxit probitas innoxia mores.
Quicquid Socratico manavit pectore, quicquid
Docta tenebrosa docuit sub nube vetustas,
Excussum quodcunque tuo schola prisca recessu.
Cæsareæ voces, veterum decreta Quiritum,
Verbaque sacratas populis scribentia leges,
Quosque suos latè pandit Sapientia sensus,
Hoc latuere viro. norat sapuisse silendo,
Nec, nisi lege, loqui. fastus calcabat inanes,
Magnas inter opes humilis. non prodiga Circe,
Quæ juvenum fœdò dissolvit pectora luxu,
Non levis Ambitio, aut furor inconsultus agendi
Hic sedes fixere suas. sed proxima cœlo
Relligio curas patrio donabat Olympo,
Incubuitque Deus menti. sub moribus insons
Emicuit pietas, & blandæ gratia vitæ.
Non animo Livor diros innexuit hydros.
Trusit Avaritiam, seclique afflata veneno
Crimina. fucatæ poppysmata subdola linguæ
Oderat, & solum potuit sinceræ placere
Simplicitas. socios inter venerabilis ibat,
Cunctorum communis amor. nec spernere doctus,
Nec sperni. facilis paribus, cultorque priorum.
Eloquium, sed mite, fuit. sedataque multum

Vis animi, & tetricas sermo qui duceret aures.
Disce orbis, meliora mori. dispendia fati
Sentimus Batavi, tantoque in funere causam
Luget Musa suam. tumulo se Phœbus in isto
Abdit, & ipsa suo Pallas Tritonia busto
Occulitur, plorantque pios tot numina manes.
Magne virûm, tibi nunc lentas subtristior undas
Spara trahit, querulaque ferit tua prædia lympha,
Prædia quæ pulchris Heemstedia vestiit agris,
Iam domino viduata suo. quin undique sylvis
Languor inest, marcentque agris viridaria plantis,
Arboribusque comæ pendent, & pendula terram
Prona vident, tecumque volunt tellure recondi.
At genitrix veneranda, cui solamen amanti,
Cui tu delicium, ac generis spes una fuisti,
Permiscet cineri lachrymas, ut sicca doloris
Argumenta bibat tellus. ceu Daulias ales
Threicium deplorat Ityn. nec Grevia planctu
Abstinet; & thalamis præscindi gaudia castis
Conqueritur, Superisque suos nunc exprobrat ignes.
Ipse ego, dum immiti longè semotus ab Albi,
Hæc loquor: ingemuit socia cum matre Cupido,
Fractaque disruptâ sonuerunt tela pharetrâ.

S C H A G A,

Sive Epithalamium, in Nuptias Nobilissimi Domini, D. GVILIELMI van SCHAGEN, Domini Burchorniæ, &c. Et Nobilissimæ Virginis, ac Dominæ ANNÆ van MATHENES.

VOs Batavûm magni Iuvenes, vos splendida patrum
Progenies, claris quæ cum virtutibus adfers
Majorum genus & stantes in curribus alte

Terrarum

Terrarum dominos & avita nomina stirpis:
Huc omnes conferte gradum. Vos alma Dione,
Vos dominus compellat Amor, poscitque tributum
Lascivas quatiens Puer insuperabilis alas.
Iste Puer, cui dextra faces, cui ventilat ignes
Imperiosa manus, pharetraque & tela superbis
Dependent humeris & sævus tenditur arcus;
Vos vocat ad leges thalami, Venerisque vetustæ
Nobilitate tumens, vestro de sanguine semen
Exigit & similes Heroum gente nepotes.
Non hic bellorum vobis injungere motus,
Aut Martis mandata cupit, non fulgidus ensis
Porrigitur, mordensque ferox spumantia frena
Ad pugnam phaleratus equus. non casside torva
Nunc opus, aut vultu, qualem Mavortius hosti
Exhibet Auriacus, fortique ostentat Ibero.
Mite supercilium, blandi poscuntur ocelli,
Purpureæque genæ, radiansque in crinibus aurum,
Et scintillantes pretioso lumine gemmæ,
Fulgentemque trahens virgo pulcherrima pallam.
Flammea pro gladiis, pro scutis lenia Cypris
Arma feret, molles pandent tentoria lecti,
Et pro lethiferis fervebunt oscula telis.
Murmura pro lituis, & pro clangore tubarum
Verba susurrabit timidæ gratissima Sponsæ
Non ultra pudibundus amor. quæ cuncta Cupido
Dum parat, his verbis mores orditur amantum,
Et cupit egregias hæc non nescire puellas:
Mira mihi puero mens est, mirabile terris
Ingenium Superisque simul. sum fabula vatum,
Et cunctas in me rabies Parnassia vires
Explicat, & nequeunt satis insanire poetæ.
Si natale solum quæris, si stemma genusque,
Nascor matre Dea. sua quæ cunabula debet
Fluctibus Oceanoque patri. sic frigida Tethys
Me genuit, spumæque mihi primordia præbent

Flam-

Flammifero, gelidisque exurgo fervidus undis.
Et licet exili videant me corpore Nymphæ,
Oraque non ulla lanugine vestiat atas;
Sæpe tamen summum potui flexisse Tonantem,
Et torsisse Deos & numina vincere numen.
Fingor olor, niveis quia plus cervicibus hæret,
Quisquis amat. fingor taurus, vectorque timentis
Europa, quia virgineum meus acer in agmen
Occulto ruit igne furor. nunc aureus imber
In gremium Danaës guttis delabor amicis,
Et flecti facilem precio propello pudorem.
Cum volo, me fallax aquila sub imagine raptat
Iuppiter, ut segnes sapiens explodat amantes.
Nunc mihi mansuetæ monstrant exempla columbæ,
Nunc Libycas credor rabie exæquare leænas.
Iam sum dura silex, jam cera mollior uda.
Iam sequitur me capra, & jam sequor ipse capellam.
Iam nive frigidior, jam toto ardentior Ætna.
Sum tortor, pictorque idem, sum textor & auceps,
Venator vagus & mediis nauclerus in undis.
Me flentem Anacreon, cecinit me Smyrna jocantem,
Sperantem facit ille, facit magis ille timentem.
Hanc amo, & hanc odi; nec possum dicere, quare.
Sæpe dolor mærorque subit, rursumque voluptas
Et deploratam titillant gaudia mentem.
Per me crudeles violenta tragœdia voces
Tollit, & incedit levibus comædia soccis.
Nunc oculis captus, nunc ipso oculatior Argo
Suspicor infelix quidvis. sum dulcior Hybla
Muneribus Siculisque favis, & amarior ipso
Felle. graves nostris subsidunt ignibus iræ,
Et flammam mea flamma necat. dumque omnia vincit
Humani generis domitor fortissimus, eheu,
Succumbo mihimet, solumque exstinguor amando.
Cetera vel terræ spatio, vel in æquore sedes,
Vel Superûm posuere locis. mihi terra nec æquor

Terminat imperium, nec vastus sufficit æther.
Omnis me natura capit. cum Sole vagamur.
Quaque cadit surgitque, meis accensa favillis
Grata Cupidineis serpunt incendia flabris.
Sum lusus, sum cura Deûm. mihi mille nocetur,
Consuliturque modis. potior, cum vota dehiscunt;
Votorum plenus, frustror. tabescere cernas
Languidulos artus; & me moderante salutis
Et vitæ reddi pulchrè florentis honorem.
Omnia sum. variis in me contraria causis
Conveniunt. nulla est, quæ non sit congrua nobis
Materies, totusque patet pro carmine mundus.
Me Satyri, me rura colunt. mihi triste sacerdos
Exuit os. quin illa facit, quæ conjugis olim
In gremio fecere Numæ. mihi splendida servit
Nobilitas, grandesque animas ad nostra vocamus
Signa, nec illustres patimur frigere penates.
Finierat pharetratus Amor. propiusque volentem
De te, Schaga, loqui, thalamosque & fœdere junctas
Enarrare domos, Venus interpellat Amorem,
Atque alias mandata jubet deferre per oras.
Nos; Guilielme, Dei voces, abruptaque Divûm
Verba exultantes sequimur, primoque cubili
Accinimus; dum fervet Hymen, tedæque relucent,
Et tua non solitum meditatur Sponsa laborem.
Nobilium sanguis, patriæ victricis alumne,
Et magno soboles non inficianda parenti,
Conjugio jam disce frui; proavûmque vetustos
In natis expande lares. insignia fulgent,
Et tibi magnanimi radiant ante ora leones.
Est aliquod meriti spatium, quod patria donat,
Natalesque loci. toto sed vertice virtus
Altior incedens, titulos illustrat avorum,
Quos dedit illa prior. populo bis nobilis audis,
Qui generi pariterque tibi præfulgida debes
Nomina, & heroum laudes virtute mereris.

Quàm Bavarûm te fama vehit, sceptrisque Batavûm
Clara domus. quantis, Iuvenis, deduceris altè
Principiis. quot semideos ex ordine censes,
Et numeras per secla tibi. si proxima spectes
Tempora, consiliis celebres & fortibus armis
Et toties pressa pro Libertate loquentes,
Ingentes veneraris avos. spectabilis ipse
Inter tot Proceres & nostri lumina regni,
Incedit genitor. gravitas quem mascula mixto
Commendat candore suis, & nescia fraudis
Integritas; patriaque vacans prudentia rebus,
Et pulchras latè gradiens Doctrina per artes.
Nec te dissimilem tantis majoribus orbi
Edidit insignis genitrix, qua moribus avum
Provocat, & raris sexum virtutibus anteit,
Et priscum pietate genus. qua cuncta tuorum
Dum versas exempla, tua primordia stirpis
Non ficta probitate refers, generosaque mentis
Semina Belgarum crescens impendis honori.
Et Tu, qua Paphiis nunc undique cingeris, Anna,
Virginibus, vacui tandem fastidia lecti
Admisso solare viro. Mathenesia, celsos
Multiplica fecunda patres, patruosque redona
Battavia. conscende thorum, nec tempora differ
Commoda. sic quondam magni palatia Pelei
Intravit nuptura Thetis. sic Scyria virgo
Bellacem innocuis furiis accendit Achillem,
Nec timuit casta Hectoreis amplexibus abdi
Andromache fugitque virum Sempronia mater.
Haret in atherea Titan jam Virgine. fortè,
Vt doceat facienda viros. plus astuat Æthon,
Vt tibi vitales gliscant sub pectore flamma.
Te nubente novo circum tua limina motu
Qualibet arbor amat, sociant sua brachia quercus,
Insontes nectunt lambentia rostra palumbes,
Garrit anas, causasque sui jam nescit amoris,

 Fervi-

Fervidaque excelsis plus uritur ardea ramis,
Et tecum veteres natura resuscitat ignes.
At Frisios inter tollens sublime minores
Schaga caput, Comitis quondam venerabile donum,
His thalamis audet dominos sperare futuros,
Vt posit secura regi. Burchornia gaudet,
Auctaque femineis multum mitescit habenis,
Vt Dominæ placuisse queat. quæ proxima pulsant
Littora Naiades, & Catthos verberat undis
Oceani rector, concha Tritonide vobis
Carmina festa fremunt. toti sunt gaudia Rheno,
Quosque trahit secum niveos per flumina cygnos,
Argutum melos ingeminant. En, rustica Phyllis
Cum Corydone suo vestris ab amoribus ardent
Acrius, atque leves iterant ad plectra choreas,
Et vario festas contexunt flore coronas.
Creditur in plaustris resonare poëmata Thyrsis,
Et personatus populo spectante jocari
Actor, & in scena lepidum ostentare Menalcam:
Sive trucem ludat Thisben, sive æquore mersum
Monstret Abydenum, ac delapsam rupibus Hero,
Aut captam tentet rhythmis includere Trojam.
Ipsa, renascentis nutrix celeberrima Phœbi,
Leida favet, faustisque juvat genialia festa
Auguriis. quin ille, suis qui classibus atrox
Rursus in Occasum properat, meus Amstela, longè
Annuit, & nostri transmittit signa favoris.
Insignes animæ, quas læto federe junxit
Illibata fides, centum placate furorem
Basiolis, nec defessi superaddite centum,
Post centum date mille, & post hæc millia rursum
Altera mille, malus numeret ne basia livor,
Aut tot basiolum confundite basia in unum,
Millia sic fient unum, sic unica mille.

AMOR

AMOR SAPIENS,

Sive in Nuptias Amplissimi Viri D. CORNELII GRAEF; Et Eximiæ Virginis GEERTRVDIS OVERLANDER'S.

AMstela, qui mediis locuples mercaris in undis,
Et populis partiris opes; ac munera Divûm
Tot congesta plagis unam transfundis in urbem;
Amstela, qui pelagi spoliis, terræque superbis
Exuviis, vacuoque arcessis ab aëre lucrum;
Cui rerum fecunda suos Natura labores
Vendit & humanas acuens solertia dextras;
Amstela bellator, cujus flagrasse favillis
Vidimus attonitam Chilen, Potosique recessus
Et totam tremuisse Peru, cui sceptra Molucca,
Nec Regi servata suo submisit Olinda:
Indue jam molles animos, & mitior audi,
Festivus quæ dictat Amor. spes læta metalli
Concedat paulum Veneri, ratibusque quietem
Belligeris largire precor. dic, stare carinas,
Nec piperi nunc esse locum. Iam vendere tempus
Basia, jam tedæ precio majore relucent,
Et thalamus venale forum est. oculosque genasque
Verbaque amatori quondam recitata Catoni,
Dulcesque illecebras & casti signa pudoris,
Spiculaque & pharetras, & blandi nomina vultus
Distrahet innocuus socia cum matre Cupido.
En meus egregios tandem meditatur amores
Gravius, & tacitas generoso in pectore flammas
Ventilat, & prima sperat se nocte maritum.
Forte moram gravitate Venus lentosque Hymenæos
Corriget acer amor. forsan neglecta rependet
Gaudia vis animi major, teneraque puella
Vota magis tuto Sponsus solabitur æstro:
Aut risus primique inter poppysmata lecti

Amplexusque suos sapiet; thalamisque decorum
Inferet & leges nobis præscribet amandi.
Sic ubi se Danaûm castris subduxerat acer
Pelides, Martique truces suspenderat orbes
Fatalis clypei, Phrygias audacior arces
Impulit & solo quæsivit in Hectore laudem,
Myrmidonum ductans jussis sapientibus agmen.
Ludimus humanum genus; & dum sidera volvit
Jupiter, & variis radiat sub vultibus æther,
In varios una lusus vitæque labores
Cum Superis rapimur. versat se maxima mundi
Machina, & ingentem miscet Sapientia rebus
Stultitiam, frangitque aliquo sua seria ludo.
Desipit, Eoa quisquis de gente lapillos
Colligit & tumidum mox sorbet naufragus æquor,
Securus tutusque domi. mala pondera, gemmæ
Submergunt dominum citius. tu desipis audax
Miles, & hunc vitæ paucis divendis honorem
Assibus, & stolidis impendis regibus arma.
Quin rigidos inter panes bis coctaque demens
Crusta cadis mordesque ignotam nudus arenam.
Desipit Heroum soboles titulumque superba
Nobilitatis emit, quam virtus nescia fuci
Debebat meruisse sibi. qui celsa frequentas
Atria, adulator, magnis discrimina quæris
Porticibus totaque miser rideris ab aula.
Tu quoque, qui calidæ scrutaris cominus Ætnæ
Pabula, terribilesque focos abstrusaque rerum
Principia & mundi causas deducis ab alto,
Desipis, & stulta dictas incerta cathedra,
Ignarusque tui geminos edisseris axes.
Est qui ventosæ venatur murmura plebis,
Et jejuna levi pascit præcordia fumo
Narrator, vanisque forum sermonibus implet,
Et Finnos Gotthosque crepat. cui causa laborat,
Facundas redimit voces, pauperque patronum

Adspicit & vacuis loculis sua rura revisit.
Ille cui infido pendet spes omnis ab hamo,
Dum sedet aternumque sedet, quam desipit excors,
Quam patiens capta solatur prandia perca,
Pisciculique jecur, non tacta bile, trucidat.
Et tu qui cursu praeceps Venator anhelo
Per campos graderis, pavida vestigia dama
Pone legis, currisque, fugis, refugisque, misellus
Quo lepus aut te cerva vocat. cum Principe vilis
Bestia decurrit, sequiturque insana priorem
Majestas augusta feram. nugamur ubique,
Et stolidi sine lege sumus. Lunaque Menippus
Quisquilias nostras recitat. clamemus, amici:
Te facimus, mens stulta, Deam, terrisque locamus.
Has inter curas & vasti ludicra mundi
Solus Amor Cyprisque sapit, tollitque serenum,
Stultitia ringente, caput. non desipit ille,
Quisquis in optata gremium descendit amica,
Et Sponsa placuisse studet. Sapientia Gravi,
Iudice me solum castis elucet in ulnis,
Atque unum praeter cunctis insanimus Amorem.
Hoc sine delirant alii, vel languida luctu
Membra trahunt, tadet cali convexa tueri,
Tactus hebet, nulla recreantur virgine vultus,
Mensa silet, frigent omnes sine conjuge nervi,
Deficimus miseri, nescit sua gaudia lectus;
Ignavosque lares vacuosque perire penates
Ocyus adspicimus, mortique simillima vita est.
Ipsa Deûm socio gaudet Sapientia lecto,
Et senior Saturnus amat. cum compare ludit
Mulciber, & doctam genuit qui Pallada grandis
Iupiter, in multum querula Iunone lepores
Invenit & Paphiis castigat fulmina curis.
Nerea formosum complectitur Amphitrite,
Inclyta Neptunum Tethys. cœlestibus ut jam
Turgeat exemplis thalamus. non illa Pelasgos

Dedecuit ſors læta ſenes, magnique Platonis
Atria, quo quondam Graji ſtupuere magiſtro.
Qui male compoſitis mores dictavit Athenis,
Xantippen propius tetigit, legeſque ſeveras
Dogmataque umbroſos inter diſcuſſa receſſus
Diluit amplexu. nec qui veſana Quiritum
Crimina perſtrinxit cenſor, faſtidiit udum
Baſiolum facileſque ſibi producere noctes.
Quam ſapit, imperio totum qui ſubdidit orbem,
Rector Amor. cui regales diademata prona
Subdunt fronte apices, qui ſævi dura leonis
Corda domat, mollitque ſuis adamantina verbis
Pectora & Eurydicen Stygiis revocavit ab undis.
Iam loquitur facundus amor, voceſque diſertas
Virginibus recitat. per mille pericula ſolers
Impavidum molitur iter, fortique dolores
Mente premit. jam ſacra pius delubra frequentat,
Et totum ſonat ore Deum. jam munera larga
Diſtribuit lucroſa manu. blandiſſima fatur
Comis amor, feſtivus amor. quin tempora captat
Commoda & in varias una pro virgine formas
Se torquet verſutus amor. nunc triſtior illi
Frons contracta riget, nunc exporrecta jocatur.
Flet, ridet; vigilanſque omni ſua lumina parte
Circumfert. ſperat, metuit. non odit, & odit
Cum ratione tamen. ſic cuncti Cypride in una
Virtutum coiere chori, & veſtitus honeſto
Fulget amor. dudum ſapiens ab amoribus arſit
Phœbus; & in ſola ſapiunt Cithereide Vates,
Vates, cura Deûm. ſpernit Sapientia fraudes,
Spernit amor. tacitæ per amica ſilentia noctis,
Urget opus nulloque ſagax ſe teſte tuetur.
Heu quantum neſcis Sapiens. quam plurima tecum
Ignorat quoque cæcus amor. quam gaudet amari
Vir ſapiens & lenis amor; metuuntque timeri
Nec cuivis placuiſſe ſtudent. quam ſuaviter idem

Dormit

Dormit amor, sapiensque. trucis nec curat Iberi
Bella nec Arctoo pessundata mœnia Moscho.
Tempora componit sapiens ventura priori.
Factitat illud amans; nec scit se posse, quod olim.
Prospera fert Sapiens modice; nec frangitur arctis.
Sic generosus Amor post prima damna repulsa
Ambulat, & credit nondum sapuisse puellam.
Semper amat Sapiens medio tutissimus ire;
Nec medio deflectit amor. moderata probatur
Ambobus prudensque quies. Sapientia terris
Præsidet, & fasces domino partitur Amori.
Hæc, tibi dum fluidum Geertrudis donat ocellum,
Sponse loquor, thalamisque tuis felicia noster
Omina scribit amor, dum fedus amabile lecti
Patritiæ junxere domus, flammaque jugales
Expectant gemina dignos à stirpe nepotes.
Adspice, quam niteat non ficta modestia Sponsæ,
Purpureis intexta genis. quam Gratia triplex
Ornet honoratam formoso in corpore mentem.
Vincit ebur morum candor. quæ virginis, ipsa
Forma pudicitiæ est. alia nec fronte Dione,
Aut Pallas pingi cupiat. Tuque, optime Gravi,
In laudes assurge tuas & grande decoris
Artibus ingenium irradia, partesque per omnes
Circumfer studiosum animum. sciat Amstela Patri
Et pariter debere tibi. si mollia jam jám
Aptaque conjugibus loqueris; mox grata loqueris
Civibus, & felix maturas Curia voces
Audiet atque tuis florens Respublica curis.
Vivite felices & tanta sorte beati
Crescite in invidiam fati. differte senectam
Longius & seros perdurent oscula in annos.
Sic faveat Venus, & vestris virtutibus auctus
A vobis discat duplum sapuisse Cupido.

IN LIBROS
POEMATVM MORALIVM,
Nobilissimi viri D. IACOBI CATSII Eq. & Reip. Dordracenæ Syndici.

SVmme Virûm, cujus tetricos facundia Belgas
Mulcet, & attonitos locuples doctrina penates
Detinet & pulchro populos informat honesto:
Insere Virtutem titulis, totque inter honores
Fulgeat una tuis Probitas asserta Camœnis,
Et Regum ingenuo despectet munera vultu.
Nos tibi debemus patres. tibi fausta precatur
Femina, & in docili recitat tua dogmata lecto
Officiosa parens, & leges discit amandi
Impatiens rectoris amor: tibi filia mores
Devovet, & cuivis nequit arridere marito
Imperiis attenta tuis. Tu Protea nobis
Reddis & in varias versans Emblemata formas,
Nunc alias voces, alias in carmine partes
Induis, & nostræ raperis per devia vitæ,
Peccandique modos. Te præceptore superbit
Scena pudicitiæ, & maturæ zona puellæ,
Flammeaque & cupido rutilantes limine tedæ.
Creditur immitem mellitis vocibus Hæmum
Threïcius flexisse pater, rigidamque suavi
Barbariem domuisse lyra. tunc horrida cultus
Imbibit & potuit facili mitescere cantu
Improbitas, Thracesque suos emolliit Orpheus.
Nos Rhodope Thracesque sumus. quorum effera, Catzi,
Corda domas, quibus admissus præcordia circum
Ludis & effrenes animi compescis habenas
Jussibus & calidæ moderaris vota juventæ.
Tu, velut Amphion Thebanæ conditor arcis,
Saxa moves modulis placidæ testudinis, & nos
Eloquii torrente rapis. Tu monstra malorum

Impi-

Impiger Alcides subigis; certusque Deorum
Interpres Stygiis animas arcessis ab undis
Afflatus propiore Deo. te vindice recti
Iam Batavos peccare pudet, Cyprisque fatetur
Se sapere, & levibus volitans Puer improbus alis
Corrugat geniale caput, quassatque pharetram
Segnius. ac quicquid quondam Cornelia mater
Gracchorum potuitque loqui Sempronia grandis,
Aut quæ magnanimo respondit verba Catoni
Porcia, vel Læli genitrix, edisserit orbi.
Quàm stupui, cum bella sibi secreta pararet
Isacides, totumque suis circumdaret armis
Relligio cataphracta virum. se dissidet ipso,
Obloquiturque sibi. tollunt hinc signa voluptas,
Hinc ratio. recitantque uni diversa cupido
Et metus. innocuæ suadet contraria menti
Luxuries, prædulce malum. duo numina distant
Partibus, & geminis pugnant sensusque Deusque
Imperiis duplicisque Boni ostentatur imago.
At quia sancta probat, nocituraque gaudia damnat,
Eligit ista pius; nec solùm pallia litem,
Sed pietas dirimit. quid turpe, quid utile, quid non,
Expedit, & valido mille argumenta pudori
Sufficit. intereà tanti Dux femina facti
Spreta jacet tacitisque odiis alimenta ministrat,
Et dolet elapsam virtutem amplexibus esse.
Vates magne, furens mulier si temnere Divos
Iuratamque fidem thalamo Memphitica conjunx
Ausa fuit, proprioque illusit mœcha marito:
Stat juvenis crimenque fugit, dominamque scelusque
Arguit, & monitis aulas prudentibus implet.
Pythagoræ voces Samiique edicta magistri,
Et promulgatas taciturno judice leges
Audiit indocti pubes studiosa Tarenti,
Informesque scholæ Calabrûm, Samnisque Crotonque
Aureaque Italicis sonuerunt carmina portis.

Nec minus incultas ſapiens inſtruxit Athenas
Exemplo dictiſque ſenex, & nectar Hymetti
Miſcuit officio civis. cum tecta domoſque
Privatoſque lares Sapientia ſera ſubiret,
Ætheris ſubducta plagis. veneranda Theognis
Trinacriis præcepta dedit, Siculumque recoxit
Formavitque rudem. placuit generoſa monentis
Suada Syri Mimique lepor. Nos omnia per te
Diſcimus & poſt tot credit ſe ſecla renaſci
Simplicitas, tangenſque animos reverentia Divûm,
Et vitæ melioris honos moreſque ſeveri.
Dic age, Toxandrûm ſoboles, quo numine ſoli
Conceſſum tibi tanta loqui? qua Pallade pectus
Grande tumet? neſcitque furor ceſſare canendi
Quæ terris prodeſſe queant? non ſidera demens
Metiris Phœbique jubar, nec inutilis hæres
Arcturumque Hyadaſque inter Lunæque labores,
Errantéſque Deos. non vanis linea chartis
Pingitur, aut ſectis circumvallata figuris.
Picta placet potius virtus & ſculpta decori
Effigies. quin ipſa patens ad dogmata laxos
Expandit natura ſinus. nos ſimia, taurus,
Nos arbor piſciſque docent. nos vitis amare,
Atque aliquid fugiſſe cupit. nunc garrula nobis
Servit avis. nunc rana ſuis facunda ſub undis
Vitæ monſtrat iter. nunc nobis vacca magiſtra eſt,
Dux canis. hortantur lapides, objurgat amantem
Concha tuum. fœdo quæ pendet aranea tecto,
Et lenes alibi præbent documenta columbæ.
Imperitat ventri Phariæ regnator arenæ,
Mus gremio, cupidos Libycus leo velat ocellos,
Chaoniæque tibi dictant oracula quercus.
Dum ludit puer, incauti veſania mundi
Detegitur, quantiſque rotet ſe paſſibus orbis
Tot ſcelerum fraudumque pater, te vate, pateſcit.
Sic oculis coram fulgens ſpectatur honeſtum,

Sic

Sic manibus palpatur idem. Sic personat aures
Egregium recti murmur. distincta tabellis
Regula vivendi legitur, normasque decori
Sedulitas numerat. semperque industria sensus
Invenit & quovis struitur sententia casu.
Neve foret Batavûm populis incultior Auson,
Romanas sociat verborum opulentia voces,
Atque tuo recreant animos modulamine Celtæ,
Quique Ararim Ligerimque bibunt, Rhodanumque loquendo
Anticipant, longisque trahunt idiomata braccis.
Ipse tuum patria miratur currere lingua
Thuscus epos; captusque tua dulcedine Musæ
Crudelis mansuescit Iber, nativaque verba
Diligit & tumidæ gnomas impertit amicæ.
Adspicit & titulos Tamesis veloxque Tueda,
Et triplici donat succincta poëmata sceptro,
Regali jam tacta manu. Tuus illa, Britanne,
Scribit eques, Phœbique magis quæ splendet amictu
Nobilitas, nostrique decus sublime Senatus.
Ex alio rursum surgit labor. altera laudi
Materies campusque patet. sua fata recenset
Priscus Hymen, thalamique juvat memorare labores
Mnemosynen, soccoque gravem miscere cothurnum.
Qualis in adversam frendens Tryphosa Iocastam
Detonet, & rapto quærat crudele pudori
Supplicium, mox Belga leget. quam splendida poscat
Virgo Cratem, possitque etiam vel gibbus amari
Et laceri sapientis honos & fibula simplex
Et series neglecta togæ, caperataque tristi
Forma supercilio & Cynicæ sors horrida barbæ.
Nec te, prime pater, tacitum aut primæva silebit
Federa & insolitis claram natalibus Evam;
Non sacrosancti connubia mystica Sponsi,
Æthereasque faces, atque ipsi nubile cœlo
Christiadum præstustre genus. narrantur amores

Abramidûm, clarique thoris regalibus ignes,
Et spreta fortuna Lea, tedæque sororis,
Et mox virginibus vacuæ Siloensibus urbes.
Tempora cuncta patent vati. distinguitur ævo
Res ac cura suo & nobis imitabile passim
Invenit, & grandes majorum ponderat ausus.
Nobile Durdrechtum, si quid tibi confluæ laudis
Flumina ferre putas; celsis si mascula portis
Præsidet & fasces ostentat virgo vetustos;
Si Mervæ jactas Dominos: si prima sorores
Inter verba facis: si vectigalibus angis
Et Rhenum Mosamque Deos: si fluctibus usque
Emergis melior: plus, hoc monitore, superbi,
Huic assurge viro. qui jam tibi consulit uni,
Jam Batavis, patriæque suis suffragia fulcit
Consiliis fortesque animos opponit Ibero.
Format lege domos, & sævos exigit hostes
Invidiam fastumque & fœdi gaudia luxus,
Otia lascivamque gulam, & malesana Lyæi
Orgia; & immensis rimantem faucibus aurum
Pellit Avaritiam. sic condis, maxime Catsi,
Oppida, sic meliora facis; stabulumque repurgas
Sordibus, Antæosque necas, Hydrasque, bovesque,
Quin ipsum Phlegethonta domas, Cacumque rapacem,
Et crudi Diomedis equos. Stymphalidas arte
Dejicis & rabidos prosternis carmine Nessos.
Virtutum venerande pater, sanctissime legum
Arbiter, hæc audi facilis: qui corrigis orbem,
Orbis vota cape; & monitorum præmia credas
Optima, nos parere tibi: concedere jussis
Crimina; tot passim scelerum pallescere vultus:
Peccari minus: insanas resipiscere matres,
Audacesque nurus: melius sentire puellas,
Persuadere patres: percussaque fulmine lingua
Secla verecundas Belgis promittere nuptas.

IN NVPTIAS SECVNDAS

Amplissimi viri, D. FREDERICI ALEVVINI; Et Præstantissimæ, laudatissimæque Dominæ EVÆ BICKERÆ.

CVr noceat bis adire Paphum, bis templa Dionès?
Bis molles adamasse Deos? si femina res est
Optima, cur pudor est iterum arrisisse maritæ,
Nec simplex voluisse bonum? repetita probantur,
Quæ bona sunt, vacuique gravis possessio lecti est.
Quem privat consorte Deus, cui dulce cubili
Pondus abest, laterisque comes dulcissima cessit,
Sperat amans aliam, veterisque incendia flammæ
Sentit, & assueto nova pabula quærit amori.
Ante oculos stant prima thori, stant basia, risus,
Et, quibus ante, viri rursum complexibus arctè
Abdimur, & memorem recreat Venus altera mentem.
Hoc Grajæ fecere nurus, patresque togati
In thalamos venere iterum. post funera, prolis
Spes alias Erycina facit, gaudetque renasci
Post cineres redivivus Amor; viduoque potentes
Accendit sub corde faces. plus urget egestas
Felices olim, & saturis afflictius instat
Atra fames, cœlique favor bis plaudit amanti.
Vindicat occasum lampas Phœbæa, novoque
Lumine demersæ reparat dispendia flammæ,
Et Sponsus vult esse recens, populisque videri
Lætior & sponsam radiis circumdare terram.
Hæc socio jam Sole facis, Frederice, tuisque
Fax augusta præit facibus. post busta prioris
Conjugis, optatos thalamis dulcissima gressus
Infert Eva tuis. & se Bickera secundis
Devovet officiis, & consors gaudet haberi

Altera,

Altera, & exstinctas tedis succendere tedas.
Optima, (si qua fides vati) tibi Virginis astrum
Tempora promittit tanta prosperrima nupta,
Praque tuis latas foribus de fronde coronas
Nectit & egregia spondet tibi nomina matris.
Amstela, dum magnis merces acceptat Eoas
Portubus, & Iaponum gazas & divitis Indi
Persarumque ostentat opes, & quicquid Hydaspes,
Quicquid Erythraa mittunt trans aquora terra,
Hac sua jam vestris permiscet gaudia votis,
Et Sponsis favet Ya novis. dum munera Cyprus
Donat, in his ipsis veteres abscondit amores
Mercibus, & patrias acuit fervoribus herbas.
Ipsa procellosos desueta Bamastria fluctus,
Sacrat agros domino, & qua jam pulcherrima condit
Pradia, ventura servat complexibus Eva.
Duxerat haud uno pridem de fratre triumphum
Diva Gnidi, dignisque omnes sociaverat aqua
Fascibus, & magna soceros devinxerat Vrbis;
Cum fortis memor illa tua, Bickara, medullis
Hasit, & insolitos generosa penatibus ignes
Intulit, & votis strinxit tibi vincla secundis.
Quàm memini, cum prima favens connubia vates,
Ignotasque faces canerem, cum nescia rerum
Virginitas tenerum excussit vexata pudorem,
Et voluit didicisse virum: tunc omnia dixi,
Qua Sponsam glomerata beant, formamque genusque,
Et niveos mores & blanda vocis honorem,
Quaque puellares pingebat Gratia vultus.
Nunc Tibi virtutes alias & grandis honesti
Adscribam titulos, & quod civile decorum
Dicitur, informatque lares & tecta verendis
Legibus, & recti famulis pracepta ministrat.
Exemplo tua jussa doces. scis omne parentis
Officium, nondum ipsa parens. lenire maritum,
Alloquio recreare gravem, compescere motus,

Et placidas rigidis voces inspergere dictis,
Muneris omne tui est. exacta modestia laudes
Dissimulat, dicique vetas, quod crederis esse.
Prælucet vitæ pietas. hanc ordine justo
Ponè subit probitas. loquitur facundia, quicquid
Vxorem dixisse decet. tacuisse tacenda,
Matronæ prudentis ais. vis omnia ferre,
Quæ non odit amor. damnas inimica cubili
Iurgia, vel quicquid persuadet amantibus excors
Suspicio, soloque virum candore mereris.
Fulget simplicitas in te, & sapientia longè
Stultitiam laudata fugat. tua protegis uxor
Consiliis, partisque frui sine crimine gaudes.
Cumque verecundos malesana superbia mores
Inquinet, in rebus vitium solenne secundis,
Tu victrix erecta tui, minor esse laboras.
Et dum læva tibi toties fortuna timetur,
Æqua mente bonam perfers tolerasque nocentem.
Nec minus ingenio lepidum quodcunque placensque
It comes, atque hilari prodit se fronte venustas,
Et Sponsam te Suada probat. sic splendida conjux
Amstelias inter (cunctæ subscribite matres)
Prima nurus graderis, meque aufers judice palmam.
Tu talis, Frederice, Deo consortia debes
Conjugis, & quos nunc felix ordiris amores,
A Superis cœloque capis. dant vellera Seres,
Thus Arabes, fundunt molles unguenta Sabæi,
Nobilis Eoo legitur de littore gemma.
Munus Sponsa Deûm est. solis delabitur astris
Virtutum locuples mulier. Tu pignus Olympi,
Depositumque ingens cupidis amplecteris ulnis,
Fortunate virûm. Iam quæ veneranda juventæ
Dictavi præcepta tuæ, cum sæpe docentem
Audires, morumque Tibi mandata loquentem,
Exerce, fructumque mei tua nupta laboris
Sentiat, & præsta, me præceptore, maritum.

Sit

Sis facilis comisque idem, sis æquus amanti,
Et pars prima domus. non vult bona spernier uxor,
Non vult Diva coli. consortem quisquis adorat,
Serviet. alternis placidè divisa potestas
Tuta manet, felixque domus tranquillior audit.
Officii, quod Sponsa volet sat florida, fas est
Te meminisse tui. quamvis dilata petantur
Oscula, crede moras pensari posse lubenti
Obsequio, castisque thori conatibus ævi
Damna resarciri. nil distent basia primis.
Res eadem vobis agitur. si pignora nuper
Sperastis, sperare licet nunc altera nuptis.
Quid non audet amor, toties expertus amorem?
Quid non tentat amor, toties devotus amori?
Quid non præstat amor, toties accensus amore?
Intereà, longis dum fervent gaudia mensis,
Dîque Deæque omnes votis communibus adsunt,
Et donis Sponsos onerant. sua tela Cupido
Exacuit donatque viro. vim Cypris inurit
Basiolis, sterilesque jubet secedere noctes,
Fecundatque sinum Sponsæ. rex Iupiter auro
Perpluit & thalamos illustri dote coronat.
Et quæ perpetuis juvenescit amoribus Hebe,
Proscribit longe senium, vultusque serenat
Amborum, validaque refert primæva juventa
Tempora. prælucet cunctis dux Lucifer astris,
Immittitque thoro radios. dat pronuba Iuno
Spem sobolis. donat leporem pharetrata Diana,
Sol Gallum, passerque novi fit rector amoris.
Dat fruges divina Ceres, sua vina Lyæus,
Mars currus, agrisque Pales benedicit amantum.
Ast ego, qui cupidis toties genialia lectis
Verba loquor, mediosque inter nondum uror amantes,
Decrepitæ vobis strepitus vocesque Camœnæ
Sacro libens. vivat Patria, Musisque suisque
Et vigeat Bickera domus. sub Consule nostro

Nubitur

Nubitur in melius. quo se rectore tuetur
Amstela, quo floret dives sub praeside civis,
Exertatque caput prono Respublica caelo;
His etiam Paphii gliscunt sub fascibus ignes.

Nobiliss. Viro D. ADRIANO PAUVV, Eq. & rationum aerarii Hollandiae Senatoris.

MAxime Vir, cujus toties fuit ore locutus
Amstela, qui docti flexisti frena Senatus,
Auriacae tutela Scholae, tot cura Sororum;
Cujus ad externas abiit facundia gentes,
Et patriae pro jure stetit; nunc publica prudens
Fulcit sollicitis Batavorum araria curis:
En, Baccho jam plenus agor, Phoebumque lacessit
Rhenus & abscedunt veteres de pectore curae,
Vt tandem tibi laeta loquar. quin ecce disertum,
Quem mittis, facit ipse liquor; totoque Lyaeo,
Dum mergor sapidisque undis, quas pampinus uvis
Extudit, Aoniae veniunt ad vota sorores,
Et versus mihi sponte fluunt. Iam prisca facessat
Fabula, percusso Parnassi vertice largè
Castalios fluxisse lacus. Haec ungula vatum est,
Hic Perseus, feriensque bonae sacraria mentis
Pegasus. hoc quoties quateretur mascula thyrso
Calliope senis & Trojam scribentis Homeri,
Altius intonuit vates, totusque furore
Atridam saevumque iris implevit Achillem.
Hoc quoties biberet Calabrûm de fonte poëta,
Incaluit Phoebi rabies & fulmina belli
Scipiadas, cladem Libyae Fabiumque morantem
Acrius & victi cecinit perjuria Poeni.
Quàm Flacco placuere cadi testaque Falernae,
Quàm siccis, ait, esse Deos Musasque Deasque
Difficiles, quàm facundos facundior ipse
Extollit latices. quàm tunc latissima Dido

Vina

Vina bibit, cum Trojanum, Carthaginis alta
Mœnibus, Æneam exciperet, Bitiaque bibaci
Traderet increpitans, Bitias cum fervidus hausit
Spumantem pateram, & pleno se mersit in auro.
Certat disparibus, Pauvvi, Semeleius Evan
Ingeniis, nostroque parat diversa palato
Vina potens Liber. Latio dat Cæcuba, Celtis
Pallidulum, Græcoque calens, rarique saporis
Pannoniis, Cyproque furens, sed vile ministrat
Pictonibus. mihi tu facilis lectissima mittis
Pocla, quibus Rex ipse Deûm mitescere possit,
Et Iuno placare Iovem, fulmenque marito
Extorsisse suo. non hæc mihi barbarus Ister
Dona tulit Batisque ferox. in collibus illam,
Rhene, tuis genuit felix vindemia messem.
Non hæc fullo bibit, non hoc vespillo liquore,
Grammaticusque madet, tali se mitra Lyæo
Imbuit. hunc centum devota Moguntia templis
Haurit, adorandos fasces regumque Ducumque
Irrigat & cuncto solvit palatia luctu.
Vt me perdis, amor vatum, qui Celtica dudum
Vina bibi, jam (quæ facies gratissima rerum)
Cogor in augusta Rheni considere ripa,
Deliacumque haurire merum, quod Bacchera præstans
Misit & in nostros ignara recondidit usus.
Non hæc solum oculis, non solis vina labellis
Accipio generosa meis. quin naribus illa
Attentis doctisque bibo. color illa saporque
Et pergrata meis laudat fragrantia mensis.
Hæc qui vina bibet mecum, debebit amori
Ista tuo. quotiesque bibam, hæc sunt munera Pauvvi,
Eloquar, adspergit tali me rore Senator,
Et cupit his nostras lymphis ridere Camœnas.
Optime, quid referam? primum tibi læta datori
Calliope tollit cyathum, laticesque beatos
Nuncupat. Vnanimes adspergent altera Patres

Pocula

Pocula & assertos dicent carchesia Belgas.
Tertia in Auriacos vis despumabit Iacchi
Nassoviosque bibet, venerandaque nomina mensis.
Quarta bibet grandes Regum, sine lite, salutes,
Seu Gallum Cimbrumque voles, Suecumque Britanno
Iungere & ingentes paterâ confundere causas.
Vltima per lepidos rabies properabit amicos,
Inque mea tandem cadulus decurret amica.

IN NVPTIAS

Illustris Viri IOHANNIS POLYANDRI à KERCKHOVEN, Heenvlietæ Domini, & Saltuum Hollandiæ præfecti, tunc ad Serenissimum Magnæ Britanniæ Regem Legati, &c. Et Illustrissimæ CATHARINÆ VVOTTONIÆ, Baronis à VVotton Filiæ majoris natu, Baronis Stanhopii Viduæ.

AMstela quos primum juveni monstravit amores,
Nunc iterat viduo Tamesis. sub Regibus uxor
Donatur, POLYANDRE, tibi. vacuumque cubile
Implet adorandum flammis genialibus ostrum.
Te triplex diadema colit. te rector Iernes,
Qui Scoto dat jussa pater, sceptrisque coërcet
Orcadas & nostro divisos orbe Britannos,
Oceani regnator, amat. non unius aula
Tuta patrocinio, magnis fortuna tiaris
Nixa tua est; grandique capis sub judice Sponsam.
Nos Te, trans vastum pelagus, fluctusque patentes,
Neptunique domos, vitreique palatia Nerei,
Bellaces Batavi sequimur. dum suscitat ignes
Illustris VVOTTONA tuos; dum nubilis ardet
Albion, & niveis arrident littora passim

Rupi-

Rupibus, & tanto thalami candore notantur :
Vritur ipse tui vates & testis amoris,
Et tecum Barlæus amat. sed dispare flamma
Exarsere faces. stimulos mihi subdit Apollo,
Sed mollis Citheræa tibi. mihi gliscit ab imo
Pectore Musarum rabies, eademque poëtam
Tempestas annumque facit. Tibi prolifer annum
Inchoat & tedis Aries fulgentibus ornat,
Et toto te Vere beat. cum Sole vagaris
Altius, atque inter titulos succrescis amator.
Et Patria quem tollit honos, nunc ipsa Dione
Majorem cupit esse sibi. Nos surgimus in te,
Et capit incrementa calor meus. imus in altum,
Phœbaosque apices bijugique cacumina montis
Sublati prensamus humo : Pataramque Claronque
Thymbraique patris doctas conscendimus arces,
Vt totus tibi, Sponse, vacem ; nostrique favoris
Candida sublimem veneretur gratia lectum.
Non aliter quàm cum magni Iovis armiger ales
Tollitur, & celsis Phœben propè verberat alis,
Tollitur Idæus puer & miratur honores
Ipse suos, tantæque stupet fastigia sortis.
Aonii resonant colles Phœbique remugit
Regia, Palladiosque aperit cortina recessus,
Dum vestros cortina silens abscondit amores,
Et par dulce lates. dum vos sudatis in ulnis
Basia, primitiasque thori pulcherrima mater
Accipit : En, vatès altis conspergimus undis
Conjugii nova rura tui. Tibi fundit amœnos
Musarum de fonte jocos Permessus & altè
Mergit Acidaliam Phocæo in flumine spumam.
Qui Latiæ gentis dominos & fulmina belli
Civiles Drusosque tulit ; jam pronuba Rhenus
Scribit vota tibi. concordes Leida Camœnas
Nuncupat, & Batavûm concussa Britannia cantu,
Ad modulos & plectra suos irritat olores.

Vatibus

Vatibus his nunc Ya tuus se jungit & audet
Ponè sequi, salsaque licet dulcissima tingant
Flumina Nereides, promisso vestra susurro
Tecta ferit, penetratque levi palatia rimâ,
Et cupit hoc etiam mensis disperdere carmen.
Magne virûm, qui stemma tuum proavosque genusq;
Nobilibus deducis avis: quem Ganda vetustis
Fascibus, & priscus per splendida nomina Flander
Inseruit patria patribus: nunc altera nectis
Vincula, & externos Erycina domestica vultus
Adspicit atque alio quaeris sub sidere Sponsam.
Trans mare totus amas. nec te vel frigida Tethys,
Vel gelidæ remorantur aquæ. trahit ultima Thule,
Idaliasque faces mediis accendit in undis
Cæruleus Triton; Panopæaque navibus illis,
Queis veheris, viridem petulans circumjicit algam,
Et tremula impellit properantia carbasa caudâ.
Sic alius, veluti Seston qui tendit Abydo,
E Batavis Leander abis. nec Thesea solum
Per fluctus protrudit amor, cum missus Athenis
Iret ad Hippolyten, neque Phædram Gnosia tellus
Servaret secura. etiam dant Thesea Belgæ,
Atque alias, verùm causa meliore, Mycenas
Invisis sine fraude, Paris. velut alter Iäson
Argolicis procul à terris occurris amator
Hypsiphylæ. Quò fata trahunt, raptamur amantes,
Et vis est secreta thoro. quæ maxima regnis
Majestas divina præest, moderatur amores,
Et rector Deus in thalamo est. ignara futuri
Invenit in sylvis, in rupibus, invenit inter
Exequias tepidosque rogos, trans æquora, nuptam
Nescia mens, solique Deo debere fatetur.
Principis instrueris jussis; sed jussa Tonantis
Incauto Lucina aperit. Legatus haberis,
Et sis ipse tui. nec, dum communis amatur
Causa Ducis, privata deest. dum regia nectis

Federa, federibus magnis innecteris ipse,
Et duplici nos sorte beas. sit germen amoris
Auriaci, tuus, & merces optata laboris.
Das patriæ, quam quisque colet. quam solus amabis,
Das tibi. præludunt teneris tua gaudia flammis,
Et jam sponsus ovans venienti occurrere Sponso
Ad ripas & transtra paras. VVottonia tecum
Ambulat & Belga gaudet comes ire marito,
Teque suis gestit conjux præferre Britannis.
Nescit amor populos. nullum generosa Dione
Discrimen Cyprisque facit. placet omnibus oris,
Quæ placet. & causas odii nec sufficit æther,
Nec tellus insonsque locus. cum Thrace suescit
Itala, cum pulchra se misceat Hellade durus
Dalmata. non sprevit Phrygiam Briseida Grajus,
Et Gothus in media pepigit connubia Roma.
Bætis in amplexus Rhodanus, Tagus ivit in aulam
Sequana clare, tuam. jungunt validissima terras
Oscula, quas Mavors dirimit. Tu Belga Britannam,
Kerchovi, securus ama. si limite distat,
Si patria, tu stringe duos. jungantur in unum
Corporibus, tota non jam tellure diremti.
Non aliter Romanus amat, quàm Cantaber. una
Vis Francum Cimbrumque acuit. si secula distant
Moribus, at nullum dissentit amoribus ævum.
Adspice, quam cupidis Te nunc adspectet ocellis,
Clara domo fulgensque suis natalibus uxor,
Virtutum veneranda parens. quam colligit in se
Argumenta pudicitiæ, formamque decori
Ostentat Catharina tibi. te cernere coram
Se præbet pietas, nec ficti vultus honesti,
Et quæ sollicitis Prudentia lucet in annis;
Gratiaque & nullo splendescens forma paratu.
Felix sorte tua. Tibi primi prospera lecti
Gaudia continuant Superi. rursusque beatis,
At Veneris castæ gnaris, absconderis ulnis.

Quàm sapis, & vitæ solers proscribis inertis
Otia & ignavas thalamis avertere noctes
Exemplo meliore doces. Tibi lætius ardet
Luciferi jam stella, & bis subridet amanti.
Et quamvis viduo, ferales discutit ignes,
Promittitque Deos faciles. Sic præmia recti
Multa capis. comisque tuis lenisque poëtis
Plectra moves vatum, totoque Helicone rigaris.
Vixisti nulli gravis. & quæ vexit in Aula
Splendores Fortuna, eadem te fassa minorem est,
Nec sprevisse Boni studium, nec surgere fastu.
Frons semper privata manet. licet annuat æquus
Auriacus, titulisque novos Celsissimus addat,
Nomina sola tibi servas; sed commoda cunctis
Distribuis, tantisque audis successibus idem.
Ille tibi saltus Batavûm dispersaque Tempe
Credidit. in mediis magnus Venator arenis
Ingrederis Triviæque legis mandata Dianæ.
Quæ captura feris, quæ tempestiva salutis
Tempora, quis numero modus & venantibus arma.
Ille tuis, ubi Mosa maris vomit ostia, nuper
Subdidit imperiis agri Puttensis habenas,
Et fasces, Geervlieta, tuos, & proxima Vornæ
Mænia, nobilibus semper regnata Dynastis.
Ille Tibi faciles aditus & mollia fandi
Tempora concedit, curasque impertit amicè.
Iam belli, jam pacis opus. Legatus ad hostem
Mitteris, atque humeros patrio supponis Olympo.
Et nunc pro nati thalamo, pro Principe nostro
Verba facis, studiisque tuis spondetur Iülo
Filia regnantis Caroli. sic Anglia nobis
Iungeris, & geminis firmantur fœdera pactis.
Iam, VVottona, veni. terra bellacis alumnam
Te faciet, quem nupta tenes. spectaberis aulis
Hic etiam poteritque tuo pro Rege videri
Auriacus, magni Dux oppugnator Iberi.

Quin, VVottona, venis. poteris sic nupta placere
Amelia, & facilis nostris adsuescere sensim
Principibus, vatesque tuos antè ora tueri.
En, dominos Heenvlieta suos expectat, & arces
Purgat læta tibi. qui Te vectabit in alto
Navita, cum Vornæ portus terrasque subibit,
Ostendet, quæ rura reges. cum littora tanges,
Stabis humo, cui jura dabis. radetque carina
Imperio vicina tuo, turresque videbis,
Quas ingressa coles. O quot te Faunus amator
Et læta Dryades venientem & noctivagus Pan
Frondibus ornabunt. Nymphæque sub ilicis umbra
Vel modò sub patula deponent tegmine fagi,
Vel celsis dominam tollent in collibus. unde
Desertos poteris longè spectare Britannos,
Tunc etiam Catharina tuos. sua figit in agris
Signa lepus, gestitque truci mox præda molosso,
Te spectante, dari. Corydon cum Phyllide saltus
Inchoat, & festis resonant arbusta Camœnis.
Quin lasciva volet Dryope arridere Menalcæ,
Leucothöen Daphnis, Nisamque adamare Marullus,
Aglajam Cephalus, lepidam Syringa Palæmon.
At Senior, cui Nassovii Regina Lycei
Septima sceptra dedit; cujus veneranda Tonantis
Canities delubra quatit; cui firma senectus
Fulcit inoffensam, pacato Numine, mentem;
Prospera prælustri loquitur præsagia natæ,
Et totam te mente capit. nisi fallor, in albo
Vertice cygnæos immutas Sponsa capillos,
Et nova grandævis juvenescit vultibus Hebe.

PRO-

PROPEMPTICON,

Ad Ampliſſimum virum, D. IACOBVM vander BVRCH, I. V. D. Potentiſſimorum Federati Belgii Ordd. res, Auguſtæ Eburonum, hoc eſt, LEODII, agentem.

IVngimur in terris ſocii, ſejungimur illis;
Quemque ſuo fidum Pyladi ſors unit Oreſtem,
Theſea Pirithoo, mox vaſtis dividit undis,
Et dirimit fortuna duos. divulſa vagantur
Corpora, & hic Meröen, alter tranſcendit Orontem,
Alter ad Arctoos & pigros navigat axes,
Alter amat medium Solem, vel torrida mundi
Regna, vel Occidui precioſa cubilia Phœbi,
Aut Serum extremos populos. diſtinguit amicos
Orbibus indivulſus amor. mare, littora, montes
Tranſit, & oppoſitis quamvis ſe ſeparet aſtris,
In puncto coit & centro nos jungit in uno.
Tu mihi Eburonum, Vir conjunctiſſime, terris
Siſteris, & Patria defers mandata potenti
Et nota Latio genti, cum ſigna Quiritum
Sterneret Ambiorix, & juſta fraude Sabinum
Exueret Cottamque Duces. disjungimur à Te
Montibus, & quamvis longè ſemotus, amantem
Inſequitur te noſtra Fides. En, ambulat unà
Inter Cyclopum pueros, folleſque fabroſque
Fornaceſque tuus vates. liquefacta caminis
Æra videt procul, & ſonitus incudibus abſens
Excipit & tantis ſe fingit ab ignibus uri,
Et tangi meliore Deo. qua flamma metallis
Incubat & duris Martem thoracibus indit,
Quaque faces formant gladios, tormenta, ſecures,
Haſtarumque truces apices; ad carmina, Muſas,
Et modulos & plectra cient, minuuntque tumultus,
Phœbæa ſub voce, ſuos. dum marmora celſis

Verticibus frangunt dextra, dum saxa figurant,
Tornataque nova spectantur imagine quercus,
Ardua Pieridum scando fastigia, & omnis
Sudat in Aonio elinguis facundia clivo.
Pro saxis plus molle loquar, pro forcipe & armis,
Pro galeis, imbelle melos. conabimur ipsa
Vel Brontis Steropisque manu formare poëtam.
Quàm tua nunc aliis decurrunt tempora curis,
Nec, Burchi, mihi docte vacas. quàm nobilis otî
Et vitæ meminisse juvat. cum Leida loquenti
Plauderet & magnis opponeret ora magistris,
Teque suis juvenem Sapientia conderet ulnis.
Tunc per Naturæ latebras, cœlique marisque
Terrarumque sinus latis successibus ibas.
Tunc tibi multiplicis veri cognoscere caussas
Cura fuit, pulchrasque animum diffundere in artes,
Scrutarique scholas Grajûm. quam Stoa Lycæo
Discrepet & tetricis faciles Zenonibus artes.
Quantus Anaxagoras, quàm sacrosancta Platonî
Sensa fluant, quæ sint Cynicæ sat mascula sectæ
Dogmata, & ancipitis sinuosa volumina turbæ,
Et placitum, Chrysippe, tuum. Tunc redditus orbi,
Virtutum didicisse choros & munia recti
Regnantumque modos formasque & dissona regnis
Iura, fuit studium, atque hominis spectasse decorum.
Tunc placidis juvit præstans donasse Camœnis
Ingenium, Phœbumque ex ipsa arcessere Cirrha,
Et sacros vatum latices & Phocidis omnes
Concussisse Deos, & centum lecta puellis,
Erectis toties sacrasse poëmata Belgis,
Tunc tibi Cæsareos jussus, legesque potentum,
Verbaque jam populis, jam disceptata Tribunis,
Dictavit veneranda Themis, cœtusque togati
Miscuit ordinibus. stabas pro jure sacerdos
Astrææ gravis antistes, civilis honesti
Arbiter. inque Ducum vixisti providus aulis

Et tua nobilium tectis doctrina refulsit,
Et castigatis mansueta palatia fecit
Moribus, Heroumque sagax secreta notavit.
Nunc Patriæ Patribusq; vacas. nunc publica scribis,
Nec tuus es. minus Aonidûm jam sacra moraris,
Pro cunctis dum verba facis. cum principe Phœbo
Suetus sæpè loqui, Phœbum, Musasque Deasque
Negligis, & magni loqueris rectoribus orbis,
Assarisque duces populi. Respublica, reges,
Regnorumque vices & castra minantia castris,
Bellorum pacisque modi, turbata ruentis
Europæ facies, commissaque culmina rerum,
Iam tua sunt, tibi materiem funestaque præbet
Argumenta furens mundus, concussaque longis
Litibus imperia & diffracto federe gentes.
Scripsisti, quid nupta velit, quid virgo, puerque,
Mella poëtarum & vernantis pabula mentis.
Nunc Sueones actosque animis in prælia Finnos,
Adversumque Istri dominum, Bavarique potentis
Signa notas. quàm sint Aquilis vicina Leonum
Classica, Nassoviique Duces. quid Gallia tentet,
Num tuus à Franco Tungrus discedat & Istro
Annuat, armorum causas, motusque latentes
Vestigas, patriæque caves dispendia terræ.
Discedis, propiusque juvas. hæc regna relinquis,
Nec minus officiis prodes. dimitteris, ut nos,
Vt Belgas plus civis ames. rediturus abisti,
Et titulo meliore redux servaris amicis.
Hac Batavi nos lege sumus. prodesse parati
Deserimus patriæ fines & dulcia rura.
Hunc Indus vel Moschus habet. trans æquora missi
Vadimus, in mediis sedem defigimus Afris,
Vel longè Rhenus statio est, aut Sequana Belgis.
Sed cunctos amor unus agit, tutandaque latè
Natalis fortuna soli. sic mercibus, auro,
Sic Cerere & Baccho, sic sacro thure beati

Credimur. atque istos uter precellis agendo.
Hæc tibi ab Amstelius, Burchi suavissime, ripis
Accinimus. spatiis ubi se Cyllenius amplis
Explicat, & vasti vendit vaga munera mundi,
Oceanique vias aperit, tot puppibus orbem,
Classibus ignotos populos, portusque sinusque,
Et nunquam lustrata prius. Te pulchra Leodî
Arva tenent. ubi monticolas industria gentes
Exercet ferrique labor, multisque Deorum
Cingeris excubiis. ubi te Mussonius Abbas
Excipiet doctisque trahet sermonibus horas,
Consiliis annisque gravis. Tibi sanctior ordo
Occurret, sacræque inter tot Palladis ædes,
Invenies vulgi indignas garritibus aures,
Secretasque malis animas; quæ mollia fandi
Otia congressusque dabunt, & fessa laborum
Tempora dulciloquis cupient lenire Camœnis.
Nos Tibi gratamur pariter, votisque tuorum
Ingerimus quoque nostra. tuo subscribit honori
Muydani pater imperii, cui pectore pleno
Defluit historicæ felix opulentia venæ,
Et jamjam Batavi memoranda exordia belli
Parturit & tantæ scribit molimina scenæ,
Iratosque Patres, & nomina dura, Philippos.
Absentem Zulechemus amat. quin carminis in Te
Exacuit vim docta manus. Tibi prospera fatur,
Permiscetque meis Vicforti gratia Musis.
Nec tali dispar triga cupit esse Sinapi
Prisca fides, veterisque mori consortia vitæ.
Sic felix tibi Mosa fluat, sic brachia versent
In numerum nudi Chalybes, & doctior incus
Sit versus mensura tui. sic Legia puras
Fundat aquas vati, caligantesque fodinæ
Largius effundant, Batavo præsente, metallum.

MANES PALLASII,

Sive Prænobilis ac strenui viri, THEODORI DE PALLAES à STERRE, Eq. & præliis adversus Turcarum Imperatorem, sub RUDOLPHO Cæsare, ac MATHIA Archiduce clari, Laudatio Funebris.

Sic pugnasse, fuit decori; cum salva triumphat,
Et Patriæ stat tuta salus; cùm Barbarus hostis
Pellitur & positis Majestas erigit armis
A bellis immune caput; cùm pressa resurgunt
Oppida & adversa vim formidare phalanges,
Et delassatus discit mansuescere Mavors.
Hoc Fabiis Deciisque datum. laus ista Metellos
Tollit & æternis inscribit nomina fastis
Scipiadum fortesque rapit per secula Drusos.
Qui furias, Porsenna, tuas compescuit, unus
Cocles erat. Scythici profugum per littora Ponti
Indomitum pepulit Pompei dextera Regem,
Et Romam asseruit victrix. sub vincla Iugurtham
Traxit & Ausonias Marius bellator in urbes.
Signa triumphatis victricia detulit Afris.
Nec Grajûm laus prisca minor, celebresque per Hellen
Lysimachus Niciasque duces, Macetûmque sarissis
Intrepidus Perdicca, nec exorabilis hosti
Antigonus bellique potens virtute Seleucus.
Hæc veterum fortuna fuit. neque nostra fatiscit
Aut illaudatis pigra est Heroibus ætas.
Successêre pares animis. nec gloria dispar
Martis agit grandes animas, jurataque Fama
Nomina. per seros gliscit Bellona nepotes,
Priscaque Pallasio visa est in sanguine virtus.
Efferimus clari sobolem Mavortis, & illud,
Flebilis emeritum quod bajulat urna, cadaver,
Illustris Diderice, tuum est. si Roma superbit

Tot Ducibus, jactatque sua bellacia terræ
Robora, pugnacesque Italus commendat alumnos;
Nos cineri, Dux magne, tuo, nos justa paramus
Exequiis, tantisque infert præconia bustis
Melpomene, ploratque sui dispendia fati.
Quid Livor malesane fremis? conferre vetustis
Hunc mihi fas Ducibus. Crassos si summa potestas,
Si Syllas suprema vehit; sua præmia passim
Privati meruere Duces. si castra gubernat
Consul & in solo stat Dictatore voluntas;
Plus miles, plus pugnat Eques. Germania plora,
Quem nostra Batavi exstinctum veneramur arenâ,
Et procul hos ipsos affare in funere Manes.
Hic vir, hic est, quem tela inter lituosque tubasque
Formavit miles genitor. vagitibus ipsis
Imbibit armorum strepitus. sub casside jam tum
Primitias animique dabat documenta futuri,
Et prætextatis audacia luxit in annis.
Mox hastam vibrare manu jaculumque suetus,
Ivit in adversas acies: consistere signis
Et revocare gradum didicit: nunc stringere in arctum
Agmina, nunc laxis eadem diducere campis.
Incessit per castra pedes, juvenisque pruinas
Et rigidas calcare nives, galeaque severum
Sustinuit portare gelu, brumamque rigentem
Lambere & invitis præludere belliger astris.
Agmen agens equitum & fulgentes ære catervas,
Ipse alto subvectus equo, vestigia pressit
Intrepidus, turmasque suas modo providus alâ
Explicuit, rursusque globo se continuit Dux.
Accepit mandata libens, iterumque minori
Belligerum præscripsit opus. timuitque regentem
Miles & amplexus dominum est. reverentia major,
An ductoris amor, dubium. diffidere norat
Hostibus & solido distinguere prælia bello,
Gradivumque patrem niti fallacibus ausis.

Iam

Iam victi, jam victoris, ceu judice cœlo,
Mutari sine lege vices : nunc utile vallis
Præcipites inferre manus, nunc claudere castris :
Nunc latebris excire hostem, nunc fallere silva :
Nunc ordiri aciem, nunc sustentare labantem
Auxiliis. Quoties vidit placidissima Phœbe
Ire per invisæ matura crepuscula noctis,
Rimarique vias hostis. cum Sirius arsit
Fervidaque excelso gemerent tentoria Cancro,
Fulmineæ circum conspersus pulvere pugnæ,
Abscondit galea caput & sudoribus iras
Exacuit pectusque minis accendit anhelum.
Nec suasit rabies bellum, nec Martius armis
Suffecit furor. at Martem ratione probavit,
Et momenta prius causasque expendit inermis.
Pallas, quibus hic animis pugnamus & iris,
Displicuere tibi. damnata ferocia semper
Christiadum vesana fuit, quos nomen amicum
Iungere concordes poterat, divellimur, eheu,
Alter & alterius satiamur sanguine cives.
Cumque ferox posset studiis communibus Helles
Terribilis vinci domitor. collidimur ipsi,
Et patet Eoo infelix Europa Tyranno.
Tu melior, Christi juratum nominis hostem
Oppugnas, Diderice, tuæque opprobria gentis
Diluis exemplo. tu relligionis amori
Vovisti bellacem animam, Pietasque coruscum,
Te pugnante, caput laudato sustulit ævo.
Tunc, pacata domi, sociis Germania sceptris
Restitit Euxini Domino, Lunamque bicornem,
Hellespontiacæ feralia signa tiaræ,
Cornibus infractis solâ virtute coëgit
Stare loco ; vetuitque gradum proferre superbum
Regnatorem Asiæ & patrias incessere terras,
Imperiique caput, validam sperare Viennam.
Quis per Sarmaticos, bellacia jugera, campos,

Ivit ovans? quis Pannoniis se proluit undis
Danubioque immersit equos? quis mœnibus acer
Institit & pulsis ferratas hostibus arces
Fregit & Austriaco meruit sub Principe lauros?
Pallasius fuit. hic Budæ sub turribus altis,
Vndique cum densæ vallarent signa cohortes,
Turcicaque Hungaricis instarent agmina castris,
Fecit iter gladio, mediisque elapsus Achivis,
Barbaricas fudit, gaviso Cæsare, turmas.
Ille, ubi Regalis se dederet Alba, triumphi
Et cœpti pars magna fuit. quin libera debet
Canisium Scacabimque Duci. Veprina, Tihana,
Scambochum, castella suis horrentia portis,
Hac etiam sunt victa manu. dic, Pestha, labores
Militis & pulchrum facinus, cum fervida belli
Ingrueret facies, Turcisque furentibus, ipse
Mutatis iterum atque iterum pugnare caballis
Visus, & haud uno labefactus vulnere, victor
Cæsaris amplexu meruit plausuque notari.
Dic clades, Solymanne, tuas, cum Mora tuorum
Cædibus irrubuit. dic, Marcomanne, ruentem
Pallasium, spoliisque exutum insignibus hostem,
Et fusis reducem retro cessisse maniplis.
Hac dextra, Bosk̄aye, cadis. Calissia rursum
Reddita Cæsaribus, nostro Ductore superbit.
Vltima præclaris finem Pax aurea bellis
Imposuit. Patriaque quies dum parta, resedit
Gloria bellatrix, gladiosque & signa tubasque
Atria, pacatique Aulæ tenuere recessus.
Et laudum Famaque satur sibi vixit, & exors
Militiæ, Austriaca retulit præconia lingua,
Gestorumque graves tabulas. heroibus Heros
Additur, & prisci veneranda insignia secli,
Atque Equitum sublime decus Mavortius aufert.
Nunc procul illustri miles semotus ab Istro,
Conditur in Batavis, ubi nos bella, altera bella

Exer-

Exercent & tuta suis securior audit
Belgica Libertas Ducibus. Te fama superstes
Nunc quoque Pannoniis clarum miratur in agris,
Et potor, Diderice, Savi. quibus exit in æquor
Faucibus, effundit vestra tot nuncia dextra
Danubius, timidamque tuis Chalcedona terret
Ausibus, & vexata diu palatia Thracum
Principis & magnos Selymi de stirpe nepotes.
Maxime bellator, pulchris involvere gestis,
Quoque jaces tumulo, rerum monumenta legantur.
Quique legent Belgæ titulos, pugnasque genusque
Et proavos, tanto capiant a milite vitæ
Exemplar non vile suæ, Patriæque focisque
Invigilent, arisque Deûm. de sanguine nasci
Nobilium laus digna Ducum. plus, ista mereri.
Qui cineres librant altis cervicibus, ipsum
Odrysium gestare reor. quæ vestis inumbrat
Exuvias, tegit Atriden iterumque renatum
Peliden Turnumque. capit lachrymabilis urna,
Quem non Austriacæ sedes, non Pannonis ora,
Pallasii nec terra capit. Quin adspice, in ipso
Quæ suspensa micant calcaria sæva feretro,
Quique rigent enses juxta, galeæque, minantur
Post obitum, dirumque vocant ad prælia Thracem.
It sonipes, guttasque jubis abstergit & ipsi
Præcedit mœrens Domino. quàm vellet in hostem
Festinare ferox & despumare dolorem.
Ipse gener, cui se excellens despondit Eliza,
Iusta facit, sobolisque tuæ suspiria miscet
Sæpè suis. parvusque nepos, qui patris ab ore
Virtutem cognoscet Avi, vestigia jam mox
Ista premet, similisque volet Tibi grandis haberi.
Nos quoque, quos tanti fulgor percellit honoris,
Mnemosynæ tot gesta damus. nos busta coronis
Cingimus, & veteris lachrymas in funere Rheni
Fundimus, ut flenti longè consentiat Istro.

VENVS TRANSMARINA,

Sive in Nuptias Nobilis ac Magnifici viri, D. DANIELIS SCHONKII, Domini Poelgeestæ minoris; Et Præstantiss. Virginis, ANNÆ IONQVERÆ.

Saxonicæ gentis populi, & tu belliger Albi,
Cujus ad attonitas sonuerunt horrida ripas
Classica & offenso crudescit Cæsare bellum;
Seu Sueoni cessêre Aquilæ, Sueonumque phalanges
Sublimi cessêre Aquilæ, Regumque Ducumque
Alternas doluit mærens Germania clades:
Iam Pacis dic verba, precor; lituique tubæque
Immemor, innocuæ Veneri largire parumper
Otia, funereasque faces flammasque globosque,
Cypridis immuta facibus. compesce furorem
Mars pater & blandos thalamis immitte furores;
Dum meus eximiæ fruitur complexibus Annæ
Schonckius & totum venis admittit amorem.
Sic ubi se Thetidi Peleus permiscuit, iras
Compôsuit Bellona suas & pronuba Divûm
Thessalicis latè viguit Pax aurea terris.
Si Veneri Mavors dedit oscula, basia certè
Hoc Veneris meruisse reor, ne læderet illam
Effera Mavortis rabies. descendimus omnes
A Superis similique decet nos sorte precari.
Mitius ingenium est Sponsis, concordia major,
Inque vicem jurata fides. ruit acer in hostem
Odrysius, quem nescit amor. sub amoribus orbi
Vita redit gaudetque novis natura colonis,
Et fecunda sui est. Getico sub Principe marcent
Rura, foci & pulchræ viduantur civibus urbes,
Et malè nubit amans. dudum rubuere cohortes
Sanguine; nunc molli vadit virguncula gressu,
Et lecti spe tota rubet. sic dispare fato

Gradivi patris & Paphiis pugnatur in armis.
Non mihi jam vel castra Ducum vel Cæsaris aulas,
Vel procul Arctoo missas à sidere gentes
Calliope cataphracta refer, non subruta flammis
Oppida dispersasque acies. novus exit in Albim
Et spretis Batavûm populis hîc ardet amator,
Stormariæque fidem gaudet jurasse puellæ.
Nunc thalami memorare jocos & basia fas est,
Et faciles in amore oculos & murmura amantum,
Verbaque, moroso quamvis, recitata Catoni.
Da speculum Citherea mihi, dic pectinis usum,
Dic zonam, quam solvet Hymen. dic flammea, peplos,
Dic chlamydes pictasque togas. da tela Cupido,
Da pharetras. hæc apta magis sunt nomina nuptis,
Hæc tua sunt, pharetrate puer, matrisque voluptas,
Sponsorum decora & blandi instrumenta laboris.
At mihi quis vidui damnare incendia lecti
Audeat, & vitio repetitos vertat amores?
Exemplo dum, Sponse, præis. en altera lectum
Irradiat Cytherea tuum, fax altera, tedæ
Illuxere novæ. veteris vestigia flammæ
Nondum abolere dies potuit. progressus amantum est,
Atque artem natura facit. plus, rursus amando,
Discimus & tantis bis Sponsi adsuescimus ausis.
Virginitas quàm multa timet, quàm vana pudoris
Argumenta capit. viduo fiducia major,
Plus solitis animosa jocis. mens gnara cubilis,
Conjugis officium, quid turpe, quid utile, quid non,
Et momenta thori captandaque basia novit
Rectius & docta mulcet ratione maritam.
Ivit in Æneæ amplexus Lavinia conjux,
Cum viduus Trojanus erat; raptaque Creusa,
Itala quo distet Phrygiis discrimine mater,
Perdidicit. magnum Æneæ de sanguine nomen
Huic etiam Cæsar potuit succumbere culpæ:
Atque novos dominæ Veneris sensere furores,

Terrarumque marisque duces. quàm femina res est
Omnipotens. fluctus ultrà fluviosque lacusque
Poelgeesta raptat Dominum: Batavisque remotum
Sedibus, immiscet mercantis cœtibus urbis,
Et rursum Sponsi titulis illustribus ornat.
Hoc, Ionquera, facis. dum Rheni ripa bicornis
Sordet amatori. tuus est, qui poscitur, Albis.
Hic habitas spes tota viri. per flumina, terras
Impavidum transvexit Amor. tu blandula pennas
Remigiumque dabas & amicum calcar eunti.
Iam nivei mores, jam docta gratia linguæ,
Iam patriæ fortuna domus, jam stirpis honores,
Et probitas tenerique decens reverentia sexus,
Grataque simplicitas, obversabantur amanti.
Talis ad illustrem superatis fluctibus Herum
Ivit Abydenus puer & per vasta profundi
Repperit in media Theseus Minoida Creta.
Sed nova res. dudum in Geminis Cancroque Cupido
Arsit amans, auxitque suas sub Virgine flammas
Vt flammæ vim flamma daret. nunc frigora flammas
Parturiunt, ipsique queunt caluisse Decembres,
Et qui brumales effundit Aquarius undas.
Ecce Dionæis uruntur corda favillis,
Et Veneris nunc gliscit opus. dum Cynthius annum
Inchoat & veteres repetit per sidera cursus,
Schonckius orditur genialis gaudia lecti,
Et gelido sub Sole calet. cum mensibus uri
Incipit, atque illos numerans numerabit amores.
Vt sensit Poelgeesta faces & fœdera quæri
Conjugiique decus Domino, sic esse locuta
Creditur: Auspiciis propera felicibus, & te
Incolumem deducat Hymen. non vestra columbæ
Murmura, non hederæ amplexus, non oscula conchæ
Exsuperent. tot funde nova de matre nepotes,
Quot tua fecundis cinguntur prædia terris,
Quot tua vicinas spectant palatia turres,

Aoni-

Aonidumque domos & condita culmina Phœbo.
Absenti tibi spumat equus, dominumque quadrigæ
Exspectant celeresque rotæ. mox Vere sub ipso
Fundet ager flores geminis. hortique virebunt
Lætius & placidis spirabunt flatibus Euri.
Tunc te magna Pales socia cum conjuge fessum
Excipiet multoque adsperget gramine Sponsam,
Flora caput cinget violis myrtoque rosaque,
Vt possit placuisse magis. tunc rustica Thyllis
Cum Corydone suo steriles proscribet amores,
Et cupiet festiva loqui. pulcherrima Najas
Pulsabit liquidas tot cincta sororibus undas,
Ceu Rheno nuptura seni. venabula, casses,
Aptabit Diana tibi, leporesque cavernis
Excibit vis gnara canum. tunc æthere ab alto
Icta cadet per te volucris, vel dedita fossis
Improvisa sui plorabit tempora fati.
Tunc celebres nuptæ monstrabit Leida magistros,
Socraticasque togas, bellacisque ostia Rheni,
Et turres, Engiste tuas. miraberis, Anna,
Oceani grandis spacia & quæ littore in illo
Merguntur Latiis structæ ductoribus arces.
Plus poterit placuisse tuus, seu basia figet
Intrepidus, seu blanda loqui facundia tentet,
Seu toties vati luces donabit amico,
Et non fucato miscebit dulce severo.
Sic visa est Toelgeesta loqui. post rura, domosque
Nos etiam, Schonckí, geniali applaudere lecto
Fas erit, & totum Cyrrha deducere Phœbum,
Et thalamis inferre Deos, Veneremque Iovemque,
Lætitiæ risusque Deos. Nos, numine lævo,
Dulcia concordis nescimus gaudia lecti,
Nec facilis Lucina mihi est. tibi mordet arenas
Anchora, & optato requiescit cymbula portu,
Et gaudet secura sinu. procede secundis
Auguriis, ingens thalami transmitte profundum,

Atque

Atque inter scopulos & inhospita saxa carinam
Dirige. sit tibi Tiphys amor, cynosura nepotes,
Flabra joci, antennæ Charites, prudentia clavus.
Mox Batavos invise tuos, & præscia partus
Non periisse tuum monstret Ionquara laborem.

EPICEDIUM,

In obitum Reverendi Clarissimiq; viri D. M. SIMONIS EPISCOPII, Ecclesiastæ & SS. Theologiæ in illustri Batavorum Academia antehac Professoris dignissimi.

PRæcessere Ducum mortes & grandia dixi
Funera & illustres obitus clarumque cadaver
Pugnantis pro Rege animæ. peregrina locutus
Damna fui & fractis Richeli cervicibus, axes
Nutantes Druidum & socii dispendia regni.
Tunc habuit regalis apex, quem luxit, & ipsi
Sanctior in Latio defleta est purpura Tybri,
Attonitamque procul concussit Sequana Romam.
Nunc propior me luctus habet, tituliqne minoris,
At sacri tamen, exuvias, metuendaque Romæ
Nomina deflemus Batavi. jam læta Quiritum
Exultat domus, Ausoniis dum partibus acer
Cessit Episcopius, Tiberique hac gaudia sola
Morte facit, Dominam chartis qui terruit Urbem,
Et vixit tibi, Roma, gravis. mutata malorum
Scena patet, nostrisque incumbens pallida terris
Devotum tibi, Christe, caput, cœlique ministrum
Subduxit Libitina suis. non sceptra Ducesque
Ad tumulum cineresque viri deposcimus. aulæ
Funereos nolo strepitus pompasque potentum,
Et quicquid fastu tumet & se polluit ostro.
Incedat fluidis mœrens Ecclesia vittis,
Et pallam funesta trahat. Vos ordine cives

Ite, quibus toties cœlestis nuntia vita
Insonuit tuba, &ætherea validißima causæ
Buccina. nunc miseris, nunc peccatoribus urnam
Tollimus, & spretas mundo submittimus umbras
Exequiis, trahimusque Dei post busta cohortem.
Sic ubi flammiferis Thesbitem auferret Olympus
Curribus & tanto infelix Iudæa magistro
Orba foret, stupuere patres, ploravit ademptum
Isacides, raptoque seni pars optima gentis
Indoluit luxitque virum desertus Eliseus.
Ipsa rogum tangens Pietas, sic fatur: in illis
Exuviis sum fassa Deum, partaque salutis
Grande opus & magni cunas & funera Christi,
Calcatasque domos Erebi. non terruit illum
Impietas secli que furor, nec nixa priorum
Lege superstitio aut veteris constantia falsi.
Sola fidem fecit scripti fiducia veri,
Nec dubia Superûm voces & prodita cœlo
Relligio, & validis spes imperterrita vatum
Eloquiis unoque Deo doctore triumphans.
His latuit Pax exuviis, litesque perosum
Pectus, & hæc suetum populis credenda fateri,
Quæ cunctis sine nube patent: his legibus orbem,
Sic coïisse pios: sic sanctis fœdera necti,
Nec placitis dirimi socios: ea bella vetari,
Queis regnum sibi quisque struit: decretaque templis
Vult inferre ferox, non persuadere modestus.
Hæc docuit, qui noster erat. quin regula morum
Tarsensique diu descriptus Episcopus, orbi
Hunc dedit exemplum, partesque implesse docentis
Credidit & summum factis monstrasse Tonantem.
Ista sacrosanctos inter Facundia cœtus
Detonuit, potuitque animos fregisse rebelles
Adversosque mihi. nihil est, quod diceris, Orpheu,
Agrestes homines sacer interpresque Deorum
Avertisse fero cultu, fidibusque misellam

Eurydi-

Eurydicen stygiis olim rapuisse tenebris.
Hic sacer interpres Batavûm cœlestibus urbes
Vocibus implevit. visum pallescere quodvis
Crimen & improbitas dictis percussa severis
Horruit & sacrum timuit vesania fulmen
Et tonitrus, Vir clare, tuos. mutata fuere
Pectora peccantum; castigatique furores
Subsidere malis. sic quondam condidit arces
Amphion fecitque bonas, majorque refulsit
In terris virtutis honos. audivimus oris
Optima verba tui, cum te vis docta loquendi
Per voces raperet, populo plaudente, Beatas,
Tantaque mirandos caperent oracula sensus,
Tunc felix tibi pauper erat. solatia mœstis
Pulchra dabas. miti tellus promissa fideli est.
Cœlica dos justo. mundis augusta verendi
Ora creatoris. summi clementia Patris
Vindicibus miseræ gentis. tunc pacis alumnos
A Superis cœloque genus traxisse docebas.
Hoc memini, stupuisse mihi ceu cœlitus ictum
Pectus & adductis intus collisa fuisse
Viscera visceribus, cùm tot discrimina, cædes,
Fataque sanctorum atque insontis barbara turbæ
Supplicia infandumque pius renovare dolorem
Orsus eras, Regumque iras & bella referres
Arduus & pavidis sanctorum incendia flammis.
Quantus erat fervor cupido, quis zelus agenti
Res hominum causasque Dei. sit Rottera testis,
Et quæ rura tibi debent exculta docenti,
Officiique modos à te didicere magistro.
Quàm subit illa tui quondam Doctoris imago
Rhene pater. cum tot juvenum stipante caterva
Iret & in mediis Batavorum invictus Athenis,
Assereret veri partes, perplexaque Graiûm
Dogmata, Palladiæque aptaret præmia fronti.
Publica cum celebri inferrent mandata Lycæo,

Diffudit

Diffudit se fama viri. tunc Belga, Britannus,
Pannonius, potorque Savi, collectaque pubes
Vndique, fatidicæ veneranda arcana Minervæ
Hausit, & æthereas scrutata industria voces
Agnovit gavisa Deum, & servantis Olympi
Robur adorandum & venturis abdita seclis.
Errori præclusa via est. erepta Sophistis
Arma, dolique omnes isto sub vindice dudum
Et latebræ patuere. stetit munita valensque
Illo præceptore Fides. perque ardua rerum
Præcipitesque avi salebras nos intulit astris.
Ille per adversos Patriæ sine crimine fluctus
Tutus iit, mediisque insons caput extulit undis,
Exilioque redux, magnæ se reddidit urbi,
Quæ fuerat natale solum. nunc plorat ademptum
Civis Episcopium, & non pasci vocibus istis
Se dolet, attentasque frui sermonibus aures.
Hic cineres capit urna tuos, Vir maxime; sed te
Laxior orbis habet. spatiis non clauderis illis,
Queis diffuse jaces. quavis in mente tuorum
Conditur urnâ tibi. tecum doctrina vagatur,
Et quà se vis ingenii, memorabile nomen
Explicat, & placidos extollet posthuma manes
Posteritas, dicetque suis: jactamur amici
In terris, mediosque sibi secura per ignes
Mens & causa gradum faciunt. innoxia gliscit
Simplicitas, curatque parùm, cum conscia recti est,
Se mundi mactari odiis. si terra negatur,
Insonti cœlum omne patet. non exulat orbe,
Quem pars orbis habet. patria est, ubi vivere forti
Posse datur. non templa piis, non limina desunt,
Virtutum cum templa sumus. sat magna coïmus
Agmina, cum se sancta probant. sociamur in unum,
Nec sumus avulsi fratres, quos unius omnes
Spes vitæ melioris agit, quos alligat uni
Rerum summa duci. diversis cœtibus imus,

Sed

Sed Christo monstrante viam. discordia partes
Sola mente facit; sed quas coalescere tandem
Suadet amor, Romæ metus & vix pulsa tyrannis,
Partaque concordi libertas aurea regno.
Hæc voluit, cujus nunc officiosa feretrum
Ponè sequor. talis potuit placuisse Tonanti.
Dixerat hæc Pietas, & cælo debita mater,
Dum præclaram animam cognatis inserit astris.
Has veteri jussit lachrymas me flere sodali.

IN NVPTIAS

Amplissimi viri, D. IOHANNIS VANDER-MEYDE, Rotterodamensium Consulis; Cum Præstantissima Virgine, CONSTANTIA BARTELOTTA.

Victa ruit, tandemque cadit Constantia verbo,
Et patitur mansueta virum. generosa fatiscit
Virginitas, nec tanta sibi jam nomina constant
Vlterius, vocesque graves blandissima frangunt
Oscula, magnanimique labat reverentia dicti.
Scilicet excellens tot retrò secula Virgo
Cogitat, & non vult primævis matribus esse
Dissimilis, vel sola sibi sapuisse videri,
Post Saræ thalamos, tactasque ab amore Rebeccas,
Post Adas Sillasque & prisca vocabula Laas,
Quæsitamque diu rara mercede Rachelem.
Sensit inexpertis accendi pectora flammis,
Et procul ex ipsa nascentis origine mundi
In neptim transire faces; quò sanguinis usque
Pertingit series, etiam pertingere amantum.
Quæ Deus innocuæ dixit secunda parenti,
Audivit sibi verba loqui; latuitque sub illo
Bartellotta sinu, qui matres edidit omnes.
Queîs pater humani generis complexibus Evam
Ambiit,

Ambiit, implicuit cunctos natura nepotes,
Et costa pars quisque fuit. sub risibus istis
Risimus, & quicquid patres, nos fecimus ipsi.
Arsimus his lumbis pueri, didicitque procari
Posteritas. medios etiam, tu Sponse, per agros
Fortunatorum nemorum, cum conjuge sponsa
Ivisti, viditque tuos tunc Lucifer ignes,
Præsentisque thori Superis prælusit imago.
Ad Tigrim Paradisus erat. nunc Rottera ab illis
Incaluit longinquus aquis, occultaque subter
Semina conjugii socium diffudit in Yam,
Mudanosque latens invasit flamma penates.
Convenere domus dignæ, fascesque duarum
His nubunt pulchrè thalamis. in Consule sponso
Vult gravis esse Venus, Satrapasque immiscet amori
Terribilem Astrææ faciem, & peccantibus enses
Ostentat pœnasque mali. divisa potestas
Iungitur amplexu, & populi rectoribus æquæ
Annuit & læta subridet fronte Dione.
Quàm faciles, Meydane, Deos expertus amasti.
Quàm favêre Duces Batavûm. dum Cypridis aulam
Sollicitat tibi faustus Hymen myrtoque coronat
Tempora, Nassovius magnæ te præficit urbi
Rectoremque facit. pariter concurrere honorum
Vidimus & lecti titulos, partesque voluptas
Majestasque suas obiit, dictusque magister
Civis, Acidaliæ submittis frena magistræ
Et Paphon agnoscis dominam. dum Cypride plena
Emollit rigidas tua Bartellotta secures,
Et trabeas peplo recreat vittaque Senator
Frangeris & tepido subsidit Curia lecto.
Non Indo præfectus amas dare jura remotis
Gentibus, aut pandis laxas jam vela carinis,
Memnoniasque domos calidique palatia Phœbi
Concilii pars magna regis. totum exigit uxor,
Et ducenda domi conjunx. narrantis ab ore

Fortè

Fortè procul sponsum poterunt te scire Molucca,
Nominaque in tabulis scribet genialia Tiphys,
Et virides alta suspendet puppe coronas.
Non Batavûm diffusa tuis araria curis
Erigis & grandes numerat solertia census.
Vna tibi ad numerum satis est. rationibus una
Inclusa est nunc Virgo tuis. hæc sola superbas
Æquat opes, numerosque & summas colliget udis
Basiolis, atque illa volet numerare maritum,
Deliciasque thori gremio confundere in uno.
Adspice, quam pronis tua te Respublica votis
Excipiat, signetque novis successibus annum.
Quàm sibi securos promittat navita portus,
Te Patriæ moderante ratem. nos plausimus ipsi,
Dum tibi continuo decurrit Consule stemma,
Et proavûm sine labe decus nunc esse nepotis
Scimus, & in sobolis vultu regnare parentes.
Naïadum festiva cohors ad flumina Mosæ
Ludit, & illimi lemniscos conficit alga,
Cunctaque virtutum notat argumenta tuarum,
Et Sponsæ recitat Veneres; quæ gratia dictis,
Qualis in ore lepos, quàm grata modestia morum,
Quam formæ venerandus honos; & nescia fuci
Simplicitas, quàm femineas exculta per artes
Vivida mens, & gnara sui natura decori.
Ecce tuum præstans juxta matrona cubile
Tessela stat, loquiturque gravi præsagia voce,
Atque oblita sibi commendat basia vobis.
Illa Camœnarum decima est, & sola virile
Provocat ingenium vestrisque illustria tedis
Verba canit, viduæque putat plus posse favorem,
Cum vidui transcendit epos. sic ludimus unà
Versibus, & grandes studiis flagramus in æstus.
At Domus audacis fato celeberrima Velsî,
Et vinclis, Dux magne, tuis, vos lætior ambos
Respicit & mox venturis penetralia nuptis
Pulchrà

Pulchra aperit, Brutumque cupit ſpectare graviſque
Conjugis os, laſumque femur, fideique jugalis
Laudatum ſpecimen, veteris miracula Romæ.
Creditur auditum murmur, Velſique latentem
„Errantemque iſtic animam dixiſſe: Batavi
„Si ceſſere Ducis ſaltus, tu ſponſe viriles
„Auſpiciis ordire aliis; ſi Principis ultor
„Flagitiique fui, meliori Principe nubat
„Machtildis Mudana tibi. Quin Flevus amicas
Sternit aquas, Vechtaque cupit placabilis ire,
Et cunctos circum ſuccendit amoribus agros.
Vt ſociam poſcat Progne, ferventior Iſis
Irruat in Venerem, paſcentes impleat agnos
Dux gregis, ut mediis gliſcant in fluctibus ignes,
Squamigerumque genus madido conſueſcat amanti.
Scilicet in Geminis Sol eſt. cum Caſtore Pollux
Ardet, & in terris geminos, flagrantibus aſtris,
Iam ſponſos facit, ut geminos deducat ab illis.
Creſcite felices thalami, veſtrique fovete
Spem generis, trabeaſque inter faſceſque nepotum
Patritius ſuccreſcat honos. dumque ibit in æquor
Rottera, dum celſa ſtabunt faſtigia turris,
Et rutilo vultus verè ſapientis Eraſmi
Ære perennabit, poteritque hoc cernere Livor,
Præſtet inoffenſos ſobolis prudentia cives.

VISVR-

VISVRGIS LACHRYMANS,

Sive Nobilissimi, Amplissimi, Prudentissimique Viri, Domini NICOLAI à RHEDEN, Liberæ & Imperialis Bremensium Reip. Consulis Laudatissimi, Laudatio Funebris.

QVa toties nostris misces commercia terris,
Et formidata Hesperiis, tranquille Visurgi,
Concilias hæc regna tibi, Batavûmque potenti
Imperio & sociis gaudes adsuescere Belgis;
Has lachrymas confunde tuis, & Consule in uno
Communes precor esse velis ad busta querelas.
Qui lucris persæpe tuis, nunc Amstela damnis
Afficitur, tantoque dolens in funere plangit,
Surreptosque tibi deplorat præfica fasces.
Non Regum jam fata queror, non vulnera, cædes,
Non tumulos, cineresque Ducum, non horrida Martis
Castra sequor vates, cuneisque immixtus & armis
Teutonico mœrens calamos in sanguine tingo.
Te sequimur, Rhedene pater, dumque altior astris
Eveheris, nostroque pius subduceris Orbi,
In cœlos mea te pietas comitatur euntem,
Quasque habet exuvias tellus, hîc posthuma deflet
Calliope; toto quamvis rectore potiri
Mallet & in medio dicentem audire Senatu.
Te cives coluere tui, patriaque parentem
Brema diu venerata fuit. dedit illa, Senator,
Natales augusta tibi, teneraque juventa
Flexit iter, magnisque animum virtutibus olim
Imbuit, & felix per te crescentibus annis
Visa fuit, seque illustri jactavit alumno.
Imperii micuere nota, poterasque regentis

Ante

Ante diem credi similis, generosaque gentis
Nobilitas pulchri titulis fulgebat honesti.
Sumebas à stirpe decus, splendorque parentum
Calcar erat. nec degenerem, Vir summe, volebas
Esse tuis sobolem & proavis differre nepotem.
Tunc populis exempla dabas, & civibus ibas,
Majorum pietate, comes, doctasque per artes
Raptabas studiosum animum; & quæ scire volebas,
Venturos patriæ prudens servabat in usus
Sedulitas, casusque quibus Respublica posset
Ista quati, longe jam tum mens provida vidit.
Sic Cyneam studuisse reor, sic Nestora cunctas
Regnorum didicisse vices, quid turpe, quid aptum
Gentibus, & quibus attollant se sceptra ruantque
Consiliis, quæ pacis opes, discrimina belli,
Et quæcunque forent terris præcepta regendis.
Sic grandes patuere Scholæ, & prudentia sumsit
Incrementa foris. poterat tibi Belga placere
Noster, & hæc totum precio quæ distrahit Orbem,
Vrbs, Batavi regina soli. Vogelaria cum te
Excepit fovitque domus, fidisque paratum
Nomen amicitiæ studiis, venerabile vobis
Sincerumque fuit, nec in ipsa morte remissum.
Dum misera assiduis teritur Germania bellis,
Hinc Sueones, hinc signa movet contraria Cæsar,
Et circum pavidis incumbunt castra Cheruscis,
Neuter agis causam & secura pace tueris
Oppida, nec rixis infers civilibus urbem.
Tu facilis, tu lenis eras, tibi nescia fuci
Simplicitas, gratique omni sub sidere mores.
Non te turpis avarities, non subruit auri
Sacra fames, foribusque latens vindicta potentum.
Te mitem sensere humiles, rigidumque rebelles,
Gloria demissum stupuit, constantia rectum.
Sobrietas in te Curios laudata renasci
Vidit, & antiquum gravitas non ficta Catonem,

Attilium jurata fides. quàm grata loquentis
Suada tui, & duras sermo qui flecteret aures.
Invitum deprendit honos, & rapta per omnes
Te vexit fortuna gradus, laudumque theatris
Intulit & patrias ultrò concessit habenas.
Tunc cœtus viguere pii, te Præside, & ipsum
Templa Deum timuere magis. risere Camœnæ,
Et toto melior sonuit Doctrina Lycæo.
Maxime vir, vix summa tua fastigia laudis
Radimus, & timidas lassant præconia Musas.
Nec par Cirrha tibi est. qui publica commoda rexti,
Tot privata refers. meritis ingentibus æther
Annuit & vitæ facili largissima donat
Munera, fœcundosque thoros. quem gratia totum
Formarat, devinxit Hymen; & prole beavit
Non una Lucina favens. nupsere sorores,
Triga decens Charitum, spemque explevere nepotum.
Nec minus in natis, genitor Rhedene, superstes
Vivis adhuc, totidemque à te deducis avitæ
Munimenta domus, & queis insistere Brema
Possit, & una sui causas committere fati.
Iam felix terris sublimior adspicis illas,
Et conculcatos mundi mens ardua fastus
Spernit & alterius spectas moderamina sceptri,
Rectoremque Deum. jam Christo plenus honorum
Summa tenes, cœlique tibi nova gaudia priscos
Discutiunt, morbo non hîc vexante, dolores.
Luget Mitra decus tantum, clausamque sepulchro
Canitiem dignumque caput. tot pulpita squallent,
Doctorum perculsa sonis. quin vindice Pallas
Orba suo, passis queritur funesta capillis,
Indicitque moram studiis. cœlestia suetus
Verba loqui, sacras venerando in funere voces
Fundit & exactæ laudes & pondera vitæ
Colligit. assertas illo sub Consule leges
Laudatrix Astræa refert. decedere patrem

Civis

Civis ait, dominumque ſimul. tumuloque ſub uno
Rectorem clamat populi ſeſeque recondi.
Parcius Aoniis manant è fontibus undæ,
Quas dolor abſorbet. Bremæ vicinior Albis
Condolet & ſocias implet ſingultibus urbes,
Inque mali partes Amaſin rapit. ipſe remotus
Amſtela, me cunctas juſſit deferre per oras
Nuncia, & inſignes faſtis inſcribere manes.
Vos veniam date Bremenſes, ſi carmina veſtris
Suſtineam ſacrare togis. Vos matris habetis
Oſſa meæ, charaſque tegis, pia Brema, ſorores,
Vt vates jam ſponte loquar. dum miſceor iſtis
Funeribus, ſubeuntque animum tot buſta meorum,
Fas puto me veſtri cineres tumulumque vereri
Conſulis & gratas vobis impendere voces.
Tuque adeo tanti ſoboles generoſa parentis,
Tolle faces recti, ſubductaque lumina nobis
Reddite, magnanimoque pares ſuccedite patri.
Sic faveat vobis paribus Reſpublica votis,
Floreat Vrbs, regnetque diu: ſic mœnibus iſtis
Arceat hoſtiles Superûm clementia dextras.

Illuſtriſſimo ac Generoſiſſimo Domino, D. BOVTHELLERIO, Comiti de Chavigni, Chriſtianiſsimo Regi à conſiliis & ſecretis.

TRiſtes querelas Galliæ gemiſcentis,
Regiſque voces Purpuræque lamenta,
Ferale funus Eminentis Armandi,
Cecini Chavigni. Cardinalis extincti
Arceſſo manes, quem ſuperſtitem dixi.
Dum templa, turres, porticuſque Gallorum,
Aula, Lycæa, buſta Principis lugent,
Dum grande lumen occidit tuis terris,
Et Vniverſi cymbalum loqui ceſſat,

Et iste Titan Celta factus est Vesper,
Nefas putavi elinguis esse defuncto,
Et non dolere tot dolentibus regnis.
Seu Francus ista mœstus ingemit clade,
Seu Belga noster, sive lugeat Rhatus,
Vel Allobrox vel Itali soli civis,
Castrisque Teuto sapè regiis victor.
Nos bella, lauros & trophaea venturo
Narramus ævo, & maximi Ducis nomen
Et vim sagacis ingenî, & reluctantem
Animum procellis, acre pectus adversis,
Fidele Regi Liliisque juratum,
Oculis legenda obtrudimus malignorum.
Comes verende, Franciæ tuæ splendor,
Qui pondus humeris sustines Atlantæum,
Regique propius faris & Iovem tangis:
Qui consulentem sæpius, Bothellieri,
Fractumque curis consulendo juvisti,
Cervicibusque ingentis imperî molem
Vna tulisti, & his laboribus perstas,
Has lachrymas, hos Vatis exteri questus
Dignare venia, & debitos Duci planctus.
Sic te, Chavingni, fata Purpuræ servent,
Sic vive Gallis patriæque consultor,
Sic me tuere, quem dolor Camœnarum
Amorque Magni flere jussit Armandi.

C. BARLÆI

POEMATVM HEROICORVM

LIB. IV.

Sive Poëmata, quibus illustriores Nuptiæ à Nobilissimo viro D. IACOBO CATSIO Eq. & Hollandiæ Syndico Belgicis versibus conscriptæ,

hic

Latino Carmine celebrantur.

PARADISVS,
Sive Nuptiæ primorum parentum, ADAMI & EVÆ.



Vmanum genus ex uno, populumque potenti
Prognatum genitore canam, thalamosque facesque
Quæ summo placuere Iovi, jurataque cœlo
Fœdera, & æthereis accensos sedibus ignes,
Autoremque Deum, & magni sponsalia mundi.
Hic Venerem prævertit amor, Cyprumque Gnidumque,
Et curas, levis Ida, tuas, altamque Cytheren,
Lucinæque graves voces, metuendaque matri
Pignora, difficilesque thoros. Cum fabula nondum
Facta fuit Samos, & teneræ lasciva Diones
Regia, & ardentes geniali in limine tedæ,
Et facibus præluſtris Hymen, & pronuba Iuno,
Idaliusque puer. cum nondum gnara pudoris
Virginitas primo occurrit secura marito,
Et nulla cupidum fregit formidine votum.
Dulces conjugii tabulæ, grandævaque patrum
Vincula, & humanæ sancta incunabula gentis,
Scribite me socium priscis rectoribus orbis,
Et nexu vincite pari; me involvite totum
Ignibus; &, sero licet, adspirate nepoti
Patritios animos, veteresque arcessite flammas;
Dum Superûm decreta loquor, fœcundaque pando
Gaudia, & ex uno nascentes sanguine sponsos.
Huic thalamo, quodcunque sumus, debemus amantes;
Vrimur exemplo soboles, cupimusque procantum
Officio, ceu lege, frui. quæ basia cuncti
Figimus, hi docuere patres. amplexibus istis
Hæsimus; &, quamvis tantarum nescia rerum,

In causis ventura suis stetit omnis & arsit
Posteritas, voluitque viro consuescere virgo
Posthuma, nec superesse sibi. mens altior ambos
Vnit, & dominos grandi sub Numine jungi
Adspexit natura suos. insania non est,
Sed titulus sapientis amor. sublimius illi
Principium, celsisque furor defluxit ab astris.
Quin genitrix hominum rabies & amica voluptas
Nos agitant, agitante Deo. sub Præside tali
Nubitur, auspiciisque haurit cœlestibus ignes
Quisquis amat, multumque gravis reverentia lecti est.
Tu motus, ADAME, *tuos, primique furoris*
Molle rudimentum & castæ præludia sponsæ,
Et thalami secreta aperi, cum nullus adulter
Incestare thorum potuit, nec pellicis astu
Peccavere viri, nec luxuriosa procorum
In te turba ruit: cum, solum tuta duobus
Conjugibus, primæva fides tot nomina pravi
Nescit, atque una vultum defixit in EVA.
Et tu patre Deo felix, sine matre virago,
Nullius, sine fratre, soror; pars altera mundi,
Pars eadem surrepta viro, pars reddita rursum,
Dirige me, veneranda parens, & semina rerum
Damnatumque Chaos, fœdisque erepta tenebris
Tempora, gavisumque tuis natalibus orbem,
Conjugiique expone modum. Tibi clarius arsit
Luciferi tum stella recens, fulsere serenæ
Plejades, Arctophylaxque tuo consensit amori.
Quæque Ariadnææ meruerunt astra coronæ
Prospera in illustrem vibrarunt lumina sponsam,
Et lusus fovere tuos. Tuque ætheris alti
Terrarumque potens opifex & conditor ævi
Summe Deus, sacro præcordia concute motu,
Et tua quas nostris leges sapientia flammis
Præscripsit, Pater alme, doce; quo concitus æstro
Prima maritali concussa cubilia gressu

Presse-

Tresserit, & validæ quondam libaverit Heros
Oscula consorti: quo percita nubilis uxor
Numine, magnanimo sese submisit amanti,
Robustumque latus tetigit. mihi, Cyrrha, profanas
Claude domos. nec enim me sacrosancta moventem
Sollicitare Deos, Pataraque avertere Phœbum
Fas erit; ite Deæ Libethrides, ite Camœnæ,
Et toties nobis faciles Heliconis alumnæ.
Nunc vobis ignota loquar, tripodumque ministris
Non audita prius. non jam levis ungula colles
Percutiat, Pimplamque mihi & Parnassia fundat
Flumina, non solitis me proluat Hippocrene,
Non Pallas, non Thocis aquis. mea largius, Heden,
Labra riga, fontesque tuis extrude disertos
Collibus, & medio demerge in Tigride vatem,
Assyriosque mihi latices, vallesque reclude
Fortunatorum nemorum, latisque repone
Sedibus. ad viles dudum demissa labores,
Tota salutares mens imbibit enthea curas;
Cultoresque tuos binisque habitata colonis
Rura canit, lectique decus venerabile cœlo
Imputat, & dulcem terris impertit amorem.
Dispulerat deforme Nihil, mersamque tenebris
Congeriem, formasque rudes distinxerat autor,
Et facies nova rebus erat. flammantia mundi
Mœnia, sidereasque domos, expansaque vastis
Atria fornicibus, dictinctosque orbibus orbes
Volvebat proprios vis indefessa per axes.
Ibat, & insolitos lampas Phœbeïa currus
Raptabat per signa; diemque opponere nocti
Cœperat, & gratas populis promittere luces.
Cui comes instabiles velox Dictynna quadrigas
Nocturnis flectebat equis; sed lumine nondum
Orba suo, nec passa vagi discrimina vultus,
Intrepidum sulcabat iter. radiantibus astris
Hic madidas Hyades, illic sicci ora Leonis,

Hic Cancri chelas & tardi plaustra Bootæ
Addiderat, propiusque polo suspenderat Arcton
Majestas augusta Dei. Depressior illis
Ignea securam radebat machina Phœben.
Quam subter gremio immani circumfluus aër
Ampla procellosi lambebat tergora ponti,
Inde cavis passim captivum anfractibus æquor.
Vltima concreto subsidens pondere tellus
Stabat mole sua, &, nullo tibicine fulta,
Librabat vastos solidis compagibus artus.
Cernere erat tumidos sinuosis flexibus amnes
Fastidire sinus magni Tritonis, & ipsa
Terrarum per operta rapi, rursusque vagantes
Reddere & immensis effundere faucibus undas.
Tunc visa patulo volucres erumpere cœlo,
Squamigerumque genus pelago: per inhospita saxa
Et saltus errare feræ: atque ignara laborum
Agmina quadrupedum laxis discurrere campis,
Et nullo ductore regi. De pulvere vili
Factus Homo, colophon operis, grandisque theatri
Arbiter, & mundi melior nascentis origo,
Mirandum lustrabat opus, causasque Deumque
Mente sequebatur tacitus. Quæ maxima postquam
Fecerat excellens Genitor, solumque deesset
Sponsa viro & tantis decoranda penatibus uxor,
Ingentes illis præclari Orientis honores
Destinat, & latos Asiæ prædivitis hortos,
Quosque colit nunc Assur agros. Hic area mundi
Pulchra patet, Superûm labor, & secreta voluptas,
Deliciæ humani generis, domus hospita patrum,
Orbis amor. qualem non unquam Thessala Tempe,
Non Baiæ videre locum, non florida tellus
Phæacum, aut Afris exculta sororibus arva
Hesperidum: vel quæ suspendit in aëre fruges
Alta suas Babylon, varisque Semiramis ausis.
Hic Ver purpureum caput inviolabile nimbis

Exerit, & flores ultrò protrudit apricos.
Improba nubiferæ procul inconstantia Brumæ
Et peccans Autumnus abest. se longius Æstas
Explicat & culmis turgens Cerealibus usque
Luxuriat, totusque fluit sub messibus annus.
Non rigidis armenta jugis, non taurus aratro
Ingemit, aut sulco attritus splendescere vomer
Suevit & iratæ dentem defigere terræ.
Non invita gravi purgatur vinea rastro,
Convellitque labor glebam. se sponte relaxat
Vis geniusque loci; &, duros exosa labores,
Vesta sinus faciles aperit. non incubat herbis
Tempestas Boreæque furor, sed amœnior aura
Per nova lascivo discurrit prata volatu,
Cunctaque mulcenti fœcundat gramina flatu,
Omne solo lolium sterilisque abscedit avena,
Nec vitium natura facit, sed provida casus
Prævenit, & nullo fœtum deformat abortu.
Non glaciem, gelidasque nives, frigusque minatur
Sarmaticum trux Ursa satis, teneramque pruinæ
Exurunt acres Cererem: non diluit illam
Imber, & infesto truculentior afflat Orion
Sidere, vel rabido pertorret Sirius astro.
Inconcussa salus habitat, nec lurida morbi
Corpora, & occultæ vexant animalia flammæ,
Et lethi genus omne, & fracta ætate senectus.
Purior invisis purgatur sordibus aër,
Et propria bonitate nitet. non squallidus humor
Pallenti livescit aqua, nec fulmina sparso
Igne nocent, tonitruque boant convexa severo,
Aut trepidans vibratur humus. tumet omnis in herbã,
Et sibimet blanditur ager, nec triste venenum
Parturit & pravis stillantia toxica ramis.
Non virosa truces lambunt aconita dracones,
Non clam puniceis usquam permixta virescit
Dira cicuta rosis. spinis paliurus acutis

Exulat & pungens tribulus. non vipera morsu
Enecat, & sævo metuendus scorpius ictu,
Aut medica gaudens ager plantagine buso.
Nulla sibi cæci fodere cubilia talpæ,
Nulla trahunt lento cochleæ vestigia gressu,
Nulla ruinosos intexit aranea postes,
Aut malus horrificis immugit bubo tenebris.
Cymbia lacte fluunt. sudant opobalsama frondes,
Thuraque, tunc nondum sacris accensa Deorum.
Spumant mella favis. crispantia vellera & armos
Lanigeræ mirantur oves. ros jugiter hortum
Irrigat, & nulla premitur caligine pulcher.
Fertilis Euphrates sinuoso labitur amne,
Et ripis non vile decus vernantibus adfert.
Nec minus Armenii fontes & flumina currunt
Tigridis, & sparsis recreant viridaria rivis.
At qui se septem diffundit in ostia Ganges,
Extremas lambit spatiis ingentibus oras,
Quà Titan se tollit aquis. quà labitur idem
Adspicias pleno surgentem gurgite Nilum
Occiduis pingues partiri finibus undas,
Forma loci duplicat laudes. hic edita clivo
Surgit, & in tumulos modico curvata tumore
Tollitur, in valles illic diffunditur amplas.
Planities alibi est. ramorum frigore silva
Castigant alto flagrantem vertice Solem.
Is decor arbustis, ea passim gratia florum,
Sic pubent virgulta, color sic discolor illis,
Ut se, pulchra licet, vinci non abnuat Iris,
Nec quæ candidulis onerantur Parthica gemmis
Cingula, vel regum collis diademata fulgent.
Viscera parturiunt aurum, locuplesque metallum
Vena vomit. multa durantur jaspide gleba,
Et candens concurrit onyx, & bdellia manant.
Vos quoque flexibiles hederæ crevistis & ulmi,
Et lauri virides & amantes littora myrti,

Palmaque nunc cedro, nunc celsis juncta cupressis.
Arboreos inter fœtus, frondosaque tesqua,
Surgebat duplex arcani nominis arbor,
Secretos agitans sensus, & numine quæque
Plena suo, forma, genio, molimine dispar.
Prima senescentes poterat depellere vultus,
Nec tremulo passa est incedere corpora gressu,
Rugarum impatiens languescentisque juventæ.
Vis olli vitalis erat, conferre labanti
Robur, & afflictis solatia reddere membris,
Nativos reparare focos, arcessere letho
Semianimes, querulis hominum succurrere morbis,
Exhaustosque fovere sinus; contraria morti,
Atque obitus ignara sui, sine fine virescens,
Vmbrosisque erecta comis, nec frondibus unquam
Denudata suis, non læso cernua trunco,
Aut curvata latus, nusquam non integra stabat,
Et patrio foliorum apices aptabat Olympo.
Posterior vires animo roburque sciendi
Sufficit, ingenio recti pravique magistra.
Hac fructu nos scire facit, quà devius error
Pectus agat, vel certa premant vestigia callem.
Nec minus innocuas inter formosa sorores
Emicat, & nitido pendentia palmite poma
Ostentat, magnoque sui succendit amore
Proclives oculos, vetitosque invitat ad usus.
Ne mihi Phocaos colles, Heliconaque sacrum,
Aut Aganippæas objectet Græcia ripas.
Hic nemus Elysium est, statio gratissima vitæ,
Plena voluptatum domus, opportuna bonorum
Regia, tuta quies, nullus pavor, optima rerum
Et mundi facies, & pleno copia cornu.
Non livor, non ira ferox, non turpis egestas
Quà grassetur, habet, favor & clementia cœli,
Et voti stat summa Deus. Pomœria noster
Ista pater coluit, tali spaciatus in horto

Ibat, & imperio terrasque undasque tenebat
Solus & ignotum flectebat fascibus orbem.
Agnovere feræ Dominum, rabiemque leones
Submisere viro. maculatus tergora panther
Paruit, & longè jaculantes lumina lynces,
Et rapidæ tigres & raucis vocibus ursi,
Et lupus & torvis elephas barritibus horrens.
Quadrupedum quodcunque fuit, quodcunque vel æther
Edidit, aut patulum squamis armaverat æquor,
Vnius mandata ferunt. non abnuit illa,
Qui Pelusiacis vivit crocodilus in oris,
Qui fluctus delphines arant, serrataque rostra
Protendunt pelago. non physeteres anheli,
Non aquila altivolans, quamvis Iovis armiger ales
Et Latiis victrix servanda insignibus esset.
Viderat ex alto rerum Pater omnia nutu
Ire suo, formasque sibi causasque probari,
Et plausum meruisse Boni; cum talia fatur
Providus & dictis regalibus ora resolvit:
Condidimus cœlum & terras, & proxima terris
Æquora, quique illis sublimior imminet aër,
Æthereas fluxis distinguens sedibus arces.
Cuncta vigent, gaudetque ferax natura vocari,
Atque aliud genuisse sibi. dum plurima fatum
Exspectant peritura suum, senioque fatiscunt,
Damna novis reparant studiis, mortique priorum
Vita subit, servantque suas in semine causas.
At mea, cui prono famulantur sidera vultu,
Progenies, speciesque Dei, quæ subdita nobis
Mundi sceptra tenet, mentemque erectior astris
Et Superis inferre potest; ac conspicit in se,
Quæ spectat diffusa foris: sine compare sola
Ambulat, & nullo solatur pignore vitam.
Vnus homo est, uno nostrum sub corpore spirat
Depositum; similemque sui quem voce salutet,
Non habet. occursat cœlo sociabile cœlum,

Et stellis it stella comes. cum Sole vagatur
Luna soror, junguntque suum cum lumine lumen.
Cur homini seposta quies? cur conjugis exors
Vita fluit? qua terra patet, cum conjuge conjux
Quisque sua est, funduntque alios viventia fœtus
Omnia, & in plures abeunt primordia partus,
Et consors sua cuique vacat; genitumque vocatur
Quodlibet, aut gignens animal; prolesque parenti
Succedit non una suo; mas, femina partes
Conjugii blandas faciunt. cum turture turtur
Ludit, in admisso lascivit passere passer,
Et gallo gallina coit, cum vulture vultur,
Accipitre accipiter. socia veniente maritus
Clangit olor, pennisque suos testatur amores.
Capra marem sequitur, generosa leana leoni
Accubat, adsuescitque cani formosa catella.
Hic ululant ferventque lupi. tot matribus illic
Dux aries permixtus abit, multaque nepotum
Spe tumet. egregios taurus bibit ossibus ignes,
Et pater est. etiam furor est insignis equarum,
Est insignis equis, cum gramina læta pererrant
Et rapidos tranant amnes, rabiemque medullis
Altius admittunt. steriles uruntur arena,
Et cervi leporesque calent, damæque fugaces,
Bubalus & panther sunt & sua gaudia stagnis,
Illecebræque mari. miscent se grandia cete,
Et molles phocæ sobolem per secla propagant.
Omnibus accendi tacitam sub pectore flammam.
Hinc per me ruit in Venerem genus omne animantum,
Cum verni species patefacta est prima dies.
Nascuntur violæ violis, ex arbore surgit
Arbor, & e platano platanus, de palmite palmes.
Est hederæ connatus amor; cum flexilis ulmo
Nubit, in accensis spumant ipsa oscula conchis.
Quin ubi temperies calidis humentia miscet,
Concipit, & putri nascuntur corpora limo.

Cur meus ignarus blandi dictator amoris
Semper eat, longosque terat secretior annos?
Non soli fas esse homini, nec nobile patris
Ignorasse decus, nec pondus amabile lecti.
De thalamo jam cura mihi est, de conjuge, natis,
Et, qui praclara veniant de stirpe nepotes.
Hic vir hic est, cujus memorabunt nomina gentes,
Qua medium adspicient Solem, qua signa Trionum,
Quas oriens Titan, & quas declivis adibit.
Ille per Europa tractus Asiamque patentem
Et calidas multum Libya sitientis arenas,
Quemque procul reliquis secrevi partibus orbem,
Extra anni Solisque vias Lunaque meatus
Differet imperium. cunctos à Gadibus usque
Auroram populos isto de sanguine nasci
Prascia fata volunt. & jam descendere cerno,
Nubila qui rumpet curru, celeresque beatus
Flectet in astra rotas. sequitur sine patre sacerdos
Et typicus sine matre senex. cui deinde subibunt,
Iustitia rectique tenax, trabibusque superstes
Et tumidis elapsus aquis; infractaque gestans
Pectora Thariades; gradiensque per aquora vates
Legifer, & totas acies & castra ruenti
Subducens ductor pelago. nec stemmate tanto
Degener augustis despecta mapalia sceptris
Mutabit Iessa soboles, clarusque triumphis
Regali victor juvenis spectabitur ostro.
Quin patri sese comitem felicior addet
Filius, & quo non regum sapientior alter
Iura dabit populis & belli nesciet iras.
Ille piis nobis delubra ingentia cœptis,
Templaque constituet cunctis celeberrima terris,
Et fama devota mea. quin classibus ibit,
Dives ubi assiduis torrebitur ignibus Afer,
Et timidum quaret cacis in rupibus aurum.
Hoc Ninos genitore suos deducet avosque

Assur,

Assur, inoffenso manantes ordine Cyros
Persa sagax, Cecropas Grajus, Romana Quirinos
Gloria, regnantesque meo moderamine Iülos.
Qui Iovis insanis turges natalibus amens,
Hunc patrem dic, Pella, tuum. qui stulte Deorum,
Cæsar magne, tumes titulis, hinc prima reposce
Semina nascendi & clari cunabula Flavî.
Esse quoque in fatis reminiscimur, affore tempus,
Quo mala peccantem damnabunt crimina mundum,
Et faciet se quisque reum. tunc altera terris
Progenies istaque potens ab origine Princeps
Surget, & errantes animas mersasque tenebris
Reddet perpetua, post diruta tartara, vita.
Dixerat Omnipotens; cum membra rubentiā solvi,
Et vigor attentis cœpit decedere nervis,
Et vires languere Homini, nebulaque vaporque
Erectum inclinare caput, collapsaque claudi
Lumina. quin cunctis subrepsit inertia mollis
Sensibus. ignarusque sibi quid fata pararent,
Languidulos artus viridi projecit in herba.
Iamque illos tollens, iterumque iterumque relabens,
Sæpius & prono feriens sua pectora mento,
Defecit sibimet; donec demissus ab alto
Somnus adest, tinxitque suis cava tempora succis,
Et gelido adspersit medicata papavera rore.
Dormit, marcentique anima sopor altius infert
Otia, componitque virum. non flamine frondes,
Non mota ventis segetes. siluitque sonorum
Quicquid erat, quicquid lenem turbare quietem
Obstreperum poterat. jussis cœlestibus ales
Conticuit, sueta argutis prævertere lucem
Cantibus. obticuere canes, & garrulus anser,
Quique loquax sturnus clamore silentia rumpit
Solum murmur aqua & salientis leniter unda
Permissum & quodcunque leves invitat ocellos.

Vt jacuit, stupidum tetigit latus, ipsaque costas
Concussit divina manus. sublataque tanto
De numero fuit una viro. quam maximus autor
Induit egregia forma meliore puella.
Ossea quæ primum fuerat, mollescere cœpit
Materies, factumque fuit tractabile corpus.
Pars abit in spinam, variis quæ flectitur aptè
Articulis, ut libret onus. de vertice summo
Emersit geniale caput, vultusque decora
Effigies; simul impexi fluxere capilli,
Inque humeris lusere comæ. nitidissima cervix
Emicuit, facili manarunt brachia motu,
In digitos distincta suos: hinc pectus & ipsæ
Intumuere humero tenues sub utroque papillæ,
Atque habiles sponso mammæ, venterque femurque,
Accepitque pedes & eburnea crura virago.
Sic quoties puppim ripa molitur in uda
Navita, protensa primum sua ligna carinæ
Aptat, & hinc geminâ subtexit stamina parte,
Et costas alvumque facit: dein transtra forosque,
Fabricat & clavum, tabulataque desuper addit.
Stat matrona, suosque stupet formosior artus.
Stat virgo, nescitque velit cur virgo vocari.
Stat mulier, spectatque viri discrimina coram,
Miraturque maris vultus, & femina quid sit.
Nec tamen erubuere genæ, velamina quamvis
Ignotum terris velarent nulla pudorem.
Integritas sine labe fuit, sine crimine vita,
Nec, quo se tegeret, culpa mens nescia habebat.
Vt vigiles patuere oculi, discussaque somni
Alta quies Homini est; præsentis imagine formæ
Constitit, attonito similis. dumque omnia lustrat,
Atque aliqua sibi dissimilem similemque puellam
Adspicit, arcano præcordia concitus œstro,
Hæc, inquit, quam cerno, mea de carne virago est,
Hæc ossis pars ipsa mei, de sanguine sanguen,

Vita

Vitæ vita meæ, vivacis fabrica costæ,
Debita conjugio conjux, amplexibus uxor,
Dos thalami, sociique placens regina cubilis,
Et magnæ gentis mater stirpisque futuræ.
Illa mihi poterit noctes lenire diesque,
Illa dabit faciles aditus & mollia fandi
Tempora, jamque mihi volet arrisisse marito,
Et jurare fidem, nec sacris cedere pactis.
Dixerat. at dictis præsens Deus annuit, & vos
Crescite, ait, dignosque mihi proferte nepotes,
Alteriusque alter blandè suspiret amori.
Sors geminis communis erit, quin corpore in uno
Concordes vivent animæ, nec fœdera quisquam
Rumpet & æterni dissolvet vincula lecti.
Exeat hic mundi populis illustrior annus,
Quo necti natura duos lætatur amantes,
Et pius arsit amor, ratioque adsuescere leni
Iussa fuit veneranda jugo. de nomine vestro
Nomen eat , sobolem in cunctas diffundite terras,
Tu pater Eois post hæc dicêre, paterque
Occiduis. te Chaldæus Medusque parentem,
Et Pharius, Celtæque colent. tu semina Mauro
Suffice, tu Rhodano, ripisque vagantibus Istri,
Tu Gangi largire homines. Tuque optima virgo
Amplexare virum propius, genitrixque per omnes
Audi clara plagas. multo tibi viscera partu
Intumeant, totusque rotet cunabula per te
Orbis, & à tanta veniant tot principe gentes.
Sic thalamo jus grande datum, & cœlestibus alma
Auspiciis micuere faces, & conditor idem
Fœderis & tedæ præses & pronubus illis
Numen erat. non sors castos temeraria sponsos
Alligat, at magno tuti stant teste penates,
Perpetuasque trahunt metuendo à Iudice leges.
Ilicet æthereos Iuvenis ferventior ignes
Hausit, & hos ipsos, quos non præsenserat, æstus

Aspectu

Aspectu propiore fovet. non nomina rebus
Ponere cura fuit, non tot distinguere formas
Vocibus, aut proprios animantum addiscere motus,
Quantaque diversis oriantur corpora causis.
Non jam scire juvat, quæ volvant æthera mentes,
Quid fluidas gignat nubes, quæ flamina surgant,
Et bellum virtute gerant, quis Nerea vinclis
Strinxerit, & solitas nolit transcendere metas.
Non tauris dare jussa libet, non sistere cervum
Cornibus, aut duris inflectere colla lupatis
Acris equi, rutilosque manu mulcere dracones,
Cum vafro serpente loqui. mens omnis aberrat
In vultus, quos Eva gerit. jam proximus illi
Arridet, subitoque animum labefactus amore,
Salve, ait, egregium summi Patris incrementum
Femina, seu jam sponsa velis, seu virgo vocari,
Seu soboles mea, sive soror. tot nomina per me
Sola refers. uno facta à genitore sororis
Iura tenes; laterisque mei de parte resurgis
Filia, nunc virgo es nulli temerata marito;
Et mulier, quia sponsa mea es: & sponsa Tonantis
Imperio. salve facies pulcherrima mundi,
Delicium non vile viri, mea chara voluptas,
Solamenque pium, spes posteritatis & ævi
Vnica. Tu mecum tota dotabere terra,
Et regni pars una tua est. divisa potestas
In nos orbis abit. capitis si gloria nostra est,
Proxima tu nobis rerum jam frena capesses,
Et patiens consortis eris; nec livida nexus
Distrahet aut socias dirimet discordia dextras.
Quam memini, cum solus, iners, hæc aurea rector
Rura pererrarem. vidi sublimis Olympi
Mœnia, dispositisque orientia signa maniplis,
Æterni Genitoris opus. demissior anni
Oceanique vias & rerum exorsa stupebam.
Nec non & pecudum turba, turmaque volantum

Vndi-

Vndique cingebant dominum; volucresque canora
Iudice me cantusque suos modulosque probabant.
Ante oculos lusere fera, pardusque lepusque,
Et timida lynces, pinnisque rigentibus histrix,
Cornigerique greges, celsique in terga cameli,
Et setosus aper. toto sed in agmine deerat,
Cui comes iret homo, qua posset compare vitam
Ducere. sensi etiam (nec enim qua vera negabo)
Non salientis aqua latices, non vota susurros
Non Zephyros explesse mihi. Tu suavior aura
Discuties tetricum quicquid fuit. apta sodali,
Accipe me, lectoque parem dignare, mihique
Femineum submitte decus. Tu mite parentis
Nomen & admissi titulos mihi conjugis uxor
Concilia. natosque & qui nascentur ab illis
Ocyus indulge. non est mihi vilis origo.
Ipse Deus pater est. qui spiritus hos regit artus,
Illius est. divinus in hoc se continet hospes
Corpore, deque Deo mens, & spiratus ab illo
Cœlestis vigor, atque auräi simplicis ignis.
Si gazas, si poscis opes, patet omnis in usus
Tellus facta meos, patet aquor & arduus ather.
Vis famulos? tibi pontus alit, quodcunq; natantum est.
Vis famulas? levis aura dabit, quodcunq; volantum est.
Vis famulos? Phœbus tuus est, tibi Lucifer ardet.
Vis famulas? Phœbe tua sit, tibi volvitur illa.
Vis famulos? totis famulantur sidera castris.
Vis famulas? Aurora tuis se promptior offert
Obsequiis, & amica Pales. palatia speras?
Cœlo habitas, cœlo mecum & radiantibus astris
Clauderis & superûm tectis. vis grata palato
Pabula? donabit plenis convivia mensis
Hortus; & haud una pendentia ab arbore mala,
Et pyra, qua lenta pendent religata genista,
Sufficiet. molles aderunt ad prandia ficus,
Et qua de viridi stillabunt ilice mella,

Discutient mea vina sitim, divisaque sensus
Gaudia percipient. quæ pascant lumina, rerum
Formas mille vides. mulcent concentibus aures
Hic parus, hic philomela tuas. confundit odores
Thus & myrrha suos, & balsama naribus infert
Et casiam Panchæus ager. tot lingua sapores
Pitissat, tactumque manet non una voluptas.
Non hæc cuncta mihi, non hæc mihi munera soli
Astra parant. plures vocat indulgentia magni
Numinis; in multos bonitas laudatior exit,
Et melius commune bonum est. spatiosior orbis
Expectat cives alios, & nascier à me
Posteritas immensa cupit, quæ littora, sylvas
Incolat, & mediis sedem sibi figat in undis,
Quæ Rhenum, Mosamque bibat, Tanaimque bicornem,
Et Ligerim celeremque Ararim, Batimque Padumque,
Et Nigrim & gelidi glacialia flumina Ponti,
Quique habitent totis distinctos axibus axes.
Quare age, sis conjux, & quo nos fata, cupido,
Quò ratio, natura trahunt, sine lite sequamur.
Occupet Adamus sociam, sit nubilis Eva,
Et sua confundant genituri semina sexus.
Audiit has mulier voces & verba loquentis
Optima. quemque videt, vultu jam diligit ipso,
Et cupit amplecti propius. novus ardor amantem
Incitat, & teneris succrescens cura medullis
Vrget inexpertam. quos nescit, nutrit amores.
Nutu, voce favet; gestuque oculisque procatur,
Non lasciva tamen. quod virginis esse putatur,
Despicit ingenium. soboli vult mater haberi,
Et matrona viro. gravis admiratio lecti est,
Nec sperata minus. tandem sic orsa profatur:
Salve chare Deo Iuvenis: seu frater amari,
Seu genitor, sponsusque velis. quæ nomina per te
Donari vis multa mihi, tibi reddimus uni.
Ex te facta patris titulum tibi nata rependo.

Tecum

Tecum facta soror fraterni sanguinis adsum
Conscia, quaque tuo jam sum servata cubili
Sponsa, virum sponsumque lubens, Adame, saluto.
Adde quod & dominum Te fas sit dicere, cujus
Arbitrio submissa regar; quo vindice surget
Feminea virtutis honos, & tuta manebit
Fama pudicitia & socialis gloria lecti.
Expetimur petimusque duo. quam tu petis, illam
Iure tuo repetis. quid enim? sum costa mariti,
Et pars rapta tibi. non sum distincta, sed una
Tecum, Sponse, caro. cum me, te diligis in me,
Et cultor sis ipse tui. cui spernitur uxor,
Spernitur ille sibi: atque odiis accenditur in se,
Cui consors exosa thori est. miscebimur ambo,
Vt fiam, quod non fueram, de virgine conjux,
Et lateris nova cura tui. quos poscis amores,
Despondet tibi noster amor. quos exigis ignes,
Accendet tibi fax melior. redamaris amatōr,
Quoque vocas, haud ægra sequar. sed legibus uxor
Esse velim rectumque sequi. parere marito,
Non servire, meum est. mandata capessere, qua non
Fastidit pietas. pariter regnamus, at impar
Majestas mea sorte tua est. nihil arrogat ultra,
Quam minor esse viro mulier. qua torva gubernat,
Et fasces sibi sola rapit, temeraria regno
Excussit solioque virum, laribusque tyrannus
Incubat, & veri leges pervertit amoris.
Prima Dei me cura manet. manet altera sponsi.
Tertia natorum est. lites & jurgia damnat
Nupta decens, frangitque suum ratione furorem,
Et fluctus domat alloquio. non garrula cunctis
Obstrepit, aut aliis gestit facunda videri.
Sed taciturna placet. studiis aversa parentum
Segnius hos amat, atque suo magis hæret amanti.
Partitur commune malum. solatia, curas
Dividit. humanum quicquid, perferre laborat.

Non forma, non dote tumet, generisque superbit
Nobilitate sui. preciosa monilia flocci,
Præ virtute, facit. candor, probitasque fidesque
Et morum cunctis praecellit gratia gazis.
Officiosa domi, famulis terrore modesto
Imperitat, modicaque decus gravitate tuetur.
Cum vagit puer, adludit: cum pollet adultus,
Vivit in exemplum juveni, jussisque coërcet
Magnanimum. non zelotypo furiosior æstu
Incedet, fraudesque thori præsumet iniquas.
Quod si fortè ira tumidus flagrante maritus
Sæviat, hac blando cupiet sermone mederi,
Blanditiis intenta suis. secreta, fidelis
Arcanum quicquid thalami est, aperire timebit,
Et narrare palam. si quid facunda possit,
Explicet in sobolem monitrix. non lumina flectit
Illecebrosa aliis, nec pravis pabula præbet
Ignibus. una uni domino vacat. oscula nunquam
Aut irata fugit, vel luxuriosa reposcit.
Consensu differre bonum. divortia censet
Improba, nec volet illa pati. nam nexa Tonanti
Vincula qui solvent homines? quæ distrahet audax
Impietas? his sum tua condicionibus uxor,
Talis amo, & rursus sperem tibi talis amari,
Istaque venturos jam mox meminisse nepotes.
Quam nobis, Adame, places. quam corpore toto
Arrides. quam frons, oculi, pectusque, torique
Depingunt hominis speciem. quam mentis honore,
Quam Patrem ratione refers. quam splendet honesti
Et veri studiis animus. quam recta voluntas
Iusta facit. quam te nullis insana cupido
Motibus aversum rapit, aut vis effera cogit
Deteriora sequi. quantum est ad sidera vultus
Tollere, suspexisse Deum, sub numine terris
Iura dare, & cœlo, lateque vagantibus undis,
Et tota tellure frui. cum conjugis à me

Exigis

Exigis officium, tantorum fida bonorum
Testis ero consorsque simul. Tibi latior Eva
Ibit in amplexus, collo circumdabit Eva
Brachia. Iam videor Saras, clarasque Rebeccas
Gignere, pragrandemque Leam, sine prole Rachelem,
Et fortes bello Deboras, tenuique Boozi
Palliolo vafrè tectam Moabitida Rutham.
Et quotquot nostro descendent sanguine matres
Hebraa, Grajaque nurus, Latiisque togata
Moribus, Hippolyta, Volscorum è gente Camilla,
Cassandra, Mariaque & nomina sancta Sibylla.
Sume thori comitem, nihil est quod sponsa negabo.
Et qua figo tuis iterumque iterumque labellis
Basia, crescenti seponas pignus amori.
Est locus irrigui liquidas Euphratis ad undas
Pulchrior, & frondosa comis viridantibus Horti
Pars melior. teneri saliunt è gramine rivi,
Saxa virent, niveisque albescunt floribus agri.
Non cœno latices, non fœdo squallida musco
Sordet ripa, tepet moderatis solibus aër,
Fragrant vernantes casia, duransque amaranthus.
Et tu flebilibus tunc nondum, hyacinthe, figuris
Terribilis, nardi juxta redolentis aristas
Diverso te flore probas. hic pampinus ulmis,
Hic hedera serpunt cedris, cedrisque propinqua est
Plena favis abies, & veri prascia laurus
Panditur. hic postquam prisci latuêre parentes,
Conjugii didicêre modum, plenusque furoris
Fœcundum primus pater exantlavit amorem.
Ilicet ingenti plaudens natura paratu,
Exultat Sponsos circum. calet obvius ire
Flammifer, impulsosque jubet properare jugales
Tardius, ut sacra videat spectacula scena.
Candidius fulsêre dies, quos ladere nimbi
Et pluvia timuêre graves, tristesque pruina.
Omnes interea puro qua crimina pellunt

Ore Deæ, fecêre choros, sociataque dextris
Virtutum series hominum connubia sanxit,
Officiis attenta suis. Concordia lites
Dispulit, & quicquid nuptis adspergit iniquum
Improba Suspicio, & ludens in amoribus Error,
Proscripsit sincera Fides, & nescia pravi
Simplicitas. nitida subrisit Gratia fronte,
Temperies casta. rectum Constantia suasit,
Religio quodcunque pium, Prudentia justum.
Nec mora, floriferis passim viridaria ramis
Irrubuere. rosæ gemmis patuere reclusis,
Nec claudi voluere diu. strepuere susurris
Arboreæ frondes, cannæ cecinere palustres,
Buxeaque ignotos modulata est tibia cantus.
Lenibus excita Zephyris, auraque salubri
Avia dulcisonis garritibus implevere.
Gratantes pariter volucres, & gaudia pennis
Testata auspicio Sponsis favere secundo.
Non galeæ riguere truces, hastaque feroces,
Aut frameæ, & clypei adversis umbonibus acti
Concrepuere, vel immissæ tonuere quadrigæ.
Non hic gaviso cecidit myrmillo theatro,
Non sica rubuere manus, fusoque cruore
Immaduere thori. vos hæc scelerata probatis
Posteritas. spectate thoros tedasque parentum,
Vt dominos amet unda suos, tellusque polusque
Et mundi pars quæque. mali cum gloria Martis
Nulla foret, placidique irent sine cadibus anni.
Quin procul Oceano in magno, quem Caucasus asper
Adspicit, aut rubris pingit Neptunus arenis,
Exiliere mari, crispataque cærula pisces
Discussere levi strepitu: spirantia cete
Æquoreis sublata vadis sua gaudia plenis
Evomuere cadis. vitreis Tritones ab antris
Processere, quibus rauco tuba murmure frendens
Concha fuit, qua jam Libyci per littora ponti,

Iam

Iam super Ægæos fluctus & Caspia regna,
Memnoniasque domos tam clari nuncia lecti
Detulit. ornavit myrto delphina Palæmon,
Leucothoë phocam, violas intexuit algæ
Cymothoë, seniumque dolens vivacibus herbis
Dum fugat, æternos geminis promisit amores.
Exhibuit dominæ baccas, quas ipsa profundo
Legerat, Euphrosyne, & domino diadema paravit,
Et gemmas pondusque dedit lucentis electri.
Ipsa etiam centri impatiens se movit ab illo
Terra parens, motuque suum confessa favorem est.
Concussit se magnus Athos, concussit Olympus
Thessalus, & celsi saliere cacumina Pindi,
Ossaque Pyrenesque jugum. dein ignibus aucta
Fortius ignivomis arsit fornacibus Ætna.
Largius argentum Potosi genuere recessus,
Aurum vasta Peru. messes misere Moluccæ,
India dives ebur; costumque crocumque rubentem
Corycium nemus, & varium Panchaïa gummi.
Explicuit grandes volucris Iunonia fastus,
Tardo mota gradu & pennarum ostendit honorem
Conjugibus, pictosque notis stellantibus orbes.
Psittacus humanas tunc nondum reddere voces
Doctus, Ave, dixit sponsis. & gutture miti
Accinuit facundus olor, cui stridulus anser
Obstrepuit, repetensque eadem modulamina coccyx.
Nondum pica loquax fuerat, tunc ilice ab alta
Adfuit augurio. nondum sua pignora Progne
Fleverat infelix; sed læta voce canebat,
Et Pandioniæ reddebat multa sorori.
Irrubuit Numidûm glociens gallina per agros,
Et verrens percussit humum. se Phasidis ales
Lavit ad Euphratem, & longis cervicibus adstans
Struthio. quique diem & solis nunc lumina bubo
Horret, ad hæc spretis properavit festa tenebris.
Cum sobolis parva denso grege dædala perdix,

Regulus, & parus, & rauca venere palumbes,
Et motacilla levis, contemtoque æquore mergi.
Ardea detractas capitis de vertice plumas
Crinibus implicuit sponsæ. lascivit ardens
Ante oculos hominum paßer, cum paßere gallus,
Cum gallo curruca, & cum grue luxurians gryps.
Quæ sibi prosternat vivax altaria Phœnix
Invenit, quamvis calido processerit Euro
Vnicus, & media reparet sibi morte juventam.
At quæ felici Paradisi vescitur aura
Parvula avis, tota in pulchram quæ corpore caudam
Desinit, & nulla requiescit in arbore fessa,
Suspensum summo monstrabat in aëre pondus.
Vos quoque mellifera doctis examina ceris
Hic posuistis apes, & pasta flore salicti
Plurima in annosas fudistis mella cupressos.
Adstitit, & phalerarum expers frenique calentis
Hinnit altus equus, dominoque erecta potenti
Tergora supposuit quadrupes, sua cornua cervus.
Et sola poterat teneram proboscide nuptam
Tollere subsidens elephas; ni sanguine cassa,
Tardigrada & propriis captiva penatibus, insons
Vexisset placidam veniens testudo magistram.
Barbiger à longè capris salientibus hircus
Errabat matres inter, sensitque salaces
Incaluisse greges & fortia gaudia nasci.
Et quia Pax niveis Evæ radiabat in ulnis,
Pax cœlo terræque fuit. per pascua juncta
Erravere lupis capreæ, leporesque molossi.
Non timuit gallum Libycus leo, pardus hyænam,
Taurus equos, velox balæna robora delphin.
Non polypus conchæ, cochleisque inimica lacerta,
Non congro muræna fuit, mustela draconi.
Cernere erat, mites aquilâ clangente columbas
Ire simul, causasque odii nescire vel iras.
Tunc Acherontæas mutato fonte paludes

Lacte novo tumuisse ferunt, & turbida Lethes
Flumina Cocytumque mero stagnasse Lyao.
Nec latuit res tanta pia consortia turba,
Spirituumque choros, & qua sine corpore mentes
Celsa tenent. sed formosam delapsus in Heden
Adfuit illustris nitidis exercitus alis,
Hic Seraphina cohors, illic Cherubina; Deoque
Talia cœlestes cecinêre encomia turma:
Magne Deus, sine patre pater, sine fine perennis,
Immensa virtute potens, mens nescia falsi,
Expers principii genitor, tibi cognite soli,
Ipse tui locus & spatium, bonitatis origo,
Labe carens omni bonitas, Tu maxime, quicquid
Non fuit, esse facis, nihiloque arcessis ab ipso
Stellarum solidos orbes; cœlique beatos
Indigenas nos esse jubes. de Numine tanto
Numina penè sumus. tua nobis ora tueri,
Augustosque datur vultus, quo jusseris, ire,
Mandantemque sequi. Te patrem mente tenemus,
Et factum quodcunque tibi est. sectamur honestum,
Nec volumus peccare boni. te dante movemur,
Deque tuo capimus metuendum robore robur.
Disce tuum, venerare tuum, Natura, parentem.
Ille ubi condiderat superi spatia avia mundi,
Sideraque adverso subter labentia motu,
Telluris suspendit onus, montesque lacusque,
Et valles, nemorumque locos, fluviosque profundos,
Nec faciem terris sapiens dedit omnibus unam.
Pars calet una, tepet pars altera, tertia friget.
Vmbra loci varia est. latus hic respectat utrumque,
Illic nulla cadit. nunc illis tota sinistra est,
Illis dextra meat, vel gyro flexa rotatur.
Nunc lucet, nunc lucis eget. sua lumina Phœbo
Imputat & Luna solatur imagine noctem.
Hic spaciosa novis decorantur frugibus arva,
Arboribusque virent campi; vel grandia venis

Crescunt saxa suis: hic versicoloribus agri
Floribus, & sparsis ditescunt littora gemmis.
Disce tuum, venerare tuum, Natura, parentem.
Idem etiam pecudum species, armenta, ferasque
Excivit tellure Deus, sapiensque figuris
Distinxit. pars antra colit, rupesque specusque,
Pars pratis gaudet patulis & vallibus imis
Pascitur. hæ rabidæ nunquam mansuescere norunt,
Hæc docilis mansuescit, & acres exuit iras.
Has lana tegit aut villis: has asperat hirtis
Pellibus. has rostris, alias facit ungue recurvo
Terribiles. hæc dente minax, hæc cornibus adflat.
Hæ volitant, repunt aliæ; natat illa sub undis,
Hæc graditur. manant aliæ de stirpe priorum,
Ast alias limus format, tepidique calores.
Disce tuum, venerare tuum, Natura, parentem,
Hic Deus, hic celsi secretas ætheris oras
Destinat officiis hominum: seu frigore brumam
Verberat & largos effundit Aquarius imbres:
Seu gravidas torret latranti sidere aristas,
Spemque facit messis domino: seu lumina Titan
Partitur populis & luces dividit æquas
Noctibus, aut plures alibi distendit in horas:
Aut nulla nos nocte premit, vel luce focillat.
Illius est, quod sæpe suas regina bicornis
Mutet anhela vices, fraternosque induat ignes
Disparibus nocturna modis: seu lumine pleno
Turgeat aut curva radiet sub imagine flamma.
Disce tuum, venerare tuum, Natura, parentem.
Tu Deus alme, tua jacularis fulmina dextra,
Nubilaque horrifico frangis compressa boatu.
Voce tua quatitur tellus, commotaque Tethys
Intremit, & pavidi fauces laxantur Averni.
Tu potes unanimes armare in prælia causas,
Ut violent elementa fidem, contrarius igni
Humor eat, ruptis insurgant æquora claustris,

Et terras insana vorent; ut turbine sævo
Unà Eurusque Notusque ruant. Tu turgida nutu
Flumina, tu fluctus, tempestatesque sonoras
Æoliosque tenes invito carcere fratres.
Disce tuum, venerare tuum, Natura, parentem.
Ille Hominis sublime decus sub pulvere vili
Abdidit, exemplarque Dei venerabile gleba
Affixit, crassosque animam spiravit in artus.
Ille viro vita sociam largitus, amori
Monstravit thalamoque viam, legesque maritis
Fixit, & innocuo scripsit sua jura cubili.
Scena thori jam prima patet, Deus autor amandi est,
Terra locus, sunt astra faces, spectator Olympus,
Nos testes, dos orbis, amor fœcundus amoris,
Lectus ager, fructus epulæ, spes una nepotes.
Disce tuum, venerare tuum, Natura, parentem.
Sic iit in thalamum conjux primæva, suoque
Surrexit natura Duci. Nox pronuba donec
Stellantes depicta sinus, tangensque jacentes,
Omina perpetuo genitalia fœdere sanxit.

FACES SACRÆ,

Sive HYMNUS SALOMONIS; Quo, sub Typo Nuptiarum Salomonis & Filiæ Pharaonis, Nuptiæ CHRISTI & ECCLESIÆ adumbrantur.

SAt terris hominique datum, sat deside cura
Hæsit, & ignavi pressit vestigia mundi
Mens oblita Dei. dudum regalibus omen
Intulimus thalamis; augustaque nomina dixi,
Victoresque Duces, & sceptra minantia sceptris,
Illustresque Heroum obitus, & busta potentum.
Hic tripiici late radiantem murice regem,
Hic debellatas alio sub sidere gentes,

Oceanique patris spolium, raptamque Batavis
Colchida & Occidui concussa palatia Phœbi.
Ista tibi quondam viridi sacravimus ævo,
Mars pater, undantesque hostili sanguine campos,
Armaque bellator cecini. per tela, per enses
Ivimus, & domitas ausis furialibus urbes,
Infractasque malis acies. quin omne Diones
Ingenium, lectique vices, thalamique labores,
Discordesque thoros, durisque exercita fatis
Fœdera, cantatis Veneris suspendimus aris.
Nunc te, CHRISTE, *canam, & sacra connubia (Sponsæ,*
Amplexusque pios, atque ignorata profanis
Gaudia & atherei carmen venerabile lecti,
Accensasque faces cœlo. Dum fulgidus ostro
Ardet, & in Pharia se virgine magnus amator
Explicat, & typicos animis cœlestibus ignes
Majestas Hebræa bibit; præluditur umbris,
Occultatque Deum Deus, & caligine sensus
Involvit mens summa suos; secretaque pandit,
Vt tamen illa tegat. mediis immersa tenebris
Lux micat, & quæ vix capias, sub nocte videntur.
Non hæc Euboicæ spirarunt carmina rupes,
Non Lyciæ sortes Dodonæique penates,
Non Ammon, dubiaque loquax cortina Sibyllæ.
Hæc fatur Syriæ rector, cui pectore pleno
Fluxit fatidicæ felix opulentia linguæ,
Et sacer insedit menti furor. ille futuras
Res aperit, tedæque jubar cæleste revelat,
Iuratamque fidem sanctis; & conjugis æstus
Illecebrasque piæ: quæ dos, quæ forma maritæ,
Quantus stirpis honos: quàm simplex gratia morum:
Quantus amor thalami: quibus inconcussa periclis
Extollat generosa caput: quo vindice tuta
Audeat adverso vultus opponere mundo,
Rivalesque suos & circumfusa procantum
Agmina, peccantesque thoro depellere amantes.

Tu, quæ fœda soles castis adspergere labem
Vocibus, Impietas; Superûmque oracula mordes
Improba, & innocui genialia carmina vatis
Conspuis, hinc absiste procul. non illa protervis
Verba patent, non has petularis facundia laudes,
Obscœnusque Paris cum semiviro comitatu,
Aut qui divinis nequeunt dare pectora rebus,
Æthereum cecinere melos. nova fulget ab alto
Fax oculis & flamma meis; & operta recludens
Spiritus, accensam meliori numine mentem,
Exagitat, Deus, ecce, Deus præcordia pigrâ
Tollit humo, membrisque animum torpentibus aufert.
Ereptumque mihi memet spiramine sacro
Concutit, & studiis vatem sublimibus implens,
Hæc ait augustum Sponsæ dixisse maritum:
Hæc ait augustam Sponso dixisse maritam:

CAP. I.

ECCLESIA.

Maxima progenies regum, fidissime custos
Et gentis tutela tuæ; seu proxima Patri
Regna tenes, totumque tuis sub fascibus orbem
Flectis, & aligeros aptas ad jussa ministros,
Ipse Deus, sobolesque Dei: seu missus ab alto
Humana sub carne lates, hominemque fateris
Esse Deum, vilique potens sub corpore Numen
Abdis, & ingentem sapiens abscondis Olympum:
Seu propius vis esse meus, Sponsaque vocari
Cura laborque tua, & nostri pars altera lecti,
1. *Præsidium columenque meum: defige labellis*
Oscula. fige precor. da millia & altera mille,
Et sacrosancti liceat mihi lusibus oris
Posse frui, longumque tuis hærere labellis.
Sic prodat se noster amor, pacisque beatæ
Sit specimen, tetigisse Deum. sint basia, Sponse,
Officii documenta tui. sint basia nexus,

Queis tibi, Sponsa, ligor, conspirantesque cathenæ,
Vinclaque, quæ nostras nectant adamantina mentes.
2. *Qualis amor, quantaque faces! non suavius usquam*
E Pelusiacis destillant vina racemis,
Aut Arabum fragrant udis opobalsama ramis
Latius, aut quoscunque ferax Chaldæus odores
Diffundit, quàm fama tui, nomenque per omnes
Cantatum, dilecte, plagas, quas adspicit æther
Exoriens iterumque cadens. te qualibet ardet
Virgo procum; gestitque tuo consuescere amori
Flagitiis inimica cohors, ac grandis honestos
Ardor agit ferventque novis amplexibus abdi,
3. *Et domino arridere suo. me pertrahe lentam,*
Ignaramque viæ per cœca pericula noctis,
Et scelerum infames salebras & inhospita ducas
Saxa manu. mihi tu vires animumque ministra,
Et da velle sequi. sequar ocyus, & mea curret
Orbita per dubios, sed te ductore, recessus,
Et rectum calcabit iter. regale subibo
Limen, & auratis fulgentia tecta columnis
Adspiciam, cœloque fruar. miscebimus ambo
Gaudia, deliciasque tuas in secula fundam,
Iustitiaque decus rarique exempla favoris.
4. *Fusca licet videar, matres, ne spernite fuscam.*
Hæc thalami sors prima mei est. sic torreor æstu,
Sic afflicta premor, sic indignantibus Euris
Verberor, & tumidis jactor matrona procellis.
Sic mea crudeles deturpant ora tyranni;
Nec placeo, quia Sponsa vocor, summique Tonantis
Conjugio dignata parens. sum fabula vulgi,
Et fidei rectique tenax tot sordibus ævi
Inquinor, & fœdi depingunt membra colores.
Nec tamen illa meo facies invisa marito est,
5. *Nec spernor contempta Deo. plus diligor illi.*
Et sperni precium est; ceditque infamia laudi,
Opprobrium decori. sponso sum judice pulchra,

Et

Et rutilas Salomonis opes, aulæaque vincit
Formosæ pietatis honos; & fulgor honesti
Innocuus post se Nomadum tentoria linquit,
Et Cedræorum transcendit gloria pelles.
6. *Dic age, dic deliciolum, dic optime, qua nunc*
Terrarum regione cubes? quibus abditus oris
Grex ovium & teneræ carpant virgulta capellæ?
Ipsa comes juxta gradiar. ne devius error
Aut mala sacrilegæ rapiant consortia turbæ
Præcipitem, dubiique Fides sub imagine veri
Fluctuet, & peregrina vager per dogmata demens
Palantes confessa duces. ———

CHRISTUS.

——— *Tu maxima salve,*
Sponsa meo seposta thoro, clarissima cœli
Filia, quam consanguineis natalibus æther
Alligat agnoscitque suam, populosque per omnes
Seligit ipse sibi: seu vis ECCLESIA *dici,*
Seu Superûm veneranda domus, templumque Tonantis,
Sanctorum fecunda parens, Respublica magni
Intemerata Dei, venturaque numinis hæres,
Et consors regina poli, perque aspera rerum
Æternis tandem mulier servanda triumphis:
7. *Accipe me tibi, pulchra, virum. si tecta, laresque,*
Si quibus exultem campis cognoscere cura est;
Quaque tuus fixit sedem statione redemptor;
Huc ades, & vano subduc tua nomina seclo,
Et vitæ rimata viam melioris, amico
Iungere fida gregi, raptosque ab ovilibus agnos,
Errantesque procul revoca, verbisque vagantes
Pasce meis, nostris habitata mapalia servis
Adspicis, & quales pateant pastoribus umbræ,
Quæque salutiferis crescant in vallibus herbæ.
8. *Qualis in excelsis validè cataphracta refulget*
Memphis equis, quoties radiant in casside coni,
Ferratumque micat pectus; nitet inter amicas

Sponsa meas, currusque refert Pharaonis & arma,
Et fluidas cervice jubas, phalerasque decentes,
Et quicquid probat alta Pharos. ceu murice vestis
Ebria, Sidoniisque nitent holoserica baccis
Tegmina, splendescit Sponsæ virtutibus ætas,
Et mentis cultura bona, desuetaque fucum
Relligio & claræ constans reverentia legis.
9. *Tota mihi speciosa mea es. tibi turturis instar*
Maxillæ vultusque rubent. pro torquibus aurum est,
Et gracili pendent preciosa monilia collo,
Distinctusque notis clavorum argenteus ordo.

ECCLESIA.

10. *Vix meus accubuit mihi Rex, & numen amicum*
Ostendit thalamo facilis; diffudit odores
11. *Nardus nostra novos, sensi juvenescere vires,*
Et robur mihi grande dari, tactosque supernis
Ignibus ignavos animi plus gliscere motus,
Iamque magis coluisse Deum, percussaque cœlo
Pectora fallacis fraudes proscribere vitæ.
Assyrio qualis desudans cortice myrrha,
Sponse, mihi es; vel quæ Engaddi se tollit in agris
Cyprus, viniferosque inter viret æmula colles,
Botris fœta suis; charis quam læta recondam
12. *Vberibus; quamvis succi fragrantis amarus*
Mordeat ora latex, & te redamantibus atri
13. *Currant sæpe dies, & sanctis mentibus atrox*
Incubet & tristes latices permisceat orbis.

CHRISTVS.

14. *At tua simplicitas, conjunx, ignaraque fraudum*
Insontes fertur bonitas æquare columbas.
Sic oculos mansueta geris, sic lenis haberis,
Et tranquilla places. cunctis placabilis adstas,
Et comes it pulchræ laudata modestia formæ.

ECCLESIA.

Tu potius formâ juvenes, pulcherrime, cunctos
15. *Antevenis. quæ forma mea est, defluxit ab uno*
Conjuge.

Conjuge. tu decus omne mihi es. tu nomina confers.
Sum radii levis umbra tui, de lumine lumen,
Et flamma scintilla tuæ. Pulcherrime, lectus
Sternitur ecce mihi, sed & idem sternitur aptè,
Sponse, tibi. thalamo gemini recubabimus uno,
16. Pendulaque ardentem pellent umbracula Solem.
Est cedrina domus, sunt & laquearia tectis
Optima, sunt celsis doctè disposta cupressis
Tigna. ferunt croceos nunc ipsa cubilia flores;
Nec sterilis sum Sponsa tibi. tua diditur omni
Fama loco, multisque tua cultoribus ædes,
Et populis delubra strepunt. tot pignora gigno
Mater, & æterna manant de stirpe nepotes.

CAP. II.

1. Sum Rosa, quæ nullis moriar concussa procellis.
Sum Rosa, quæ mediâ nescit marcescere brumâ.
Sum rosa, puniceos inter celeberrima flores,
Nunc vilis precii, nunc omni carior auro,
Nunc depressa solo, nunc ipsis celsior astris,
Clausa malis, rursum fatis adaperta secundis.
Sum Rosa, quæ, pedibus quamvis calcata protervis,
Erigor. &, veluti patulis in vallibus albent
Lilia, candidulis latè præcello ligustris.

CHRISTVS.

2. Suaviolum, mea vita, meum, quæ sola decoras
Præradias veneranda nurus; ceu lilia spinas
Inter, honoratum tollis caput. undique sentes,
Et tribulis circum seges exhorrescit acutis,
Degeneresque rubi. cingunt te densa sororum
Agmina, sed multum studiis adversa malignis
In te sæva ruunt. seu cum scelerata tyrannis
Flagra tibi, flammasque ferox intentat & enses,
Atque uncos furibunda parat: seu rector Averni
Arietat in Fidei portas, & dira minatur
Fata tuis; mundique animum labefactat amore.

Non forma, non dote tumet, generisque superbit
Nobilitate sui. preciosa monilia flocci,
Præ virtute, facit. candor, probitasque fidesque
Et morum cunctis præcellit gratia gazis.
Officiosa domi, famulis terrore modesto
Imperitat, modicaque decus gravitate tuetur.
Cum vagit puer, adludit: cum pollet adultus,
Vivit in exemplum juveni, jussisque coërcet
Magnanimum. non zelotypo furiosior æstu
Incedet, fraudesque thori præsumet iniquas.
Quod si fortè ira tumidus flagrante maritus
Sæviat, hac blando cupiet sermone mederi,
Blanditiis intenta suis. secreta, fidelis
Arcanum quicquid thalami est, aperire timebit,
Et narrare palam. si quid facunda possit,
Explicet in sobolem monitrix. non lumina flectit
Illecebrosa aliis, nec pravis pabula præbet
Ignibus. una uni domino vacat. oscula nunquam
Aut irata fugit, vel luxuriosa reposcit.
Consensu differre bonum. divortia censet
Improba, nec volet illa pati. nam nexa Tonanti
Vincula qui solvent homines? qua distrahet audax
Impietas? his sum tua condicionibus uxor,
Talis amo, & rursus sperem tibi talis amari,
Istaque venturos jam mox meminisse nepotes.
Quam nobis, Adame, places. quam corpore toto
Arrides. quam frons, oculi, pectusque, torique
Depingunt hominis speciem. quam mentis honore,
Quam Patrem ratione refers. quam splendet honesti
Et veri studiis animus. quam recta voluntas
Iusta facit. quam te nullis insana cupido
Motibus aversum rapit, aut vis effera cogit
Deteriora sequi. quantum est ad sidera vultus
Tollere, suspexisse Deum, sub numine terris
Iura dare, & cœlo, lateque vagantibus undis,
Et tota tellure frui. cum conjugis à me

Exigis

Exigis officium, tantorum fida bonorum
Testis ero consorsque simul. Tibi latior Eva
Ibit in amplexus, collo circumdabit Eva
Brachia. Iam videor Saras, clarasque Rebeccas
Gignere, pragrandemque Leam, sine prole Rachelem,
Et fortes bello Deboras, tenuique Boozi
Palliolo vafrè tectam Moabitida Rutham.
Et quotquot nostro descendent sanguine matres
Hebraa, Grajaque nurus, Latiisque togata
Moribus, Hippolyta, Volscorum è gente Camilla,
Cassandra, Mariaque & nomina sancta Sibylla.
Sume thori comitem, nihil est quod sponsa negabo.
Et qua figo tuis iterumque iterumque labellis,
Basia, crescenti seponas pignus amori.
Est locus irrigui liquidas Euphratis ad undas
Pulchrior, & frondosa comis viridantibus Horti
Pars melior. teneri saliunt è gramine rivi,
Saxa virent, niveisque albescunt floribus agri.
Non cœno latices, non fœdo squallida musco
Sordet ripa, tepet moderatis solibus aër,
Fragrant vernantes casia, duransque amaranthus.
Et tu flebilibus tunc nondum, hyacinthe, figuris
Terribilis, nardi juxta redolentis aristas
Diverso te flore probas. hic pampinus ulmis,
Hic hedera serpunt cedris, cedrisque propinqua est
Plena favis abies, & veri prascia laurus
Panditur. hic postquam prisci latuêre parentes,
Conjugii didicêre modum, plenusque furoris
Fœcundum primus pater exantlavit amorem.
Ilicet ingenti plaudens natura paratu,
Exultat Sponsos circum. calet obvius ire
Flammifer, impulsosque jubet properare jugales
Tardius, ut sacra videat spectacula scena.
Candidius fulsêre dies, quos ladere nimbi
Et pluvia timuêre graves, tristesque pruina.
Omnes interea puro qua crimina pellunt

Ore Deæ, fecère choros, sociataque dextris
Virtutum series hominum connubia sanxit,
Officiis attenta suis. Concordia lites
Dispulit, & quicquid nuptis adspergit iniquum
Improba Suspicio, & ludens in amoribus Error,
Proscripsit sincera Fides, & nescia pravi
Simplicitas. nitida subrisit Gratia fronte,
Temperies casta. rectum Constantia suasit,
Relligio quodcunque pium, Prudentia justum.
Nec mora, floriferis passim viridaria ramis
Irrubuere. rosa gemmis patuere reclusis,
Nec claudi voluere diu. strepuere susurris
Arborea frondes, canna cecinere palustres,
Buxeaque ignotos modulata est tibia cantus.
Lenibus excita Zephyris, auraque salubri
Avia dulcisonis garritibus implevere
Gratantes pariter volucres, & gaudia pennis
Testata auspicio Sponsis favere secundo.
Non galea riguere truces, hastaque feroces,
Aut framea, & clypei adversis umbonibus acti
Concrepuere, vel immissa tonuere quadriga.
Non hic gaviso cecidit myrmillo theatro,
Non sica rubuere manus, fusoque cruore
Immaduere thori. vos hæc scelerata probatis
Posteritas. spectate thoros tedasque parentum,
Vt dominos amet unda suos, tellusque polusque
Et mundi pars quaque. mali cum gloria Martis
Nulla foret, placidique irent sine cadibus anni.
Quin procul Oceano in magno, quem Caucasus asper
Adspicit, aut rubris pingit Neptunus arenis,
Exiliere mari, crispataque carula pisces
Discussère levi strepitu: spirantia cete
Æquoreis sublata vadis sua gaudia plenis
Evomuere cadis. vitreis Tritones ab antris
Processère, quibus rauco tuba murmure frendens
Concha fuit, qua jam Libyci per littora ponti,

Iam super Ægæos fluctus & Caspia regna,
Memnoniasque domos tam clari nuncia lecti
Detulit. ornavit myrto delphina Palæmon,
Leucothoë phocam; violas intexuit algæ
Cymothoë, seniumque dolens vivacibus herbis
Dum fugat, æternos geminis promisit amores.
Exhibuit dominæ baccas, quas ipsa profundo
Legerat, Euphrosyne, & domino diadema paravit,
Et gemmas pondusque dedit lucentis electri.
Ipsa etiam centri impatiens se movit ab illo
Terra parens, motuque suum confessa favorem est.
Concussit se magnus Athos, concussit Olympus
Thessalus, & celsi saliere cacumina Pindi,
Ossaque Pyrenesque jugum. dein ignibus aucta
Fortius ignivomis arsit fornacibus Ætna.
Largius argentum Potosi genuere recessus,
Aurum vasta Peru. messes misere Moluccæ,
India dives ebur; costumque crocumque rubentem
Corycium nemus, & varium Panchaïa gummi.
Explicuit grandes volucris Iunonia fastus,
Tardo mota gradu & pennarum ostendit honorem
Conjugibus, pictosque notis stellantibus orbes.
Psittacus humanas tunc nondum reddere voces
Doctus, Ave, dixit sponsis. & gutture miti
Accinuit facundus olor, cui stridulus anser
Obstrepuit, repetensque eadem modulamina coccyx.
Nondum pica loquax fuerat, tunc ilice ab alta
Adfuit augurio. nondum sua pignora Progne
Fleverat infelix; sed læta voce canebat,
Et Pandioniæ reddebat multa sorori.
Irruhuit Numidûm glociens gallina per agros,
Et verrens percussit humum. se Phasidis ales
Lavit ad Euphratem, & longis cervicibus adstans
Struthio. quique diem & solis nunc lumina bubo
Horret, ad hæc spretis properavit festa tenebris.
Cum sobolis parva denso grege dædala perdix,

 Regulus,

Regulus, & parus, & rauca venere palumbes.
Et motacilla levis, contemtoque aquore mergi.
Ardea detractas capitis de vertice plumas
Crinibus implicuit sponsæ. lascivit ardens
Ante oculos hominum passer, cum passere gallus,
Cum gallo curruca, & cum grue luxurians gryps.
Quæ sibi prosternat vivax altaria Phœnix
Invenit, quamvis calido processerit Euro
Vnicus, & media reparet sibi morte juventam.
At quæ felici Paradisi vescitur aura
Parvula avis, tota in pulchram qua corpore caudam
Desinit, & nulla requiescit in arbore fessa,
Suspensum summo monstrabat in aëre pondus.
Vos quoque mellifera doctis examina ceris
Hic posuistis apes, & pasta flore salicti
Plurima in annosas fudistis mella cupressos.
Adstitit, & phalerarum expers frenique calentis
Hinniit altus equus, dominoque erecta potenti
Tergora supposuit quadrupes, sua cornua cervus.
Et sola poterat teneram proboscide nuptam
Tollere subsidens elephas; ni sanguine cassa,
Tardigrada & propriis captiva penatibus, insons
Vexisset placidam veniens testudo magistram.
Barbiger à longè capris salientibus hircus
Errabat matres inter, sensitque salaces
Incaluisse greges & fortia gaudia nasci.
Et quia Pax niveis Eva radiabat in ulnis,
Pax cœlo terraque fuit. per pascua juncta
Erravere lupis capreæ, leporesque molossi.
Non timuit gallum Libycus leo, pardus hyænam,
Taurus equos, velox balæna robora delphin.
Non polypus conchæ, cochleisque inimica lacerta,
Non congro muræna fuit, mustela draconi.
Cernere erat, mites aquilâ clangente columbas
Ire simul, causasque odii nescire vel iras.
Tunc Acherontæas mutato fonte paludes

Lacte novo tumuisse ferunt, & turbida Lethes
Flumina Cocytumque mero stagnasse Lyæo.
Nec latuit res tanta piæ consortia turbæ,
Spirituumque choros, & quæ sine corpore mentes
Celsa tenent. sed formosam delapsus in Heden
Adfuit illustris nitidis exercitus alis,
Hic Seraphina cohors, illic Cherubina; Deoque
Talia cœlestes cecinêre encomia turmæ:
Magne Deus, sine patre pater, sine fine perennis,
Immensa virtute potens, mens nescia falsi,
Expers principii genitor, tibi cognite soli,
Ipse tui locus & spatium, bonitatis origo,
Labe carens omni bonitas, Tu maxime, quicquid
Non fuit, esse facis, nihiloque arcessis ab ipso
Stellarum solidos orbes; cœlique beatos
Indigenas nos esse jubes. de Numine tanto
Numina penè sumus. tua nobis ora tueri,
Augustosque datur vultus, quo jusseris, ire,
Mandantemque sequi. Te patrem mente tenemus,
Et factum quodcunque tibi est. sectamur honestum,
Nec volumus peccare boni. te dante movemur,
Deque tuo capimus metuendum robore robur.
Disce tuum, venerare tuum, Natura, parentem.
Ille ubi condiderat superi spatia avia mundi,
Sideraque adverso subter labentia motu,
Telluris suspendit onus, montesque lacusque,
Et valles, nemorumque locos, fluviosque profundos,
Nec faciem terris sapiens dedit omnibus unam.
Pars calet una, tepet pars altera, tertia friget.
Vmbra loci varia est. latus hic respectat utrumque,
Illic nulla cadit. nunc illis tota sinistra est,
Illis dextra meat, vel gyro flexa rotatur.
Nunc lucet, nunc lucis eget. sua lumina Phœbo
Imputat & Lunæ solatur imagine noctem.
Hic spaciosa novis decorantur frugibus arva,
Arboribusque virent campi; vel grandia venis

Crescunt saxa suis: hic versicoloribus agri
Floribus, & sparsis ditescunt littora gemmis.
Disce tuum, venerare tuum, Natura, parentem.
Idem etiam pecudum species, armenta, ferasque
Excivit tellure Deus, sapiensque figuris
Distinxit. pars antra colit, rupesque specusque,
Pars pratis gaudet patulis & vallibus imis
Pascitur. hæ rabidæ nunquam mansuescere norunt,
Hæc docilis mansuescit, & acres exuit iras.
Has lana tegit aut villis: has asperat hirtis
Pellibus. has rostris, alias facit ungue recurvo
Terribiles. hæc dente minax, hæc cornibus adstat.
Hæ volitant, repunt aliæ; natat illa sub undis,
Hæc graditur. manant aliæ de stirpe priorum,
Ast alias limus format, tepidique calores.
Disce tuum, venerare tuum, Natura, parentem,
Hic Deus, hic celsi secretas ætheris oras
Destinat officiis hominum: seu frigore brumam
Verberat & largos effundit Aquarius imbres:
Seu gravidas torret latranti sidere aristas,
Spemque facit messis domino: seu lumina Titan
Partitur populis & luces dividit æquas
Noctibus, aut plures alibi distendit in horas:
Aut nulla nos nocte premit, vel luce focillat.
Illius est, quod sæpe suas regina bicornis
Mutet anhela vices, fraternosque induat ignes
Disparibus nocturna modis: seu lumine pleno
Turgeat aut curvæ radiet sub imagine flammæ.
Disce tuum, venerare tuum, Natura, parentem.
Tu Deus alme, tua jacularis fulmina dextra,
Nubilaque horrifico frangis compressa boatu.
Voce tua quatitur tellus, commotaque Tethys
Intremit, & pavidi fauces laxantur Averni.
Tu potes unanimes armare in prælia causas,
Vt violent elementa fidem, contrarius igni
Humor eat, ruptis insurgant æquora claustris,

Et

Et terras insana vorent; ut turbine sævo
Vnà Eurusque Notusque ruant. Tu turgida nutu
Flumina, tu fluctus, tempestatesque sonoras
Æoliosque tenes invito carcere fratres.
Disce tuum, venerare tuum, Natura, parentem.
Ille Hominis sublime decus sub pulvere vili
Abdidit, exemplarque Dei venerabile gleba
Affixit, crassosque animam spiravit in artus.
Ille viro vita sociam largitus, amori
Monstravit thalamoque viam, legesque maritis
Fixit, & innocuo scripsit sua jura cubili.
Scena thori jam prima patet, Deus autor amandi est,
Terra locus, sunt astra faces, spectator Olympus,
Nos testes, dos orbis, amor fœcundus amoris,
Lectus ager, fructus epulæ, spes una nepotes.
Disce tuum, venerare tuum, Natura, parentem.
Sic iit in thalamum conjux primæva, suoque
Surrexit natura Duci. Nox pronuba donec
Stellantes depicta sinus, tangensque jacentes,
Omina perpetuo genitalia fœdere sanxit.

FACES SACRÆ,

Sive Hymnus Salomonis; Quo, sub Typo Nuptiarum Salomonis & Filiæ Pharaonis, Nuptiæ Christi & Ecclesiæ adumbrantur.

SAt terris hominique datum, sat deside cura
Hæsit, & ignavi pressit vestigia mundi
Mens oblita Dei. dudum regalibus omen
Intulimus thalamis; augustaque nomina dixi,
Victoresque Duces, & sceptra minantia sceptris,
Illustresque Heroum obitus, & busta potentum.
Hic triplici late radiantem murice regem,
Hic debellatas alio sub sidere gentes,

Oceanique patris spolium, raptamque Batavis
Colchida & Occidui concussa palatia Phœbi.
Ista tibi quondam viridi sacravimus ævo,
Mars pater, undantesque hostili sanguine campos,
Armaque bellator cecini. per tela, per enses
Ivimus, & domitas ausis furialibus urbes,
Infractasque malis acies. quin omne Diones
Ingenium, lectique vices, thalamique labores,
Discordesque thoros, durisque exercita fatis
Fœdera, cantatis Veneris suspendimus aris.
Nunc te, CHRISTE, *canam, & sacra connubia* *(Sponsæ,*
Amplexusque pios, atque ignorata profanis
Gaudia & ætherei carmen venerabile lecti,
Accensasque faces cœlo. Dum fulgidus ostro
Ardet, & in Pharia se virgine magnus amator
Explicat, & typicos animis cœlestibus ignes
Majestas Hebræa bibit; præluditur umbris,
Occultatque Deum Deus, & caligine sensus
Involvit mens summa suos; secretaque pandit,
Vt tamen illa tegat. mediis immersa tenebris
Lux micat, & quæ vix capias, sub nocte videntur.
Non hæc Euboicæ spirarunt carmina rupes,
Non Lyciæ sortes Dodonæique penates,
Non Ammon, dubiaque loquax cortina Sibyllæ.
Hæc fatur Syriæ rector, cui pectore pleno
Fluxit fatidicæ felix opulentia linguæ,
Et sacer insedit menti furor. ille futuras
Res aperit, tedaque jubar cæleste revelat,
Iuratamque fidem sanctis; & conjugis æstus
Illecebrasque pias: quæ dos, quæ forma maritæ,
Quantus stirpis honos: quàm simplex gratia morum:
Quantus amor thalami: quibus inconcussa periclis
Extollat generosa caput: quo vindice tuta
Audeat adverso vultus opponere mundo,
Rivalesque suos & circumfusa procantum
Agmina, peccantesque thoro depellere amantes.

Tu,

Tu, quæ fœda soles castis adspergere labem
Vocibus, Impietas; Superûmque oracula mordes
Improba, & innocui genialia carmina vatis
Conspuis, hinc absiste procul. non illa protervis
Verba patent, non has petulans facundia laudes,
Obscœnusque Paris cum semiviro comitatu,
Aut qui divinis nequeunt dare pectora rebus,
Æthereum cecinere melos. nova fulget ab alto
Fax oculis & flamma meis; & operta recludens
Spiritus, accensam meliori numine mentem,
Exagitat, Deus, ecce, Deus præcordia pigrâ
Tollit humo, membrisque animum torpentibus aufert.
Ereptumque mihi memet spiramine sacro,
Concutit, & studiis vatem sublimibus implens,
Hæc ait augustum Sponsæ dixisse maritum:
Hæc ait augustam Sponso dixisse maritam:

CAP. I.

ECCLESIA.

Maxima progenies regum, fidissime custos
Et gentis tutela tuæ; seu proxima Patri
Regna tenes, totumque tuis sub fascibus orbem
Flectis, & aligeros aptas ad jussa ministros,
Ipse Deus, sobolesque Dei: seu missus ab alto
Humana sub carne lates, hominemque fateris
Esse Deum, vilique potens sub corpore Numen
Abdis, & ingentem sapiens abscondis Olympum:
Seu propius vis esse meus, Sponsaque vocari
Cura laborque tua, & nostri pars altera lecti,
1. *Præsidium columenque meum: defige labellis*
Oscula, fige precor, da millia & altera mille,
Et sacrosancti liceat mihi lusibus oris
Posse frui, longumque tuis hærere labellis.
Sic prodat se noster amor, pacisque beata
Sit specimen, tetigisse Deum. sint basia, Sponse,
Officii documenta tui. sint basia nexus,

Queis tibi, Sponsa, ligor, conspirantesque cathenæ,
Vinclaque, quæ nostras nectant adamantina mentes.
2. *Qualis amor, quantaque faces! non suavius usquam*
E Pelusiacis destillant vina racemis,
Aut Arabum fragrant udis opobalsama ramis
Latius, aut quoscunque ferax Chaldæus odores
Diffundit, quàm fama tui, nomenque per omnes
Cantatum, dilecte, plagas, quas adspicit æther
Exoriens iterumque cadens. te qualibet ardet
Virgo procum; gestitque tuo consuescere amori
Flagitiis inimica cohors, ac grandis honestos
Ardor agit ferventque novis amplexibus abdi,
3. *Et domino arridere suo. me pertrahe lentam,*
Ignaramque via per cœca pericula noctis,
Et scelerum infames salebras & inhospita ducas
Saxa manu. mihi tu vires animumque ministra,
Et da velle sequi. sequar ocyus, & mea curret
Orbita per dubios, sed te ductore, recessus,
Et rectum calcabit iter. regale subibo
Limen, & auratis fulgentia tecta columnis
Adspiciam, cœloque fruar. miscebimus ambo
Gaudia, deliciasque tuas in secula fundam,
Iustitiaque decus rarique exempla favoris.
4. *Fusca licet videar, matres, ne spernite fuscam.*
Hæc thalami sors prima mei est. sic torreor æstu,
Sic afflicta premor, sic indignantibus Euris
Verberor, & tumidis jactor matrona procellis.
Sic mea crudeles deturpant ora tyranni;
Nec placeo, quia Sponsa vocor, summique Tonantis
Conjugio dignata parens. sum fabula vulgi,
Et fidei rectique tenax tot sordibus ævi
Inquinor, & fœdi depingunt membra colores.
Nec tamen illa meo facies invisa marito est,
5. *Nec spernor contempta Deo. plus diligor illi.*
Et sperni precium est; ceditque infamia laudi,
Opprobrium decori. sponso sum judice pulchra,

Et rutilas Salomonis opes, aulaaque vincit
Formosa pietatis honos; & fulgor honesti
Innocuus post se Nomadum tentoria linquit,
Et Cedraeorum transcendit gloria pelles.
6. *Dic age, dic deliciolum, dic optime, qua nunc*
Terrarum regione cubes? quibus abditus oris
Grex ovium & tenera carpant virgulta capella?
Ipsa comes juxta gradiar. ne devius error
Aut mala sacrilega rapiant consortia turba
Pracipitem, dubiique Fides sub imagine veri
Fluctuet, & peregrina vager per dogmata demens
Talantes confessa duces. ———

CHRISTVS.

——— *Tu maxima salve,*
Sponsa meo seposta thoro, clarissima cæli
Filia, quam consanguineis natalibus ather
Alligat agnoscitque suam, populosque per omnes
Seligit ipse sibi: seu vis ECCLESIA *dici,*
Seu Superûm veneranda domus, templumque Tonantis,
Sanctorum fecunda parens, Respublica magni
Intemerata Dei, venturaque numinis hares,
Et consors regina poli, perque aspera rerum
Æternis tandem mulier servanda triumphis:
7. *Accipe me tibi, pulchra, virum. si tecta, laresque,*
Si quibus exultem campis cognoscere cura est;
Quaque tuus fixit sedem statione redemptor;
Huc ades, & vano subduc tua nomina seclo,
Et vita rimata viam melioris, amico
Iungere fida gregi, raptosque ab ovilibus agnos,
Errantesque procul revoca, verbisque vagantes
Pasce meis, nostris habitata mapalia servis
Adspicis, & quales pateant pastoribus umbra,
Quaque salutiferis crescant in vallibus herba.
8. *Qualis in excelsis validè cataphracta refulget*
Memphis equis, quoties radiant in casside coni,
Ferratumque micat pectus; nitet inter amicas

Conjuge. tu decus omne mihi es. tu nomina confers.
Sum radii levis umbra tui, de lumine lumen,
Et flammæ scintilla tuæ. Pulcherrime, lectus
Sternitur ecce mihi, sed & idem sternitur aptè,
Sponse, tibi. thalamo gemini recubabimus uno,
16. *Pendulaque ardentem pellent umbracula Solem.*
Est cedrina domus, sunt & laquearia tectis
Optima, sunt celsis doctè disposita cupressis
Tigna. ferunt croceos nunc ipsa cubilia flores;
Nec sterilis sum Sponsa tibi. tua diditur omni
Fama loco, multisque tua cultoribus ædes,
Et populis delubra strepunt. tot pignora gigno
Mater, & æterna manant de stirpe nepotes.

CAP. II.

1. *Sum Rosa, quæ nullis moriar concussa procellis.*
Sum Rosa, quæ mediâ nescit marcescere brumâ.
Sum rosa, puniceos inter celeberrima flores,
Nunc vilis precii, nunc omni carior auro,
Nunc depressa solo, nunc ipsis celsior astris,
Clausa malis, rursum fatis adaperta secundis.
Sum Rosa, quæ, pedibus quamvis calcata protervis,
Erigor. &, veluti patulis in vallibus albent
Lilia, candidulis latè præcello ligustris.

CHRISTUS.

2. *Suaviolum, mea vita, meum, quæ sola decoras*
Præradias veneranda nurus; ceu lilia spinas
Inter, honoratum tollis caput. undique sentes,
Et tribulis circum seges exhorrescit acutis,
Degeneresque rubi. cingunt te densa sororum
Agmina, sed multum studiis adversa malignis
In te sæva ruunt. seu cum scelerata tyrannis
Flagra tibi, flammasque ferox intentat & enses,
Atque uncos furibunda parat: seu rector Averni
Arietat in Fidei portas, & dira minatur
Fata tuis; mundique animum labefactat amore.

Sive suos in te petulans lascivia sensus
Concitet, & pavidæ moveat nova prælia menti
Seditiosa caro, litesque resuscitet in te.

ECCLESIA.

3. *Sed veluti steriles inter se plurima sylvas*
Tollunt, humidulisque tument viridaria pomis;
Sic juvenum viles inter, generose, catervas
Solus ovas, meritique decus non vile reportas.
Hoc erat in votis, tecum requiescere in umbra,
Tecum posse loqui. nam quæ promissa maritæ
Ingeminas, quæ crebra meas solatia clades
Insperata juvant, sunt nostro mella palato,
Ambrosiaque dapes & amici nectaris unda.
4. *Nuper ubi gratis spumabat vinea succis,*
Turgidaque implebat vacuas vindemia cellas,
Ducebas avidam vini cupidamque bibendi.
Voces vina tua; cœlestia pocula voces,
Sponse, fuere tuæ. sensi nova gaudia, sensi,
Et veteres pepuli curas animique dolores,
Et culpæ ferale malum. Tunc prævius ibas,
Tunc ductor sublata manu vexilla gerebas,
Non quæ sanguineo præludunt improba Marti,
Sed quibus ad placidi castra invitamur amoris,
5. *Et partes, Rex magne, tuas. me floribus ægram,*
Languidulamque tuo suffulci robore nuptam.
Nam titubat peccantis amor. sum cerea flecti
In vitium vetitasque faces, quas tollit honorum,
Vel malus ardor opum. sine te, vah, tota fatisco,
Genua labant, fractisque subit socordia membris,
Nec facio, quodcunque velim fecisse; malumque,
6. *Quod nolo, fecisse libet. mihi, Christe, ruenti*
Affer opem, capitique meo suppone sinistram,
Alteraque invalidam circumdet dextera Sponsam.
Tu vitæ sis prima meæ, tu causa salutis
Altera, tu suprema. tibi mea debeat uni
Principium finemque Fides. nec gloria cœli

In geminos divisa fluat.tu,Sponse,redemptor,
Et solus servator eris. quæ possumus, in te
Possumus: & quicquid recti præstare bonique
Negligimus, nostrûm est. cunctos tua gratia laxat
In miseram laudata sinus. tibi diligor ultrò,
Et dilecta fui prius. & non debita cessit,
Nec merito mihi parta salus.sic prævius æther,
Sic comes it cœptis, & tanta exorsa coronat.

CHRISTVS.

7. *Vos ego, Filiolæ Solymorum, obtestor. & illas*
Quas viridi pasci spectatis fronde capellas,
Cervorumque adjuro greges. per quicquid amicum,
Aut unquam mihi dulce fuit, per sidera, terras,
Flammiferasque faces & nostrâ condita dextrâ:
Tempora dilecta concedite mollia Sponsæ,
Nec turbate thori sociam. dumque altior illam
Somnus habet, blando requiem indulgete sopori,
Et strepitu cessate. meis Ecclesia servit
Officiis Sponsoque vacat. procul ite malorum
Turba, nec intentam sacris avertite gentem.

ECCLESIA.

8. *Quam placidis sonuere meæ sermonibus aures,*
Quis lepor eloquii, quàm me facundia linguæ
Tellicit, immemoremque monet! de montibus altis
Hinnuleo similis properat, saliensque relinquit
Ardua frondentis Libani; gestuque manuque
9. *Succurrentis habet speciem. quin ecce fenestras*
Intrat, & insolito perfundit lumine cordis
Abdita, discussaque cupit se nube videri,
Et coram spectari oculis. mea blandula surge,
10. *Surge, ait, humanosque tuo de pectore sensus*
Excute; dumque meis figis vestigia plantis,
I, propera. te nostra vagam clementia semper
Prævenit, & stygiis palantem arcessit ab oris.
11. *Cessit hyems, hyemisque labor. cessere feroces*

Terri-

Terribilesque Noti. veteres compescuit imbres,
Et nimbos moderata quies. trux langüit in te
Impietas, jussuque meo siluere procellæ,
Excussitque suum sceptrorum insania virus.
12. *Floret ager. resonant avibus virgulta canoris,*
Aëriaque canit securus turtur ab ulmo.
13. *Palmitibus rediit vigor, & se densior uva*
Abscondit foliis, & baccis cærula ficus,
Munificusque tuis se devovet usibus æther.
Quid cessas? mea lux, venias, tibi militat usi
Cura poli, facilisque pater. vox ista vocantis,
Illius est. tu terra mea es; suspiria, fructus;
Vva, preces; fici gemitus & vota rogantum.
14. *Quæ modò petrarum latebris afflicta latebas,*
Assolet ut milvo circumvolitante columba,
Post tenebras tibi redde diem, & manifestior orbi
Cernere. fare, cui cupias debere magistro,
Nec timeas mihi dicta loqui, dominumque fateri
Omnibus, & nostro præconia solvere regno.
15. *Hæc ait, inculcatque mihi. sed subdola multum*
Subruit arrosis vulpes vineta racemis,
Et non una nocet. Vos retia tendite cives,
Indagate vias, & qua se subdolus error
Ingerit, & falsi vendunt mendacia vates,
Evigilate viri. & fictis ne credite vani
Testibus. unius jurasse in verba magistri
Sit satis, & tanto causam ductore tueri.
16. *Hoc agite. invisas donec Sol altior umbras*
Dissipet, & pulsa pateat caligine verum.

CAP. III.

1. *Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,*
Quonam calle mei spatiosa palatia Sponsi
Deprendam, jungarque viro. quæ vita beatos
Efficiat, votisque frui sine fine secundis.
Quæsivi, densis sed circumsepta tenebris,

Nocte

Nocte sub obscura latebras excussimus omnes :
Quid dictet rationis opus, subnixaque causis
Vis humana suis. didici, prudentia quicquid
Suggerit ; ingeniique acies, & provida cernit
Consiliis doctrina suis. suffragia passim
Sedula consului & magnorum oracula vatum,
Rixantumque scholas discorsque ad singula vulgus.
2. *Ivimus, & vicos avidè lustravimus omnes,*
Et frustra studiosa fui. custodibus urbis
Obvia, sollicito vigiles, rerumque peritos,
Sed mihi nec vigiles, nec respondere periti.
3. *Non Memphis, quamvis stolida sacraria vaccæ*
Iactitet, aut visis sapiens Chaldæus in astris,
Persarumque Sophi. non, quæ colit impia quosvis
Gens vicina Deos. gravis ignorantia cunctis
Incubat, & nostri nescit mysteria lecti.
4. *At postquam sprevi picti ludibria trunci,*
Et veri ignaras animas, ducibusque negavi
Ambiguis adhibere fidem : secreta viarum
Tuta magis rimata fui, faciemque domumque
Vidimus, & sponsi gressus deprendimus omnes.
Tunc amplexa fui, cui diligor. arctius hæsi,
Nec mihi subduci volui. deduximus ipsum
In thalamos & tecta Deum : dumque undique terras
Personat, & summum declamant templa Tonantem,
5. *Possedi tam grande bonum. Vos, nomina blanda,*
Filiolæ, si quid nostrum peramabile vobis,
Si quid suave fuit, mecum requiescere Sponsum
Iam finite, & longos in lucem extendere amores,
Nec fastidita thalami consorte potiri.

CHRISTVS.

6. *O quænam, quænam illa, procul quæ splendida surgit*
Desertis sublata locis? ceu virgula myrrhæ,
Thusque calens pingues attollit in aëre fumos,
Vel piper & grata redolentia cinnama flammâ.
Conjugis os habitusque mea est, electaque mundo

Et tenebris erepta cohors. cui thuris odorem
Vita refert, myrrham dolor & constantia palmam.
7. *En, latè circum thalamos Salomonis in orbem*
Stat cataphracta phalanx, proceresque ex ordine lecti,
Iudaique patres. quibus omnis canuit ætas
8. *Sub clypeis, gladiis accincti immanibus omnes.*
Scilicet hac Christi sacris operata juventus
Bella gerit, querulaque movet certamina carni,
Et vinci generosa timet. quos stringimus enses
Adversum, quæ tela Erebo Sathanaque paramus,
Dum ruit errorumque animos nox occupat atra;
Sunt vocis momenta meæ; quæ ferrea flectunt
Pectora & occultas diffindunt pervia fibras.
9. *Ipse mihi è lignis Libani tentoria struxi*
Splendida, magnificasque trabes. consternitur auro,
Argentique micat sublimibus aula columnis.
10. *Purpura pro veste est, Babylonia stragula lecti,*
Gemmarumque jubar tædæ. domus ista piorum est,
Cujus splendor, amor: probitas preciosior auro:
Leges fulcra meæ: lux, gratia: purpura, sanguis.
11. *At vos, quæ celsi colitis celebrata Sionis*
Limina, vos, inquam, florenti ætate puellæ;
Huc omnes conferte gradum, quantisque coruscans
Ostentet regum soboles insignibus ostrum,
Adspicite, & quales radient in fronte coronæ,
Matris opus; quæque ipsa suo diademata nato
Imposuit, tunc cum thalami genialis adesset
Vespera, & has inter graderetur mascula tædas.

CAP. IV.

1. *Quam mea præcellens Syriis regina puellis*
Porgit honoratos mihi formosissima vultus,
Candidior cycno, lactenti mollior agno,
Blanda, columbinis adludens mitis ocellis,
Vt credas magis esse meam, fraudesque dolosque
Fastidire bonos. nihil est in mente cruentum,

Nil

Nil crudele, minax. cunctis clementia membris
Emicat & studiis franguntur mollibus iræ.
2. *Vt ludunt super ora comæ, similisque capellis*
Cæsaries, quæ se Gilead sub rupibus abdunt,
Et tondent dumeta vagæ ! quam picta rubenti
3. *Labra rubent illi cocco ! quam mite loquentis*
Eloquium, & duras sermo qui duceret aures.
Punica ceu patulis redolentia mala canistris
4. *Fragrant, Sponsa, genæ. turrique simillima cervix,*
In bellum quæ tota patet. tot ferrea vallis,
Tot munita modis. cernas procul ordine longo
Pendentes proavûm clypeos, appensaque scutis
Scuta novis, parmasque ducum, cumq; arcubus hastas,
Et frameas, fixosque cavis thoracibus enses.
5. *Vt tibi lacteola gemina statione papillæ,*
Mammarumque tument globuli. ceu pulchra tenellis
Vbera propendent capreis, quæ lilia calcant,
Et lætis spatiantur agris. non altera sanctis
Forma decorque meis. insons in fronte relucet
Simplicitas, verique tenax sententia dens est.
Destillant labris vitiis adversa nefandis
Dogmata. quæque rubent, morituri sanguine Sponsi
Ora rubent. turris sunt exporrecta fideles;
Spes galea est, lorica salus, fiducia scutum;
Vbera justitiæ fontes, patrisque voluntas
Prisca recensque mei. surgunt, ceu colla, prophetæ,
Ostentantque meas populis peccantibus iras.
6. *Ipse ego, cum medium conscenderit igneus orbem*
Phœbus, & invisas rerum contraxerit umbras,
Cum calet alta dies; totum me frondibus abdam,
Myrrha ubi, & arboribus desudant thura Sabæis.
Tunc legis fugient umbræ, tunc clarior orbi
Cernar, & ablato amplectar velamine Sponsam,
Dilectosque mihi. pleno tunc Phosphorus ortu
Adducam sine nube diem: totusque patebo
Mentibus, atque aliis ardebunt pectora flammis.

CHRI-

CHRISTVS.

7. Tota nites formosa, nites. nec corpore labes
Vlla tuo est. nostro deleti sanguine navi
Non ultra ferale rigent. preciosior unda
Abluit antiquas illimi flumine sordes.
Fœdaque probrosis absolvit tempora rugis.
8. Linque pruinosos, metuenda cacumina, montes
Lux mea; neve jugis Libani celsisque morare
Verticibus secura diu, quos exerit Hermon
Frondosusque Senir, vel terra virentis Amani.
Horrida spumantum caveas spelæa leonum,
Quæque sibi servat frendens habitacula pardus.
Hæc orbis trux scena mali est. hic silva malorum
Pullulat, hic errant immixti tigribus agni,
Insontesque bonis. hic hic immania monstra,
Et scelerum portenta suis stabulantur in antris:
Improba luxuries, rabiesque invisa nocendi,
Et fastus populator opum, livorque secundis
Invidus, & falsis animosa calumnia dictis:
Et fera concordes dirimens discordia mentes.
9. Respice me, mea Nupta, tuo qui saucius igne
Vulnus alo venis, atque illice lædor ocello,
Et forma splendore tuæ. me candida virtus,
Me tua temperies, & prima flamma juventæ
Abripit & recto nunquam saturata cupido.
10. Pulchra soror, quàm dulce tui sunt pignus amores.
Pulchra soror, quàm suave tui sunt nomen amores.
Pulchra Cupidineis concedunt vina papillis.
Vincit Achæmenios pulcherrima vestis odores.
Melle tibi stillant, & multo lacte labella,
11. Sponsa, fluunt: sunt verba favi, & blandissima grato
Nectare lingua madet: redolentque monilia cedros,
Thuraque, & è pingui lachrymantes cortice succos.
Ingenii nitor iste tui est. hæc aura serena
Indolis, & nostræ majestas debita genti.
12. Quanta loquar! veluti densis viridaria septis

Clausa

Clausa jacent, fontesque novis custodibus, unam
Te surgente die, te decedente tuebor.
Hinc latus atque illinc valido munimine cingam,
Et vocis virtute mea; robustaque subdam
Labenti promissa tibi. Tu lætior herbam
13. *Hortule, tu casiam: tu punica mala, crocumque*
Et cyprum, nardique diu fragrantis aristas,
Cinnama tu, myrrhamque aloënque & balsama funde
In socias divisa tuas. sic crescite sancti,
Crescite, & in cunctas mea fundite nomina terras.

ECCLESIA.

Tu mihi pro fonte es, puris qui defluit undis,
Tu latices salientis aquæ, tu larga ministras
14. *Flumina, & ex ipso manantia gaudia cœlo*
Impertis. dilecte, veni; placidissime me me
15. *Amplexare thori sociam. non horridus agris*
Incumbit Boreas, tempestatesque severas
Aut fluctus ciet ira gravis. tua mitior aura est,
Tu Zephyrus, qui divino patefacta favori
Dulcibus irroras studiis mortalia corda.
Tunc meus irriguo conjux spaciabitur horto,
Et fecunda suis adludet fructibus arbor.
16. *Tunc facili mea poma manu decerpet amator,*
Quaque prior dederat, reddam. tunc munera Christo,
Puraque dilecto solvam libamina Sponso.

CAP. V.

CHRISTVS.

1. *Et mihi floriferis peramœnus collibus hortus*
Panditur. huc mea Sponsa veni. te messe beabo.
Quam felix largitur Eos. tibi myrrhina plenis
Dona cadis, nitidique feram carchesia lactis,
Et placitura tuis fragrantia vina labellis.
Omne meum, fas esse tuum. communia nuptis
Singula sunt. eadem petimus volumusque beati.
Cœna eadem potusque. meis accumbite mensis,

Atque

Atque epulis mecum læti indulgete sodales,
Ebriaque æthereis accendite pectora votis.

ECCLESIA.

2. *Nox erat, & jam membra sopor Lethæus habebat,*
Cum mea tota Deo Superisque intenta vacaret
Mens aversa solo. mihi pars depressa jacebat,
Altera per cœli spatia & fulgentis Olympi
Atria, sanctorumque domos sublimior ibat,
Prompta sequi, quò fata vocant. Tunc dulcis amantis
Vox audita mihi est: charo, soror optima, fratri
Pande fores. dilecta obices & dura reclude
Ostia, nec vocem blandi aspernare mariti.
Ingrediar, miserosque lares & tecta subibo;
Dum stillat mihi rore caput, guttaque capillis
Cincinnisque fluunt. dum pleno gratia cornu
Labitur, & diri per me cessêre reatus,
Placatumque tibi reddent mea funera Patrem.
Ast ego jampridem vitiorum pressa veterno
3. *Vah ignava fui. tunicamque exuta togamque*
Nuda ivi. multumque expers florentis honesti,
Quis veteres, dixi, sponsæ donabit amictus,
Et faciet magis esse piam? tum pulvere tersi
Plus nituêre pedes, & visa Ecclesia mundo
Pulchra decensque fuit. sed enim pars sævior orbis
Sordidulis iterum fœdabit corpora plantis,
Et Sponso præsente luam, Christique satelles
4. *Suppliciis invisa premar. Dum talia fundo*
Verba dolens, subiti mediam me dextera Sponsi
Transadigit, gemituque cava insonuere caverna.
Exilii concussa malis, & verbere duro
Tacta magis sapui; discussaque causa veterni
Peccatique sopor fuit, & socordia cessit.
5. *Corripui me fessa thoro, tepidoque cubili,*
Et nimium molli proscribens marcida luxu
Tempora, surrexi vigil. & jam vivida Sponso
Dum conor reserare fores, & pectore totum

Admi-

Admisisse Deum, vitiique expellere amorem:
Stillavêre manus myrrham, cœpique probare
Relligiosa viro. sed postquam cardine limen
6. Concrepuit, cordisque mei patuêre penates,
Ah meus, ah discessit amans; subductaque paulùm
Gratia cœlestis latuit, Sponsoque videbar
Displicuisse meo. mœrens, afflicta, fatiscens,
Fracta animum, magna absentem ter voce vocavi,
Verbaque nequicquam tunc proficientia fudi
Infelix. nihil ille mihi; nihil ille maritæ
Respondit, quamvis multum lachrymosa rogarem.
7. Hæc inter me per tenebras & cæca vagantem
Compita corripuêre viri, cinxitque misellam
Custodum vigilumque manus. percussa frequenter,
Vulneribusque adaperta fui. surrepta dolenti
Pallia sunt, peplusque pedes qui fluxit ad imos.
Errantes sic nacta duces, labefacta tremebat
Et falso seducta fides. peregrina sequebar
Signa, nec in sacris permansit transfuga castris.
8. Vos mihi, quæ Solymæ colitis tecta alta puellæ,
Dicite, si qua mei nostis vestigia Sponsi.
Dicite, me languere proci fugientis amore:
Dicite, me languere Dei fugientis amore.

ADOLESCENTULÆ.

9. At tu Iessææ inter pulcherrima Nymphas,
Cujus nec spatium visus, nec gloria laudem,
Nec titulos vox ulla capit: dic, cujus amore
Implesti flagrantem animum? quove arseris igne?
Cujus inextinctis urarіs virgo favillis?

ECCLESIA.

10. Ille meus, quem sola colo, candore venusto
Ora rubet, juvenesque omnes pulcherrimus anteit.
Plus auro rutilat caput, & sublimior ipsis
Palmarum foliis surgunt à fronte capilli,
11. Illustresque nigrore comæ. quos vibrat ocellos,
Ipsa columbarum castissima lumina vincunt;

12. *Lumina,*

12. *Lumina, quæ nitidis præterlabentibus undis,*
Accipiunt purum fluvio abstergente nitorem.
13. *Vt propriis redolent distincta sedibus herba,*
Distincta stant lege genæ. manantia myrrha
14. *Lilia concedunt labiis. manus utraque gemmas*
Et glaucum beryllon habet. per viscera latè
Candidulum transparet ebur. cui pulcher inerras
15. *Cæruleis, sapphyre, notis. velut alta columnis*
Impavidis innixa domus, sunt crura marito
Aurea, nec Libani vultus subsidit honori.
16. *Blandula mellifluo subludit lingua palato,*
Argutumque canit docto modulamine guttur.
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat,
Talis erat Sponso facies, sic corpore toto
Splenduit. haud aliam nostris se mentibus offert
Integritas candorque viri, maculandaque tandem
Cæde Redemptoris species. qui durior auro
Intrepidum magno mortis discrimine pectus
Eximet, & Stygii spoliis Acherontis onustus
Tartara calcabit victor. qui depluit omne
Æthereo de fonte bonum, labiisque futuras
Res aperit, nostraque legit præcepta salutis.
Crura, quibus fulcit miseros, adamantina vis est,
Certaque Euangelicis innixa potentia verbis.
Auxilii sunt signa, manus. cœlestia dona
Pacis opes; facilemque Deum, vitamque perennem
Beryllos gemmasque puto. sunt ista piorum
Fercula. sic clemens animis illabitur æther.

ADOLESCENTULÆ.

17. *Fare puellarum suavissima, quo tuus ille*
Fugit amans? quas se in latebras, quibus abdidit umbris?
Fare, tuum quo, sponsa, simul quæramus amantem?

CAP.

CAP. VI.

ECCLESIA.

1. *Iam dicam. proprios tacitus deflexit in hortos,*
His pratis, hac valle latet, quo plurima carpat
Lilia, & egregias lolio discrimnet herbas.
Nos horti, nos prata sumus. sub cordibus hisce
Æstuat, & pulchros fervens exuscitat ignes,
2. *Et tepidos flagrare cupit. sum, Sponse, peculi*
Summa tui. tu summa mei. sumus alter amantis
Mutua dos. nostrasque faces confundimus ambo.

CHRISTVS.

Non aliter quam præcelsis in montibus arces
Tollit Tyrsa suas, tollis fastigia frontis
3. *Illustris, mea Sponsa, tua; dilectaque cælo*
Mœnia transcendis Solymæ. tu tota severa es,
Terribilisque malis & formidabilis adstas,
Castrorum ceu densa phalanx, nec pervia turmis
Turma. tenebrosæ metuit te callidus aulæ
Arbiter, & Stygiæ fugiunt tua tela cohortes,
Et scelerum congesta cohors. Ne lumina quæso
4. *In sponsum deflecte tuum. nam tactus ocellis*
Erigor incendorque tuis, videorque superbo
Celsius ire gradu, cæloque attollere cristas.
5. *Pendula cæsaries caprarum hirsutâ lacessit*
Colla. nitent dentes, quales albescere cernas
Lanigeris ovibus, quoties in fonte lavantur,
Atque gemellparis implentur fœtibus omnes.
6. *Nec roseis aliter turgentia punica granis*
Mala rubent. nam te circum sanctissima cingunt
Agmina; peccandi metus, & reverentia Sponsi,
Et niveus vitæ decor, & mens conscia recti.
7. *Sunt mihi sex dena matres, de stemmate regum,*
Et reginæ omnes. sunt, quas dignamur habere
Concubitus socias. sunt tot florentibus annis,
Nec genus indecores & nomina chara puellæ,

Sanctorumque gradus, & quos distinguit honorum
8. *Sors non una. meo verum jurata cubili,*
Vnaque conjugii consors mihi dicitur uxor.
Chara matris amor, sceleris sine labe columba.
Cui sua certatim solvunt praconia regum
Regina, dominaque nurus, facilesque piorum
Assurgunt anima, & gravido de pectore tale
9. *Eructant iterantque melos: Quanam illa virago?*
Qualis diva parens, qua formosissima vultu
Provocat Aurora faciem; cum certa salutis
Verba capit, Fideique suis infantia cunis
Vagit, & indoctis Christum balbutit in annis:
Fallimur? en radiis lucet melioribus orbi,
Et majus jam lumen habet, Lunaque videtur
Æmula flammiferos largiri gentibus ignes,
Arreptasque à Sole faces, diffusaque de me
Lumina, doctrinaque jubar concedere terris.
Fallimur? en, illa ipsa novis successibus ardet,
Et jam Phœbaos imitatur fulgida currus,
Supremumque diem. tanta se lampade nobis
Ostentant, tenebrisque patent aterna fugatis.
Vtque suo robusta cohors opponitur hosti,
Arma lacessenti movet imperterrita carni,
Et Phlegethontaas acies, & nixa potenti
Castra manu pro me bellatrix femina spernit.

ECCLESIA.

10. *Me meus hortus habet, durisque exercita fatis*
Plurima nux, specimen sortis casusque meorum.
Hîc hîc propter aqua rivos in vallibus erro.
Et modo plantarum recreor lanugine. florum
Prima rudimenta & surgentia stamina specto,
Punica num vireat malus; num vinea vini
Spem faciat, messemque ferax despondeat annus:
Qualis inoffensa fructu probitatis abundet
Verna meus civisque meus, qua solvat Olympo
Vota, quibus sancti placent altaria donis.

11. *Mox*

11. *Mox procul ex alto properantes monte quadrigæ,*
Præcipitesque rotæ, placidam & nil tale verentem
Turbavêre animam. pulchri periêre labores,
Et vesana piis mundi vis obstitit ausis.
12. *Quare age Sponsa redi, tunc clamavere puellæ,*
Sponsa redi, vultusque tuos ostende puellis,
Castrorumque choros & tot nascentia de te
Pignora credentumque globos da cernere mundo.

CAP. VII.

CHRISTVS.

1. *Sponsa puellarum nitidissima, quàm tua pulchro*
Dum graderis per rura fluunt vestigia gressu!
Quàm caligæ pedibus, quàm se tibi leniter aptat
Calceus, & femoris vadit junctura decenter,
Artifici veluti fabricata monilia dextra!
Principis os habitumque gerens & Principe celso
Edita progenies; specie crateris in orbem
2. *Omphalos it, laticesque isto de fonte refundis,*
Quasque bibat peccator aquas. tibi venter acervi
Et multum aggestæ Cereris, quam lilia cingunt,
3. *Instar habet. similes caprearum hinc inde mamillæ*
4. *Molle tument. surgit, ceu turris, eburnea cervix.*
Vt piscina, micant, oculi. quique inter ocellos
Turgidulos dirimit nasus sublimior orbes,
Respicit adversam, veluti de turre, Damascum.
5. *Quale caput Carmelus habet, tuus æthera vertex*
6. *Verberat. auricomi rutilant, ut purpura, crines,*
7. *Formaque Idumæas imitatur splendida palmas.*
Sæpius hæc tacitus dixi: jam scandere palmam,
Iam fructus libare juvat. turgentia tangam
8. *Vbera, fragrantisque fruar dulcedine Sponsæ.*
Manat ab Hyblæo generosum gutture vinum,
9. *Lætitiaque latex, isto qui melleus ore*
Defluit, & passim labiis ebullit amicis.
Sic dum plena Deo flammis mens ardet honestis,

It monitis impulsa meis. sunt munera nobis,
Officiumque pedes. cervix erecta docentum
Splendor. Euangelii latus inviolabile turris.
Venter opes sancta. vatum consulta mamillæ.
Nos caput, & summi Patris indulgentia botrus.

ECCLESIA.

10. *Quo laudata ferar? queis jungar amantibus uxor,*
Multis sæpè procis, multisque petita puellis?
Tu mihi, Christe, places. tua sum, tu noster, & ambos
Possidet unus amor. non me lasciva voluptas,
Non levis ambitio, tumidique superbia gressus,
Attalicæque juvant gazæ. non gloria fallax
Surripiet me, Sponse, tibi. convertimur ad te,
Te sequimur, formose virûm. tecum ire per hortos
Est animus, totamque sacris impendere noctem:
11. *Vt, simul ac roseis surgens Aurora capillis*
Dispulerit tenebras, radiisque retexerit orbem,
Lustremus tua rura duo, num vinea gemmas
12. *Truserit, ut sese florum jucunda venustas*
Explicet, & quales tellus tibi dædala fœtus
Ediderit; vel quanta suis oblivia gignant
Mandragoræ foliis. illic dispersa jacebunt
13. *Poma manu, veteresque novis superaddere messes*
Cura erit, & mediis flores inspargere portis.
Scilicet horrendis subducta tumultibus optem
Otia tranquillosque dies, Christique sub umbrâ
Pace frui, manibusque feris erepta nocentum,
Sponse, tuo latuisse thoro, donaria ferre
Et grati monumenta animi, atque oblita malorum
Pectora, consiliisque pios juvisse beatis.

CAP. VIII.

1. *Sæpe tibi sum dicta soror, soror unica. quare,*
Tu mihi sis pro fratre, virique adamabile nomen
Nomine fraterno duplica. defluximus uno
Patre duo, genitorque tibi qui creditur, idem

Et

Est mihi. ne chara mecum lactantia matris
Vbera fastidi. sum mystica matris imago,
Tu caput es. vinclis pariter vincimur iisdem,
Atque eadem nos causa ligat. sic oscula fratri
Prona dabo. decorisque mei pars magna, sororis
Diceris commune decus; nec vilis habebor,
Aut populis despecta ferar. Te dextera fratrem
Prensat, & in chara abducet penetrale parentis,
2. *Et nostra secreta domus, alteque bonorum*
Pectoribus sacer hospes eris. tua jussa capessam,
Te praeunte, sequar. te praeceptore, docenti
Obsequar. hic dulci implebo carchesia musto,
Et pateris libabo merum. tua munera reddam,
Inque tuis supplex ponam donaria templis.
3. *Dextera me amplexa est trepidam. suppositaq; blande*
Lava meo capiti est. sic me cœlestibus ægram
Vndique suffulcis studiis, ducisque labantem,
Et tremulam arcano sustentas robore Sponsam.

CHRISTVS.

4. *Vos ô, quæ Solyma colitis delubra, puellæ,*
Otia sopita concedite mollia Sponsæ,
Nec junctos scelerum strepitu divellite amantes.

ADOLESCENTVLÆ.

5. *Sed quænam, quænam illa, feris excita cavernis*
Surgit, & è nemorum latebris comptissima prodit,
Apta viro conjux, humeris innixa mariti?

ECCLESIA.

6. *Illa ego sum, quæ, Sponse, meo te crimine quondam*
Progenui, vetitos cum carperet arbore fructus
Inconsulta manus. tunc te clementia Patris
Parturiit, fecitque vadem. tunc edidit orbi
Terra Redemptorem & miseris promisit Iesum.

CHRISTVS.

Ille ego sum, regina, tui signator amoris,
Arrha tuæ fidei, pignus venerabile lecti,
Rex thalami sponsorque tui. si ferrea mors est,

Si, quicquid mortale, domat, regesque ducesque;
Non illi succumbet amor: non funera victus
Sentiet. accendet mediis incendia bustis,
Duraque zelotypi contemnet fata sepulchri
Durior, & flammas nocturnæ lampadis instar
Exeret, & flammis tutus flagrabit in ipsis.
7. *Non ulli hunc poterunt latices exstinguere amorem.*
Non Siloe. non qui vastas Iordanus in undas
Exit, & in Syriæ campos discurrit Orontes.
Hic procul Eôo venientes æquore gemmas
Vincit amor precio. non interrupta fideles
Vincla ligant, quæ nulla dies vel secula solvent,
Non mala fortunæ facies, non rector Averni,
Non rabies, urgensque fames, non mortu acerbæ
Effera vis, vel quicquid atrox natura minatur.

ECCLESIA.

Stat nostri securus amor. multisque beata
8. *Cingimur excubiis. verum mihi parvula vagit,*
Et neglecta soror. cui non tumuere mamillæ,
Sed calidus ludit circum præcordia sanguis,
Ipsaque pubescit primo sub flore juventa.
Ecquid agam? quibus hanc verbis affabor amicis?
Ignaræ sacrorum animæ veræque salutis
Pro dolor, & nullo dignatæ sedere gentes,
Te sine per salebras & inhospita rura vagantur,
Pictaque fallacis venerantur numina ligni.
Quin miseros, dilecte, vocas? atque illice verbo
Consortes vis esse mihi, paribusque beari
Legibus & nostris palantes cœtibus addi?

CAP. V.

9. *Si paries, si murus erit, si lubrica non sit,*
Nec levis instabilem rotet inconstantia mentem,
Pars fiet selecta domus; & digna vocari,
Et jungi pietate mihi, paribusque tuenda est
Præsidiis curaque soror. si prona patebit
Ianua, si cupiet venienti occurrere Sponso,

Hanc

Hanc tabulis cedrisque velut firmabimus arctis.

ECCLESIA.

10. *Sum paries, mammaque mihi pro turribus exstant,*
Sum murus stabilique fides innixa columna est.
Quin tali sum lege meæ sociata sorori,
Vt circunciso Grajus permixtus Apella
Ambulet, & rigidos respectet Gratia Persas,
Sublatoque colant Dominum discrimine gentes.

CHRISTVS.

11. *Ipse coruscanti Salomon spectandus in ostro*
Hac tenuit vineta prior. precioque locavit
Agricolas, viles dum fastidita labores
Majestas veneranda fuit. mihi vinea cura est,
12. *Hac ipsa tractanda manu. meus omnis in illâ*
Sudat amor, disponit amor, plantatque rigatque.
Nec mea terrenis felix Ecclesia tuta est
Officiis. solo sed me custode triumphat.
Tu modo, quæ medios graderis secura per hortos,
Ne cessa mihi, Sponsa, loqui. nam plurima circum
Æmula te fundunt rivales agmina voces,
Et mihi te Sponsæque student avertere Sponsum.

ECCLESIA.

13. *Corripe, Sponse, fugam & levibus velocior hœdis*
Occupa odoriferos, lætissima culmina, montes.
Æthereasque domos magnoque habitata Parenti
Tecta subi. thalamosque illic, dum militat absens,
Grataque sollicita dispone cubilia Sponsa.

PHARMACEVTRIA,
Sive Nuptiarum Cyri, Persarum Regis, & Aspasiæ, virginis rusticæ,

LIBER PRIMUS.

IAm Persas accendit Amor, semotaque longè
Ipsa Dionaeis flagrant palatia flammis,
Et flecti diadema potest: ac rustica Phyllis
Lætior Eöo conjux splendescit in ostro,
Miraturque Deos, mundoque exempla parari
Adspicit, ut surgant humiles, & munere Divûm
Induat augustas paupertas spreta coronas,
Muteturque pedum sceptro, despectaque ruris
Filia adorandis intexat crinibus aurum.
Vos, quibus incerto vadunt mortalia casu,
Nec curant terras Superi, quos cœca futuri
Talantes Fortuna rapit, qui numina rebus
Indulgere suis, nostri secura, putatis:
Præsentem spectate Deum, & cœlestia quantis
Consiliis se Fata probent, mundique labores
Ingenio, non sorte, regant; dum surgere parvos
Cernimus, & summo turbari culmine rerum
Regales apices, venerandaque nomina tolli,
Vt sublata ruant. vili sub cespite primi
Pompilium fovêre lares, cunasque Quirini
Et nondum dominæ dispersa mapalia Romæ,
Pastorum rexere manus, & mole laborans
Imperium tenui cunabula debuit Albæ.
Talis ebur Lydumque Gyges (ut fama) tribunal
Conscendit, regnoque fuit thalamoque potita
Simplicitas. talis Siculâ tellure potestas
In figulo rectore stetit, flexitque sub una
Sceptra lutumque manu. quò te, rex Persa, Deorum
Extulit in sublime favor? cum voce tiaras

In-

Infremuit læta sonipes, regique futuro
Hinniit ignarus quadrupes. quo numine sordens
Facta fuit Rhodope Pharii regina tyranni?
Tarquinios cur, Tybri, colis? cur rursus ovantes
Deturbas solio? Latii cur frena capessit
Verna? vel innumeris servaris, Sulla, triumphis?
Ille Iugurthino. & Cimbrûm certamine clarus,
Quo toties vicit bellatrix consule Roma,
Cur jacet in cœno Marius? cannaque palustri
Abdit grande caput? Vis hæc occulta Deorum est,
Quæ regnis ratione præest, regumque coërcet
Colla potens. quod si nondum labefacta resurgat
Relligio, pergatque sibi temerarius error
Falsa loqui; clara thalamos & fœdera spectet
Aspasiæ; & tantum compescet virgo tumultum,
Et dicet regnare Deos, motuque latente
Ire per ambages, humanaque flectere vota,
Quà libet, & tacitis fines evolvere causis.
Vos mihi, quæ sylvis Dryades habitatis opacis,
Naiadesque Deæ, & celebres per prata Napææ,
Dicite virgineos vultus: dic ruris amores,
Alma Pales. Vos Damonis suspiria sæpe,
Et faciles voces, vos dura verba notastis
Virginis, & pleno Aspasiam stupuistis in auro
Iura pharetrato regnantem dicere Medo.

Illa per Eoas famâ celeberrima terras,
Ore Deam referens, poterat Iove digna videri.
Tantus honos oculis inerat, frontique genisque.
Is rubor in labris, roseam qui vinceret Eo,
Is nitor in digitis, niveum qui vincere longè
Posset ebur, placidique lepos tam melleus oris,
Ut sic Suada loqui cuperet. per colla fluebat
Æmula cæsaries Phœbo; gressusque modesti,
Ceu magna Iunonis, erant, pudibundaque semper
Sueverat objectis faciem prætexere ramis,
Et velare mali causas, solitasque procantum

Illecebras, & quicquid amans insania poscit.
Sapius hanc limis Corydon adspexit ocellis;
Sape per umbrosos saltus & tesqua vagantem
Vidit, & incaluit Mœris. vestigia furtim
Dum sequitur Daphnis, flamma propiore liquescit,
Vt levia admotis ardescunt sulphura fumis,
Naphtaque conspecto vicina bitumine flagrat.
Multorum communis amor, multisque petita,
Nullius privata fuit. dum poscitur una,
Reppulit una procos, & fastidita sequentes
Votaque & imbelles pastorum exercuit iras.
Plus tamen unus amat Damon, totiesque repulsus
Acrius instat amans, crescitque dolore voluptas,
Et sperni vulgare putat. cum mollibus illam
Alloquiis cupit & blandis accendere dictis,
Stat scopulo similis, quem fluctus & unda minacem
Verberat incassum. dictis adversa repugnat,
Nec thalami patiens pro virginitatis honore
Verba facit, doctaque virum ratione refellit.
Cum sua formoso circumdare brachia collo
Nititur, optatis amplexibus arcet amantem.
Et quoties labris invitum surripit audax
Basiolum, queritur, verbisque insultat amaris.
Cum dextram sociare parat, cum pignus & arrham
Donat amicitia, cum pignore dextra fidesque
Despicitur, detrectat, abit, nunc abdita sylvis
Delitet aut cæcis habitat secretior antris.
Interea Damon per devia rura, locosque,
Et nemorum ambages rapitur, quæritque, viasque
In morem scrutatur equi, quem primus odoris
Afflat odor, notos cum fervidus exit in agros,
Pascuaque & totos hinnitu trajicit amnes.
Vix Aurora gravem terris dimoverat umbram,
Aspasiam vocat, Aspasiam vestigat in udis
Vallibus; aut celsis errantem in montibus ardet
Pone sequi, medio postquam sublimior axe

Isset anhela dies, fontes & flumina propter
Invocat Aspasiam, & gelidas monstrare calenti
Vellet amator aquas, undisque calere sub iisdem.
Inde ubi noctifero vesper processit Olympo,
Nec jam tota dies nec nox jam tota patescit,
Observat, quo calle suam deflectat in urbem,
Qua sedeat defessa domo, qua gaudia poscat,
Queis sociis comes incedat. fugit illa vocantem,
Nec sinit, adveniat. Si quando arridet amicè,
Torvum mœsta videt. quoties suspiria lentis
Præcurrunt lachrymis, ceu victo obgannit amanti.
Nec tamen hunc Cereris, non somni cura furentem
Abstrahat. invisa circum prostratus in herba
Spectat inexpleto dilectam lumine formam,
Et visu perit ipse suo. Quis sævius, inquit,
Quis me pastorum crudelius alter amavit?
Non potior, qui semper amo. vilescimus usque
Officiis; prodestque nihil, sævisse puellæ.
Omne mihi tempus precibus perit, annus & ætas
Muneribus, nec mille trucem donaria placant.
Quicquid odoriferum fragrantibus edidit hortis
Ver geniale, dedi. mediis allata Sabæis
Balsama, dein Cilicum messes, arisque dicatos
Panchæi thuris globulos & cinnama misi.
Nuper disparibus mihi quæ surgebat avenis
Fistula, qua summum posset flexisse Tonantem,
Aspasiæ concessa mea est. qui prendere passer,
Et primum ludens digitum mordere solebat,
Illius est. dedimus toties decerpta recenti
Poma manu, dulces venêre ad prandia ficus,
Et gravidis pendens vindemia pulchra racemis.
Cum mihi non vilis penderet arundine piscis,
Cum foret intentâ volucris dejecta sagittâ,
Cum mea stravissent pinguem venabula cervam,
Singula transmisi dominæ. modo serta parari
Jussimus, aut gracili fiscellas vimine texi,

Aut quæ Sidoniis fulgebant serica filis.
Cuncta simul periere mihi. nil juvit amasse
Difficilem. delusa fuit sperata voluptas
Hactenus. unda meos, & quicquid sufficis, æther,
Tuque parens tellus, frustra docuistis amores.
Attenuant vigiles languentia membra dolores,
Et macie marcet cutis inconcinna, vigorque
Priscus abit. solum mihi vox atque ossa supersunt.
Et tamen imprudens, quem non probat, approbat illam,
Et tamen infelix, quæ me fugit, insequor illam,
Atque animum, qui me decepit, inebriat error,
Seductumque rapit. fallacia gaudia capto,
Spesque meas pudor est vano donasse labori.
Inde manus tollens ad sidera; deserar usque,
Deserar ô, inquit, Superi? nec amabor ab illâ?
Et primo despectus amans exstinguar in ævo?
Si potuit Stygias Orpheus lenire sorores,
Tartareisque suam cithara deducere regnis
Eurydicen; nigri si regia palluit Orci,
Cum pius infernas Theseus comes iret ad umbras,
Sulphureique recens peteretur conjugis uxor,
Hac etiam tentanda via est. Discedite Divi
Cœlicolæ, quotquot mundi suprema tenetis,
Numina sæva mihi. potiùs Tu rector opacæ
Noctis & umbrarum pater & pallentis Averni,
Tuque fave votis Phlegethon, & flumine largo
Eructa, Cocyte, dolos. nova, Cerbere, philtra
Expue, & æternis rigidam latratibus imple
Aspasiam, & quam non valui mulcere rogando,
Frange metu. piceo Styx livida toxica fundo
Evomat; & cœlum quas nobis denegat artes,
Pandite vos matres Furiæ. ruite omnis in unum
Horrida gens, aliosque modos dictate procandi,
Eumenides. quacunque queam ratione potiri,
Hæc erit æqua mihi. virtus, vitiumque scelusque,
Cum probitate nefas nullo discrimine habentor,

Carminibus sterilem seges evanescit in herbam,
Deficiunt fluviis undæ, labuntur ab altis
Ilicibus glandes, spoliatur frondibus arbor,
Vbera lacte carent. etiam plus gliscit ab illis
Et stimulos capit ægra Venus, spretumque virago
Admittit mansueta procum & jam fracta fatiscit.
Talia dicenti tandem sententia sedit,
Consulere horrenda scelerata oracla magistræ,
Et magicos audire sonos, patefacta ciere
Tartara, fallaces tenebris arcessere manes,
Impiaque infames obsonia poscere sagas.
Quid faciat? non Marrubia de gente sacerdos
Os aperit, cœloque avertens sidera Circe,
Non Medea potens herbis, non Marsica pubes,
Non Psylli docti chelydris properare soporem,
Aut diro sueti strepitu terrere Choatræ.
Delphica conticuit rupes, & corniger Ammon,
Et sacri tripodes Dodonæique recessus,
Et quicunque vagis hæret Chaldæus in astris.
At vates Lodippa fuit, tot gnara malorum
Femina, quæ scelerum ritus atque improba norat
Carmina, & invitam Superis subducere Lunam,
Sistere Solis equos, & noctis tempora claro
Permiscere die, suffundere nubila cœlo,
Et totum revocare Chaos, dudumque sepultos
Sollicitare rogos imisque excire cavernis
Pallentes animas, oblivia tradere menti,
Cunctaque Lethæi quassare silentia rami.
Hæc eadem, quoties vellet, lenire leænas,
Serpentumque genus proprio exarmare veneno,
Et fixas alio poterat traducere quercus.
Fit lupus & laxos ululat nocturna per agros
Innocuo funesta gregi. jam forma molossi est,
Et mala latrat anus, nunc turribus abdita celsis
Horrendum mugit ferali carmine bubo.
Frendet aper, nigri crocitat sub imagine corvi,

Reptat humi serpens mulier. fit dira Celæno,
Atque alibi suis obscœna sub corpore grunnit.
Tollitur & rapidis magnum per inane quadrigis
Trans terras pelagusque volat, Rhodopenque nivosam
Sub pedibus Pindumque videt, Riphæaque transit
Culmina Caucaseosque apices. porrecta draconum
Membra trahunt laceros currus, queis lurida velat
Crista caput, maculisque rigent horrentia fœdis
Tergora, destillant spumanti frena veneno,
Et tabo rabida ora madent. quacunque vagatur,
Secedunt longè volucres, livescit arista,
Nigrescunt tactæ segetes, rubigine sordent
Prata, jacent fracto violata papavera collo,
Et nihil afflatum superest. quin æthere summo
Toxica terribiles recreant delapsa novercas.
Hac mandante leve est amnes & flumina strictis
Stare vadis, motusque suos dediscere Gangen,
Tardius Euphraten, lentis incedere Tigrin
Vorticibus, propriis refluum se mergere Orontem
Fontibus, & nullo Mæandrum currere flexu.
Hæc ventos subito tempestatesque sonoras
Voce ciet, Caurosque Notis & Iapyga Cauris
Obiicit, adversisque movet certamina flabris.
Mergit sæva rates, & onustas mercibus alnos
Disiicit, & summo discerpit lintea malo.
Enceladum Tityique latus flammisque tremendam
Concutit Inarimem, fumantem exasperat Ætnam,
Crebraque disruptis jaculatur saxa caminis.
Impellit placidas inopino murmure nubes,
Terrificique ruunt tonitrus. modò fulmina jussu
Fabricat & trifidos extundit nubibus ignes,
Ignaro Iove. divulsas discedere terras
Cogit, & ingentes absorbet hiatibus urbes.
Hæc potuit Lodippa furens, quæ Colchida vicit
Artibus & cui non vixit par Thessala Erichto,
Non versutus Atyr, non quæ venientibus annis

Insti-

Instituit socias melior Locusta propinquas.
Hanc adit effossi vastis sub rupibus antri
Impatiens Damon. mersos caligine postes
Adspicit, excubiisque incustodita remotis
Limina, & æterna metuenda habitacula noctis.
Pendebat ruitura domus, vacuique penates,
Et resupinatis sordebant atria muris.
Non viridi circum vernabant gramine campi,
Non pluvia locus aut fecundo rore rigatur.
Nulla rosas legit virgo, vel poma colonus.
Detrectant secreta diem; gaudetque tenebris,
Quisquis amat vitium. Phœbæia lumina nescit
Ferre latebrosum specus, ut sua crimina celet
Contemptosque Deos & vatis lucra dolosæ,
Et Phlegethonteis subnixos fraudibus ausus.
Intus cristati torquebant colla dracones,
Et sicca calido poscentes gutture lympham
Dipsades. infaustis accommoda partubus aspis
Perreptabat humum, propriaque injuria matri
Vipera, & ingemito turgentes felle colubri.
Pendula sublimes texebat aranea casses,
Ventrosusque gravi librans vestigia gressu
Buso suum patulo virus fundebat ab ore.
Non hic arguto priscum modulamine Terei
Ingeminat philomela nefas, non Attica pellex
Ismarium deplorat Ityn. sed noxia passim
Strix volat, & pravi prænuncia noctua fati.
Semineces pendent artus, ereptaque matri
Pignora, & exesti moribundo corpore fætus,
Et, nondum sibi totus homo. calcatur ephebus,
Quà graderis, lyncisque caput, cor vulturis atri,
Et distorta upupæ facies, fit tota nefandi
Improba materies rerum natura laboris.
Altius admissos occurrens prona salutat
Credulitas, falsique tenax dementia stultis
Annuit, & cupidis exposcit faucibus aurum

Vilis

Vilis Avaritia ac precio mendacia vendit,
Illuditque Deis, nec regum jussa moratur.
Hic mediis Lodippa sedens penetralibus, orbi
Et populis responsa dabat, discincta capillum,
Fœda genas fusco vultum turpata colore,
Squallida, deformi nil concessura Megaræ.
Ipsa feros rabies oculorum armaverat ignes,
Bassaridûm quales oculi. dissecta fluebant
Pallia, & impuræ velabant tempora vittæ.
Ossa tribunal erant, tumulis subducta parentum,
Et detracta feris circum suspensa rigebant
Terga boum, & fœdis sanies manabat ab extis.
Vt limen tetigit, rursus revocatus ab illo est
Attonitus. redit inde animus, pulsoque timore
Infert se mediis Damon penetralibus alte,
Et deploratis circumfert lumina tectis.
Ergo illam ut dubio vix tandem cernere vultu
Evaluit, tetricam rabido de pectore vocem
Infremuit mulier; qualem Phlegethonte sub imo
Pallida Tisiphone vel rauco eructat ab ore
Ianitor, inque suos Ixion detonat orbes.
Insonuit nemus, & vastæ tremuere cavernæ,
Ferrata que fores immensaque claustra loquentis
Dissiliere sono. tantus fragor ivit in auras,
Quantus nocte lupis ululantibus aëra complet.
Aut qualem Armeniæ tigres Maurique leones,
Aut impacatæ vis effera frenduit Hydra.
Ipsa cavis habitans saxis resonabilis Echo
Fugit, & extremos timuit decerpere voci
Articulos, dirisque novissima reddere verbis.
Tandem ait: Has quæ te, Iuvenis, vel causa vel error
Depulit in latebras? num furto rapta supellex
Quæritur, occultusque tibi deposcitur autor?
An flatu lædenda Ceres? an flumina sisti,
An vis saxa loqui? geminas concurrere Lunas?
An vitreos turpi fœdari sanguine fontes?

Num

Num potius tacito poscis medicamen amori,
Et velles flagrare minus ? num spernit amantem
Virgo, precesque tuas iratâ respuit aure ?
Anne alios gelidi tractum in vestigia lethi
Ire cupis, fratresque cito decedere fato ?
Num tua vis nullo penetrari corpora ferro,
Et gladiorum apices & vana repellere tela ?
An procul extremos jam nunc Garamantas & Indos
Est animus spectare, vel ipsam visere Thulen,
Atlantisque domos, & adustum sidere Pœnum,
Et raptu per regna vehi ? Solemque cadentem
Surgentemque diem celeri decurrere motu ?
Dic age. Tum Damon : Tu, quæ non cognita nobis
Novisti consulta Deûm, Superûmque Iovisque
Consiliis majora sapis, cui numina plenum
Pectus agunt, totoque tument præcordia Phœbo,
Cui manes omnesque Dii famulantur Averni,
Et veniunt ad jussa alacres ; quæ Tartara laxas
Tænariosque lacus, & nostræ stamina vitæ
Parcarumque colos & lentos fraudibus annos
Præcipitas, ipsique potens dominaris Olympo :
Eumenidum decus, inferno dilecta profundo
Filia Persephones, quam charis fovit Erinnys
Vberibus, studiisque audacibus imbuit unam ;
Cujus ad imperium pandit sua Cerberus ora,
Cujus ad imperium guttur crudele coërcet ;
Ipse leves umbras invita lintre revectat
Portitor, accelerat pœnas tardatque Megæra,
Flagrantesque faces obvertit sontibus atrox :
Exaudi, Lodippa, preces. non funera posco,
Non animo cædes agito ; non lancibus infans
Appositus, non membra mihi dissecta petuntur,
Humanusque cruor. qualis Busiridis aris,
Aut Thracum crudis fluxit per fercula mensis.
Non patriam veni audaci rescindere cœpto,
Non regum insidior jugulo sceptrisque potentum,

Aut

Aut conjuratos armare in pralia cives'
Est animus, partesque sequi. non patris in annos
Quarimus, antè diem. nec publica commoda ladi,
Non fruges laticesque volo, vel inania tristem
Carminibus nostris mulctralia fallere Baucen.
Forma mali levis est, & dum peccare necesse est,
Molle nefas meditor. vetitas me trudit in artes
Aliger ille Deus, tractumque cupidine pectus
Fascinat, & duro miserum me objectat amori.
Hac colo montanus pastor loca, collibus erro,
Et tenerum ducto campis agrestibus agmen.
Balantumque greges & qui transversa tuetur
Ponè sequor torvi vestigia fœtida capri.
Est quoque vacca mihi tauro fœcunda marito,
Est structum viridi frondosum cespite culmen.
It vita secura quies. poteramque videri
Felix sorte meâ; nisi me non vellet amantem
Aspasia & nostros sævissima sperneret ignes.
Hac placanda mihi est. fac ut miserescere possit
Damonis, dicatque suum. tu pharmaca dona
Certa mihi. penetrent magici per viscera cantus,
Aut me dede neci. sit mors mihi meta doloris,
Aut speratus amor. cœli convexa tueri
Difficilesque Deos labor est. pro virgine quidvis
Infandum patiar juvenis. quò jusseris ire,
Ibimus. immensum tecum tranabimus æquor,
Ibimus in terra gremium, cœcosque meatus;
In Ditis te regna sequar, Stigiumque tyrannum
Alloquar. Aspasiam, Aspasiam mihi flecte, ferox que
Ingenium, Ladippa, doma. tibi texta parantur
Serica, & Eôo rutilantes murice palla,
Regalesque toga, digitisque augustius aurum
Tinniet. hîc tibi selectas mactabo bidentes,
Et tua praclaris onerabo altaria donis,
Narcisso violaque & suave rubentibus uvis.
Phasiacas addam volucres, quaque ordine pulchro
Arre-

Arrectam gemmis caudam stellantibus implet,
Et qua Chalcidico subsidit femina gallo.
Tum mulier sic orsa loqui est, & verba profatur
Impia : Cum densas mundo nox fecerit umbras,
Et rutilum tacitis subduxerit athera terris
Occiduus Titan, speciosaque cornua Phœbe
Occultabit aquis ; spumantia littora Nerei
Noctivagus spectator adi ; dumque obvia lustras,
Et modo suspensam miraris in aëre terram,
Inde catenatum objecta tellure profundum,
Conspue ter, ter lacte novo consperge procellas,
Ter nivei mellis tumidis affunde liquorem
Fluctibus, & veteris fragrantia munera Bacchi.
Ter conversus, aquis fluidos ter tinge capillos ;
Et tandem in bibulâ demisso poplite arenâ,
Ter tibi dilectæ nomen percurre puellæ,
Et magna ter voce voca. dumque ultima faris,
Oceani vicina subi, vestesque recinctas
Abiice, terque tuos undis fluitantibus artus
Trolue, ter salsa madeant aspergine lumbi,
Ter fluctus littusque feri. Solennia, virgo,
Ista tibi, dic, sacra paro. mitesce roganti,
Nec porrò gravis esse velis. ter sulphure, flamma,
Ter lympha lustratus abi. mox undique frondes,
Et fruticum genus, adversi medicamina amoris,
Collige, quas Peneus, vel quos dabit altior Ossa,
Vel Pindi juga, vel Pindo ferventior Atlas.
Lactucam violamque cave, & qui frigidus imum
In ventrem serpit cucumis, quaque acta per hortos
Turget ab angusto protenta cucurbita collo.
Intyba prætereas, gravidumque sopore papaver,
Funestasque trabes taxos, piceamque nocentem,
Et teretes fungos, foliumque immite cicutæ.
Apta magis ventosa faba est, Veneremque morantem
Extimulans eruca salax, & grandior orchis,
Et mordax piper, & ferventis grana cumini.

Hinc

Hinc porrum & calidis carpantur eryngia fibris,
Flosculus euphrasiæ & vertex benè olentis anethi.
Deinde cavum tepido spumet tibi sanguine ahenum,
Sanguine, quem tumidi fundet tibi vena leonis
Vulneribus laxata novis. rabiosa legatur
Spuma canum, leporique fero decerpta medulla,
Et cervi femur & virus lunare draconum,
Cenchris & hirsuti pellis maculosa colubri,
Quæque venenatis Afrûm serpentibus ater
Destillat cruor & Libyci membrana cerastæ.
Adde caput nati nuper bufonis & alvo
Exemtum cæcâ puerum, raptumque cadaver
Infami ferale rotæ, cineresque nocentum,
Effossosque reis oculos, cerebrumque chelydri,
Reptantesque solo cochleas, hepar anguis & aurem,
Passeris extincti nimiis in amoribus inguen,
Extaque cornicis septem jam secula passæ,
Et lentum Hippomanes, tenera de fronte revulsum
Vix nascentis equi. quæ stipite mixta coquantur
Acrius. at postquam steterit tibi succus & omnes
Fient gluten aquæ, lævam ter inunge mamillam,
Et lumbos oculosque & cor violabile telis,
Et partes, quas poscit amor. dic: ista placere
Aspasiæ fac, Diva Paphi, ritusque secunda
Officiosa meos. patulis hinc gramina campis
Et flores succide. rosas cum carpis, iisdem
Basia fige libens; cum lilia, lilia centum
Basiolis caleant; cum myrtus tangitur arbor,
Dic: Mihi, myrte, fave, Venerique sacerrima pectus
Virginis emolli rigidum. contexe corollas,
Et ter cinge caput, rursum ter deme corollas,
Et dic: Virgo, tuo triplex sub pectore vernet
Gratia, & hos ipsos veris transcendat honores,
Totque herbis revirescе magis. post littora, montes,
Lustratosque locos nemorum, tua tecta revise,
Et calidis rursum tibi bulliat olla favillis.

Quà

Quà gradiere, novi flores & gramina surgent,
Quaque cadent guttæ, in vitem lasciviet ulmus,
Ambiet & platanus platanos, & mutua palmæ
Brachia connectent, iterabunt oscula conchæ,
Permistæque ibunt hederæ. ruet omnis in ignes
Insolitos tellus, & sentiet altior ales
Insperata pati gelidas incendia nubes.
Hæc cum sollicitâ perfeceris omnia curâ,
Atria quà spatiosa patent, imique penates,
Formidata tuum concludat linea corpus,
Et circo stet tuta salus. hoc limite gressum
Fige, nec hanc ausis, Damon, transcendere metam.
Si faxis, citius dicto discerpta trahentur
Membra, & Avernales lambent tua frusta sorores.
Tum virgâ primum, Superos & sidera signa,
Deinde solum attonito similis cum murmure pulsa,
Et Furias Manesque cie, cunctosque profunda
Concute Iunonis thalamos, Erebumque Chaosque
Cocytique domos & caligantia regna,
Et quæ vorticibus Lethe loca lustrat anhelis,
Et Stygii devexa poli. Iamque, ecce, tremiscens
Sub pedibus secedet humus, caligine tectum,
Et piceis circum nigrescent omnia fumis.
Ilicet æthereas corrumpet pestifer auras
Spiritus, & mixto diffusus sulphure fœtor.
Nec mora, fecundo tollent se monstra Barathro,
Spectraque terribili surgent minitantia vultu,
Fumantesque faces quatient. hic Gorgonis ora,
Hic caput anguineis intortum plexibus antro
Effert. hæc Scyllam, referet frons ista Medusam,
Quæque venenosis colubris armabitur, altos
Librabit gressus tenebrosæ filia noctis.
Ille canem reddet latratoremque molossum,
Hic oculos, basilisce, tuos, hæc turpis hyænæ
Guttur, & implicitæ spiras torquebit echidnæ.
Adspicies patulis flammas præstera vomentem

Faucibus

Faucibus, & Veneri prabentem gaudia Scincon.
Alter in obliquum serpet latus, ipsaque Cancer
Crura recurvabit. guttis lucentibus ibit
Stellio, & exuvias Scutales imitabitur alter.
Ibit Tartareus Triton, simulataque terga
Concutiet, conchamque sono replebit inani,
Quos inter Stymphalis erit, raptura cruentis
Vnguibus exangues animas. hic mutiet hirci
Larva, frement lynces, claudet Plutonis alumnum
Vrsus, & occulta fallens dulcedine panther.
Nec deerunt Harpedophorus, terrensque Phobetor,
Non Icelos, non ille trabes mentitus & undas
Phantasus, & quavis ludens sub imagine Morpheus.
Exiliet levior Nycteus & Ditis Alastor
Assecla & ille ruens pedibus velocibus Æthon,
Et Capni soboles, & curvis cornibus Ammon,
Et rictu terrens Lupus & proboscide Protheus.
Hos trudet veniens Caphoros, Larsosque, Merachque,
Bursa, Bulis, Salafar, Barsu, Laspharus & Adar,
Ethiel, Azoriel, Thulbas, Pandorque Cazulque,
Et scelerum persuasor Aal, furtique magister
Aibador, & luxus suadens exempla protervus
Carrasiba, & populis vendens mendacia Chrubas,
Et latrociniis Malgron, & notus Ahalcas
Fraudibus, & gaudens lectum incestare Remason.
Quæ cum transierint oculos portenta, subibit
Astaroth, Attalibax, & clamans dira Mimallon,
Et tonitru clarus Brontes, flammasque Pyracmon
Ore vomens, rostroque minans mordace Scolopax,
Et qui fallacis fucum malè diligit aula
Thaumas, & in regum mores proclivior Aischros.
Iuraque qui preciis Adicos sacrumque tribunal
Pervertit; medicosque docet tot crimina Chrysos.
Quid tetrum Briarea loquar? cui brachia centum
Damnatos prensant manes, tumidumque Typhœa,
Antimachum, Monychumq; Lycochtona, Teleboantem,

Et

Et similem Lernæ Phlagrum, Drusumque Chimaram.
Tum Stygiâ matrum circumstipante catervâ
Incedet triplex Hecate, rapietque micantes
Persephone post se famulas. turba omnis in orbem
Anguipedes flectet gressus, nec vultibus obdent
Tegmina, femineum prævelatura pudorem.
Quæ cum prodiderit tenebrosi regia Ditis
Agmina, difformesque choros, se mitior illis
Offeret Æneadûm genitrix, matremque Cupido
Ponè premet, jaculisque humeros insignis & arcu
Aspasiæ simulacra manu radiantia ducet,
Non tamen Aspasiam. faciles tibi flectet ocellos
Vmbra levis, cupietque tibi consuescere spectrum,
Pronaque contemptis innectere colla lacertis.
Ne moveare, puer. constet fiducia cœpto,
Nec tantos horre strepitus, speciemque malorum,
Aut improvisa timeas spectacula pompæ.
Quin potius multo rursum tibi bulliat iste
Igne lebes, mergasque tuis lacerata sub undis
Viscera cornipedum, & metuendas viribus herbas,
Et mox depletas humano sanguine venas.
Noster in hoc succo Deus est. hoc gluten amoris
Illecebra est, stimulumque minus redamantibus addit,
Dissolvitque gelu. tali conspersa liquore
Deperiit Phædra Hippolytum, Briseis Achillem,
Et Macareus Canacen, & Sappho docta Phaonem,
Salmacis androgynum, & factus puer Iphis Ianthen.
Hoc succo redeunt anni, roburque virile,
Et vigor in Venerem. potuit juvenescere tactu,
Seque virum stupuit rugis abeuntibus Æson.
Hoc sua Tithono toties reparata juventa est.
Hoc Erycina suum toties aspersit Adonin.
Hunc ubi torva suis contingit virgo labellis,
Dilutum patera custoditoque Lyæo,
Illi delicium, Damon, & sola voluptas,
Et spes omnis eris. solum te flumina juxta,

Aut densos inter corylos aut tecta corymbis
Antra vel umbriferi deposcet vela ligustri.
Audiit hæc lætus Damon, sperataque fovit
Gaudia, & Aspasiam votis dum præcipit, auro
Fatidicam demulcet anum, vestesque decoras;
Adiicit, & pulchris fallacia carmina donis
Thessalicasque artes redimit. capit ille furoris
Materiem causasque sui; quæcunque parari
Iusserat, herbarum genera & quæ gramina sparsim
Vulsa manu partim, vel partim falce resecta
Legerat, & vario turgentia pocula lacte.
Dumque levat manibus tantæ perversa magistræ
Munera, ridiculasque dapes, miratur eundo,
Atque oculos animumque stupens per singula ducit.
Sic graditur, cum se venienti fortè Palæmon
Obtulit, indomitæ moderatus frena juventæ,
Et comes & custos quondam. qui ferre tenellum
Sueverat, & genibus ludentem aptare paternis.
Qui simulac studium juvenis, curasque, viasque
Edidicit causas, tantique exorsa laboris,
Et malè quæsiti molimina subdola lecti,
Sic ait increpitans: Quis te malesanus amantem
Error agit; cœloque facit peccare relicto,
Et sprevisse Deos? fatis flectuntur amores,
Et thalamus res est Superûm. non ludicra tedas
Sors movet, aut istis amor est quærendus in herbis.
Scilicet hæc, Damon, credis curare sepultos,
Et Styga Lethæumque Iovem? cur, improbe, curas
Nosse domos Erebi? delubraque Ditis operti
Consulis? & stolidis imploras infera votis
Numina? nos genus exosum furialibus umbris
Et soboles invisa sumus. malè poscis ab hoste
Præsidium columenque tibi. falleris amator
Fraudibus ipse tuis. disces miser esse, rogando,
Quos rogitare nefas. non adspicit æquior æther,
Qui Diti debere volunt. novisse futurum,

Numinis

Numinis est. sensusque & corda inflectere cælum,
Non Styx atra valet. quanta mercede parantur
Damna tibi, meritasque luet vesania pœnas!
Si thalami poscis sociam, res ista parentum est.
Agrestem si pastor amas, pastoris amici
Consilia expendas potius, precibusque jugales
Flecte Deos. quorsum hic omnis sine fine paratus?
Quid sibi vult pars ista lupi? pars ista leonis?
Quid teter bufo? quid rapta volucribus exta?
Feralesque epulæ & crudæ cum floribus offæ?
Quid vitulus de matre recens? & turgida succis
Cymbia, detonsæque comæ? tun' illa, sacerdos,
Sacra tibi ludosque facis? talemque puellæ
Te gestis præstare virum? num talibus astra
Officiis placare studes? facilesque mereri
Cælicolas? heu, quid Veneri cum partibus istis.
Non placet huic matri bubo, non cauda lacertæ,
Non crucibus detracta cutis, non livida tabo
Viscera, & exanimes artus. procul illa facessant,
Cœpta precor. Superos credas plus posse, Deumque
Conjugii curare modos, & pabula amori
Sufficere & tetricam juveni lenire puellam.
Pronubus est homini Rex Iupiter. annuit illi,
Et thalamis moderator adest. His optima conjux
Auspiciis poscenda tibi est. venerabile cœli
Depositum insanus nunquam donabit aruspex.
Impia non Manto, non quæ penetralia terræ
Scrutatur, Stygiisque litat mala Thessalis aris.
Horruit his monitis Damon, gelidusque cucurrit
Ima per ossa tremor; pollutaque carmina damnans,
Nunc artes timet ipse suas, nunc damna revolvit,
Et credit periisse sibi, quod solverat, aurum.
Stat titubatque miser, veluti qui sentibus anguem
Pressit humi. cecidere manu frugesque liquorque,
Et volucrum quodcunque fuit, quodcunque ferarum,
Fanda, nefanda simul. calcat projecta magorum

Fercula, collectumque irato numine virus,
Et formidatos excussit pectore ritus.

DAMON,

Sive Nuptiarum Cyri & Aspasiæ, in quo de vitæ aulicæ ac rusticæ commodis ac incommodis disceptatur,

LIBER SECVNDVS.

DIspulerat Memnon tenebras, & lutea conjunx
Tithoni, croceum linquens Aurora maritum,
Oceano flectebat equos; jam tempora Morphei
Nocturnasque faces mundo subduxerat ardens
Phosphorus, & patulis rorantia gramina campis
Abluerat primo soboles Hyperionis ortu:
Lanigerum cum virgo pecus, cupidasque capellas,
Tardaque lascivis permixta armenta juvencis
Duceret Aspasia, & pratis laxaret apertis,
Tutelæ secura suæ. comes ibat eunti
Chloris & Hypsipyle. quarum prior illa procorum
Nescia contemptos referebat Thyrsidis ignes;
Hæc flammam confessa fuit, tactumque Philani
Illecebris animum & primi secreta furoris.
Illi pulchra leves altè stringebat amictus
Fascia, ne madidam preciosior orbita terram
Verreret, aut lentos traherent vestigia gressus.
Dextra pedum portans humeris ludebat in ipsis:
Quo sulcos jacere & segnes urgere bidentes
Sueverat. haud alta suras perone tegebat,
Frondisera geniale caput, velata cupresso.
Dum graditur, capiti ter florida lapsa corona est,
Imperii præsaga novi. ter Iupiter alta
Intonuit de nube pater. dumq; altera cœlum
Sceptra parat, ter vile pedum, quod fortè gerebat,

Excidit è manibus. summo Iovis armiger ales
Æthere signa dabat, regumque afferre tiaras
Visa fuit clangore gravi. sed nescia fati
Lactiferas virgo matres agnosque petulcos
Ponè sequebatur. Superûm quem destinet aris,
Designat, duris modò vocibus increpat hœdum
Cornipetam; queis lana pedes descendit ad imos
Mulcet oves; quæ pallentes benè ruminet herbas,
Observat, camposque suos & prata pererrat.
Non alium Zephyrus radiis melioribus orbi
Viderat illuxisse diem; non suavius unquam
Pascua fecundis purgabant flatibus auræ.
Ver erat, & pingues trudebant gramina glebæ
Acrius, & multis natura coloribus agros
Pinxerat, innumerisque dabat primordia rebus:
Cum procul accelerans currus de montibus altis
Harpalus, instigansque rotas, rimatur in agros
Sollicitus, quæritque suo nova gaudia Regi,
Quæque thoro possit formâ meliore probari.
Fervida præcipiti prolabitur orbita cursu,
Sævaque quadrupedum geminantur verbera dorsis.
Fumat ager, strepituque suo & velocibus umbris
Attoniti terrentur equi. levis assilit unda
Vndique, concutitur tellus, & turbine anhelo
Visa simul, correpta simul, subductaque raptu
Aspasia est. clamant comites, manibusque sequuntur
Exertis, sociamque vocant, precibusque reposcunt
Incassum. Quis te, raptor scelerate, Deorum,
Chloris ait, Stygiis audacem excivit ab oris?
Quis flammis accendit Amor? facibusque profanis
Impulit infestis rura infestare quadrigis?
Sunt aliæ innuptæ Medo & florentibus annis,
Nec Regi indecores. non unam Laida servat
Persepolis. veniant ista mercede puellæ.
Sufficit impuræ meretrix mercabilis aulæ.
Linque lares nostros, & quas sine crimine sedes

Pan colit. hic paribus nubet pastoribus illa
Aptius. agrestem cur pessimus advena divam,
Dilectamque rapis? non hæc rapienda virago,
Sed potius poscenda fuit. confundite terras,
O Superi; non tuta suis sunt regna colonis.
Captivæ sumus, & spolium prædonis iniqui.
Sacrilegas lacerate rotas, currusque protervos
Solvite, & infracto, quisquis siet ille potentum,
Axe ruat. duris raptorem illidite saxis,
Sistite equos, celeres, Fauni, disrumpite habenas
Ocyus. hanc charo sobolem servate parenti,
Reddite ruricolam. sic se clamore fatigat,
Verbaque profundit nil proficientia Chloris.
Aspasia, ut pavida rediit vultusque colorque,
Inque gravem coram torsit sua lumina Persam,
Ingemuit, lachrymisque genas dum tingit obortis;
Heu, quæ me tellus, inquit, quæ me æquora raptam
Accipient? quò, quave feror? quò turba sororum,
Quò comites abiere meæ? cur deseris unam,
Hypsipyle? cur sola truci sum visa tyranno
Digna rapi? mater, genitor, succurrite natæ,
Exaudite preces. vestris si filia jussis
Paruit, exitio faciles succurrite nostro.
Quis scelus antiquum revocat? quis crimina raptus
Nulla putat? casta quæ virginitatis honorem
Impietas læsura venit? num missus Averno
Rursus in errantem per florea prata puellam,
Pluto, furis? geminaque frui consorte laboras?
Num Lapithas impellit amor? num pastor ab Ida
Tyndarin Eois aliam sibi quærit in agris?
An Dryopen me credit Hylas? Minoida Theseus?
An terras Titanes habent? ruptisque Typhœa
Faucibus evomuit calidis fornacibus Ætna?
Ah, rapior. dubiumque, cui captiva marito
Debear. invisas Erebi descendet ad umbras
Aspasia? atque tuis vivam Proserpina fatis?

An regum servor thalamis? num structa caminis
Mœnia Cyclopum & Liparen miseranda subibo,
Phelgræosque specus? etenim, quocunque dolentem
Me fortuna feret, tellus Acheronque placebunt
Sorte pari. nusquam custodia tuta pudori.
Quantum virginitas potuit suadere malorum!
Dum loquitur, laxo volitat per devia freno
Persa ferox, montesque & saxa minantia cœlo
Trajicit, & Zephyros ipsos post terga relinquit.
Iamque Lycum Tigrimque vagum transvectus, & alta
Ecbatana, & celsi nemorosa cacumina Zagri,
Et qui pracipiti spectatur rupe, Niphaten,
Deposuit mediis spolium venerabile Susis.
Hic ubi flammanti fulgent accensa pyropo
Atria, & Assyriis rutilant palatia gazis,
Fultaque Mygdoniis regalia tecta columnis.
Audiit hos motus Damon, nec credulus illis
Quaritat Aspasiam, camposque & jugera pernox
Scrutatur. lustrat villas, nemora omnia oberrat;
Invocat amissam. sperat, pavet; optat & horret;
Aggreditur quosvis, casus scitatur acerbos,
Quis raptor, quis currus, equis qua forma colorque,
Qua via pradonis. talis circumvolat ales
Proxima, cum fœtus subductaque pignora nido
Adspicit. excelsas illic circumspicit ornos,
Illic saxa videt, num quis decusserit Eurus.
Nunc hominum radit latus, aut in vertice tecti
Mœsta sedet, querulisque replet garritibus auras,
Furtaque vel pueris, vel savis exprobrat Austris.
Arsacidas tum fortè suis flectebat habenis
Cyrus, & Assyrii victor fastigia regni
Subdiderat Medo. nihil ultrà Lydus habebat,
Ioniusque suum. magni patrimonia Crœsi
Persarum rectoris erant, & Phocidis urbes,
Euboicique sinus. Arabasque & Bactra tenebat,
Et clara Babylonis opes, Regumque feroces

Exuvias. felix, tantos ni cruda triumphos
Mater, & illustres fœdasset femina lauros.
Non illum galeæ fulgur, non dira minantes
Terruerant clypei, non tracta è crine sagittæ.
Inter signa puer, strictasque adoleverat hastas
Intrepidus. per tela Ducem, cuneosque globosque
Fulmineosque furens Mavors raptaverat enses.
Ergò ubi se longis exolvit Persia bellis,
Armaque Gradivo suspendit fessa parenti,
Et centum fulgens gemino sub Sole trophæis
Bellacem placavit Halyn, & Caspia regna,
Et Phasin & verso pugnantem tergore Parthum.
Ibant tranquillæ luces & marcida luxu
Tempora peccantem fregerunt sordibus aulam,
Masculaque in molles fluxerunt pectora curas.
Tum litui cessêre, lyræ, tum classica festis
Vocibus, & cunctos laxavit regia fastus,
Et rigidum pepulit torpens ignavia Martem.
Iamque aderat festiva dies, epulæque paratæ
Ante oculos, patrioque Duces pro more sedebant,
Et solio ductor Medus spectandus eburno.
Parthica cui totam velabant serica corpus,
Regiaque ornabant dignos diademata crines.
Obtulerat læto spumantia cymbia succo
Bis genitus puer, & decerptas collibus uvas.
Alma Ceres fruges, longisque obsonia mensis
Ferculaque exactum dederat poscentia guttur.
Cum Venus hos ipsos inter Dea candida cœtus
Extulit os, movitque gradum. non squallida tabo
Arma ferens, rigidisque truces mucronibus enses,
Non avidos pugnæ Thracas, nec Amazonas arcu
Terribiles, durumve Getam. sed Principe coram
Virgineos Erycina stitit blandissima vultus,
Mortali sub carne Deas. non gratia vita,
Non Charitum deerat decor, & sine fraude venustas,
Mixtaque non ficto comis reverentia gestu.

Tales Naiadas sacris incedere festis
Fama fuit, modò des cultus similesque paratus.
Hac poterat Cypris virgo formosa videri ;
Hac Iuno, generosa gradu. pro Pallade fulget
Aspasia, audacem referebat quarta Lacænam.
Digna Deo cunctis facies, ut lumina Cyrus
Flexit in adstantes nunquam saturata puellas,
Non secus exarsit, quàm si, spirantibus Euris,
Agricola arenti flammam supponat aristæ,
Aut exsiccatas cremet in fœnilibus herbas.
Exstimulant omnes Regem. distincta voluptas
In plures unum trahit, & divellit amantem.
Et quia Memnoniis regionibus acrius urit
Sævus Amor, flagrat vitio gentisque suoque.
Vt pudor abscessit, vimque licentia suasit,
Quæ reges fecisse nefas ; orditur amores
Purpura, & Aspasiæ, quæ non renuere sorores,
Basia figit amans, iteratque, & ludit, & ignes
Ipse suos nutrit ; sumitque alimenta libido,
Invaluitque furor. rabies effrenis amandi
Secessum vitio quærit, latebrasque nocendi.
Iamque moras spernens rogat, & sua vota reponit,
Quodque petit, ceu lege petit. complectitur, urget.
Arridet propius, nec sic expletur amando.
Verba, joci, risus, facies, motusque manusque
Mille modis produnt malesanæ incendia flammæ,
Illicitasque faces. sed non conatibus istis
Annuit, at totum contemsit mascula Cyrum
Virgo, nec, illustri quanquam, consensit amanti.
Dum pergit, crimenque jubet, visque addita verbo est.
Facundam facit ipse timor. gressuque reducto,
Quid, Princeps, moliris? ait. sim rustica quamvis,
Casta mihi mens est. non hæc poppysmata mater,
Non docuit nos ista pater. sim subdita quanquam,
Non cogar peccare. tuis sine crimine jussis
Obsequar. & quamvis regum placuisse tiaris,

Eximium, magnumque putem; tamen illa favoris
Displicet & sordet species, quam damnat honestas,
Et sacra pietatis amor. parebimus aulæ,
At Superis cœloque magis. cum deficit illa,
Deficit obsequio populus. nil jussa moratur
Improba, relligio. mihi simplex vita rudisque est,
Luxuriosa tibi. mihi connubialia cordi
Iura sacerque thorus. pellex projecta vocari
Nolo, nec hæc nostri victrix erit aula pudoris.
Te gravitas, te, Cyre, decet reverentia vitæ,
Nec qui cuncta jubes, veniam sortitus iniqui es.
Plus virtus in Rege micat. conspectius omne
In te crimen erit. quantaque in luce gubernas,
Committes tanta facinus. Te civibus æquum est
Vivere in exemplum & leges præscribere factis.
Hæc tua, quæ toties hostili sanguine dextra
Immaduit, tetigisse volet, quos abdidit æther
Occuluitque sinus? oculis scortaberis istis?
Quos ferus Euphrates, quos belliger horruit Indus,
Armeniusque celer. quod duri militis ausus
Contudit os, lasciva potest & mollia fari?
Ne viola, sim rapta licet. sum rapta parentum.
Nec tua sum, nisi flagitio. si sufficit, agris
Subduxisse, tuum est, quicquid prædator habebis.
Sic juris vis norma tui est; & regula facti,
Quicquid velle libet. libertas regia fines
Virtutis transire cavet. servitque potestas,
Quam domat imperiosa Venus. sub rege modesto
Tuta pudicitia est, & iniqui crimen amoris
Castigant, qui sceptra gerunt. te, Cyre, parentem,
Te civem facilemque proba. succurre puellæ,
Et me redde meis. pater est mihi vilior Ægon,
Et Mycale genitrix. potius mulctralibus apta
Inveniar, rurique meo, quàm grandibus aulis,
Quàm thalamis, rex magne, tuis. me Phyllidas inter
Linque meas. alia recreent se Thaide Persæ.

Substi-

Substitit ad promtas generoso pectore voces
Rector Achamenius, monitusque & verba recondens
Optima, majores animos à virgine sumit,
Et peccare timet. nec jam sibi pellicis optat
Obsequio servire malam, sed jure maritæ.
Diligit Aspasiam titulo meliore, thoroque
Iungit & illicitos longè proscribit amores.
Intereà Damon post tædia longa viarum
Susa petit, magnamque vagus pervenit in urbem,
Quò furor impulerat Paphius. spes lactat inanes,
Et se quæsitæ solatur imagine sponsæ.
Regia tecta subit. mediis sese ingerit audax
Porticibus. quà turba Ducum ferventior, intrat,
Dissimilisque habitu, fragrantem murice Medum,
Sidoniasque stupet chlamydes, aulæa, penates,
Et mores alios, & non exercita ruri
Officia & tantæ miratur nomina pompæ.
Iam manibus detracta recens ex ilice virga est,
Solamen fulcrumque viæ. de vertice palma
Pendebant folia & ramus viridantis olivæ.
Laxa viro vestis, sed lanea: pendula nullo
Ordine cæsaries, facies incompta rudisque,
Qualem pastor amet. talem se Heroibus addit,
Et Ducibus graditur comes & magnatibus adstat.
Vtque coruscanti procedere vidit in auro
Aspasiam, Regemque; & amicas jungere dextras,
Et populo assurgente coli: velamina sterni:
Vt festas audit voces, & verba rogantum:
Ereptamque sibi meliori sorte puellam:
Infremit irato similis, causasque doloris
Adspicit ipse sui. submurmurat, invidet, odit.
Dumque loqui timet, occulto plus mussitat ore,
Et quassans caput adstanti subsibilat ostro.
Ambulat, itque reditque frequens; circumspicit omnes,
Spectat spectaturque simul. pendentia jactat
Brachia, diducitque manus. jam signa dolentis,

Nunc indignantis speciem, nunc edit amantis.
Tandem compressam rupere silentia vocem,
Verbaque præcipitat, sed paucula. Tu mihi, dixit,
Iampridem dilecta vale. præ regis amore,
Sordet amans pastor. tenui plus fulgida cannâ
Sceptra placent. humili præfers palatia tecto,
Magnificasque trabes. potuit tibi teda probari
Splendidior, vilisque fui præ Principe Damon.
Cyrus, ut arrectis hæc cominus auribus hausit,
Constitit, Aspasiamque rogat: quis pastor, & unde,
Quid velit. Illa procum non indignata fatetur,
Et spretum toties juvenem. nunc vota jacere,
Spemque thori periisse viro. se Rege beatam
Conjugioque frui. nihil huic superesse, quod optet,
Quod speret, minus. hinc questus, hinc murmura nasci.
Advocat intrepidum Cyrus Damona, jubetque
Plura sibi, sine teste, loqui. secedit & aulæ
Dum secreta subit, juveni blanditur amicè,
Ingenium probat, & sinceræ pignora flammæ,
Innocuos questus. Thalamis, ait, optime, nostris
Aspasiam junxere Dii, tibi fata negarunt,
Et potior jam causa mea est. mihi debita conjux
Incedit, cunctasque audit regina per urbes,
Major sorte sua. sed enim tu dignior aulæ
Pars quoque, Damon, eris. quod si non conjuge, saltem
Principe me poteris felix divesque vocari.
Iam tibi vilescant villæ, jam sordida sperne
Rura laresque tuos, & nostris vive beatus
Auspiciis. majora dabo. plus regia spondet,
Quàm benè cultus ager. surgunt mihi splendida centum
Postibus & Phrygio constant laquearia saxo,
Aurataque domus. tuguri tu pauperis hospes
Squallida tecta colis. sternunt tibi vilia lectum
Stramina, vel graciles decerpti è flumine junci.
Hic tibi lecticæ grandes & strata parantur
Mollia, quæque gravem prolectet pluma soporem.

Hic

Hic aulæa nitent, picturatosque tapetas
Adspicis & regum positos hoc ordine vultus.
Rure vagâ tenuis discursat aranea telâ,
Et nitor omnis abest. hic dulcis gratia fandi,
Hic decorat nostros laudata modestia mores.
Rusticitas vestra est, atque omnis nescia cultus
Simplicitas, nescitque tuos fortuna penates
Ardua. nos titulos & magni nomina census,
Præturas fascesque damus. decernit honores,
Et confert regalis apex. hic area laudi
Materiesque patet. patriam defendimus armis,
Vos imbelle pecus. rutilum nos stringimus ensem
Dum vobis sulco attritus splendescere vomer
Assolet. infestum muris depellimus hostem,
Subruimus Grajûm portas, invadimus urbes;
Vobis gleba labor. vos ferro scinditis agros,
Et brutam laceratis humum. paupercula messis
Cum solatur opus, nostras Daphnæa coronant
Serta comas, scribuntque omnes præconia fasti.
Ingentes si poscis opes, mihi copia rerum
Suppetit & dites lassant æraria gazæ.
Paupertas, immunda domus, servilis egestas,
Sunt procul à nobis. quod si tibi grata voluptas,
Invenias hic mille modos, seu ludere disco,
Seu libeat teretes contorto verbere fundas,
Aut hastas vibrare manu, torquere sagittas,
Aut sternacis equi duris premere ora lupatis.
Ipsa suo gravis est veniens Aurora colono,
Multo rore madens. medii lux alta diei
Concoquit agricolam. pluviæ, ventique hyemesque
Frigus & immites tibi sunt pro dote pruinæ.
Est invisa filix segeti & Cerealibus herbis,
Et sperata seges vanis illudit avenis,
Fœtaque difficiles prosternunt culmina Cauri.
Non his aula malis, non his mea regia curis
Frangitur. æstivas sua fallunt otia luces,

Et læta currunt hyemes. hîc vina bibuntur,
Hîc lauta pellunt jejunia tristia mensa,
Et magis ingeniosa gula est. Quàm lacte, cumino
Vivere, vel beta, miserum: vel sectile porrum
Mandere, vel lento dentem vexare lupino!
Quid tondere juvat graveolenti vellere lanas?
Cogere palantes pecudes? supponere totum
Armento mammisque virum? virgulta capellis,
Aut salices monstrare? sues deducere pastum?
Nunc apibus donare favos, regemque notare,
Nunc fucos arcere graves? hîc altera regni
Apparet facies; & digna negotia curat,
Quisquis homo est. alia se majestate tuetur,
Quem ratio, pulchrisque beat prudentia factis.
Quod si privatis præstat res publica rebus,
Vita mihi melior. modici te cura peculi,
Immensi nos orbis habet. Tu jugera claudis
Imperio vix bina tuo. me Phœbus adorat,
Quà cadit & surgens calido se tollit ab Indo,
Thrax timet, extremi venerantur nomina Seres,
Atque alibi Chalcedon amat, formidat Araxes,
Et gelidi sinus Euxini, & Mæotidis unda.
Hic famulas tibi quisque manus, hîc pocla minister
Porriget, & multo implebit carchesia Baccho.
Hic nutu mandata dabis. diceris amari
Regibus, & toto tibi plaudent oppida regno.
Sat stivæ rastrisque datum. mihi candide, posthac
Officiis studiisque vaca. deserta relinque,
Linque domos, campisque horrescens culmen apertis.
Si non Aspasia potuisti uxore potiri,
Me potiere. tibi Pariis suffulta columnis
Tecta dabo, & cultos apricis collibus hortos,
Arte laboratas vestes, & textile tegmen,
Quodque tibi talos ibit velamen ad imos.
Nobilium adjiciam titulos, aurique talenta,
Quique vehent rapidi passim per compita currus.
Pluraque

Pluraque si cupies, cupiam dare plura petenti.
Hac Cyrus. cum facundo, jam lenior ore,
Damon ait: Ne fucatis sermonibus aulas,
Cyre, proba, rurisque mei praconia, Princeps,
Detere. quod primum est, pietas, candorque fidesque
Exulat his laribus. vos hac privata putatis,
Et civis documenta boni: regnantibus omne,
Quod libuit, licuisse; alia nec lege teneri,
Qui populo imperitant. Quanto imperiosior orbi est
Quisque, Iovem curat minus & contemtor Olympi est.
Aut nullos habet aula Deos, aut segnius illos,
Quos habet illa, colit. nec enim se numine egere
Autumat, in terris quisquis pro numine habetur.
Qua facienda jubet, leges quas purpura condit,
Condere vult aliis. veniam sibi criminis uni
Ipsa facit. vetitisque audax prior annuit, & quod
Imperat injungitque suis, detrectat honestum.
Ingreditur, sed ficta, gradu. dum comis haberi
Vult, simulat: gestuque levis mentitur amicum,
Et latam didicit frontem pratendere fraudi.
Diligit, ut noceat: quem prona amplectitur, odit.
Et quos esse cupit miseros, facit esse beatos.
Hic mala luxuries distentis prodiga cellis,
Et fastus populator opum stabulantur, & exlex
Absorbet nostros regum lascivia census.
Rara pudicitia laus est. cum conjuge scortum
Accubat, & thalamos effrons conscendit eosdem.
Vilis adulator, qua non probat, approbat. & quod
Dignum laude, notat. picto jacet ebrius ostro
Delator, magnaque bonos mercede flagellat.
Sunt vigiles ad lucra doli. divenditur aequum,
Et pretio prostant trabea. livorque secundis
Anxius alterius rebus livescit opimis.
Promissis facilis sua mox promissa retractat,
Sed levitate pari. rapiunt aliena potentes,
Nec proprii fines, nec regnum sufficit unum.

Spes mundos insana vorat, nescitque libido
Imperii constare sibi. mox sæva misellos
Exercet censura reos, pœnasque relaxat
Divitibus. quoties indignis præmia cedunt,
Et probitas contempta luit! quàm limina Reges
Ambitiosa terunt! quàm se regalibus illa
Infert vestibulis pestis, quæ grandibus æra
Faucibus & pandis deglutit rictibus aurum!
Hæc tua, Cyre, domus. tali penetralia fervent
Remigio scelerum. tales invitor ad artes.
His mea rura carent. non ista piacula damnant
Agricolam. si rusticitas tibi spernitur insons,
Hac liceat, sine labe, frui. venerabilis aula est,
At metuenda magis. multo spectabilis auro,
Nec minus & vitiis. quos vult, extollit in altum,
Vt modo præcipitet. Ne splendida tecta pyropo
Objice, barbaricisque intexta monilia baccis.
Plus secura suo est agrestis villa colono,
Nec custoditum cataphracto milite limen.
Si te Persa colit, si te veneratur Orontes,
Et qui Phryxæam Thrax accolit efferus Hellen,
Quos metuas, regnator habes. sint fercula mensis
Illecebrosa tuis. capiti non una minatur
Sica tuo, lautisque instat cervicibus ensis.
Plus mihi fumifero per brumam cocta camino
Perna sapit, præstatque tuis lac dulce placentis.
Nil moror ignota collectum carne minutal,
Libaque, vel tortis Cerealia crustula spiris,
Infectasque dapes moscho, lentisque zibethi
Sordibus, & valido viduatos furfure panes.
Me melior natura fovet; sine fraude ministrat,
Quicquid læta Ceres donat mortalibus agris,
Pisa, fabas, miliumque recens, gratosque palato
Seligo phaseolos. Superûm bellaria sordent,
Delitiasque Iovis cocta sat lente lacesso.
Cœna mihi brevis est, properataque prandia laudo.

Et

Et quoties genio juvat indulgere, parantur
Iuscula de rapto teneris ab ovilibus agno,
Aut olus, aut herbis macerata mollibus offa,
Et pultes liquidæ & ventris buccella falisci.
Pastillos fastidit ager, nardumque crocumque
Balsamaque & crispis servata unguenta capillis.
Hæc oleat, malè quisquis olet. mihi barbiger hircus
Suavius oppedit, quàm qui Ruffinus in aula
Ambulat & pinguem spargit per strata Sabæum,
Viscosisque Arabum tingit sua tempora succis.
Bella probas; fusoque undantes sanguine campos,
Commissasque acies, & castra minantia castris.
At bellare furor, rabies pugnare ferarum est,
Non hominum. nulla populos collidere causa,
Impia flebilibus miscere incendia bustis,
Crudelesque animos humano sanguine pasci,
Turpe ferumque puto. non hæc mihi barbara laudis
Materies, non illa placet quæsita cruento
Gloria flagitio, & tot cædibus aucta potestas,
Quosque sibi struxere nefas vitiumque, triumphi.
Exeat in cunctas diffusa potentia terras,
Hic te Thermodoon, illic agnoscat Hydaspes,
Ad Gangem tua castra loca, vel Phasidis amnem;
De puncto labor omnis erit, spatioque sub isto
Sceptra, pedum, pastor pariter concluditur & rex.
Sors privata mihi; tantoque beatior omnem
Invidiam secreta fugit. benè vixit ab isto
Qui semotus agit strepitu. tutissimus ille est,
Qui latuit, notusque sibi est. non ille favori
Servit adulator, regesque abjectus adorat.
Cum Iove res nobis. Superos oramus. amicos
Poscimus Æolios fratres, Solemque, Notumque
Imbriferum. placidi nobis clementia cœli
Sufficit, atque isto rerum tutore beamur.
Sic primi vixere patres, & pastor Amyntas,
Daphnis, & Admeti tauros qui pavit Apollo,

Et cum Pane Cyclops, & custos Virginis Argus,
Iapetusque senex. bobus diffindo paternis
Rus modicum, nec me sumptis in fœnora nummis
Sorbet edax usura. ferox cum concutit urbes
Odrysius, non me litui, non classica inermem
Sollicitant, armantque manus hastilia nostras.
Non tumidum ratibus teritur mare. rostra, curules,
Et quæ clamosis fervent fora turbida rixis,
Et populi vito fastus civesque superbos.
Hoc potius curæ est: ulmis adjungere vites,
Aut procul errantes per roscida prata bidentes,
Aut spectare alta pendentes rupe capellas,
Aut plantare pyros; vel falce recidere quicquid
Frugiferum minus agricolæ bis vota fefellit.
Cum libet, aërii mellis cœlestia dona
Colligo, Cecropiosque choros per prata, per hortos
Ponè sequor, videorque aliquid, te principe, Cyre,
Dignius adspectare. ducem regemque severi
Agminis, obsequiumque noto, curasque volantum,
Iuratamque fidem. domino cum mollia donant
Vellera lanigeræ pecudes, holoserica sperno,
Palliaque & Tyrio vitiatas murice vestes.
Cum caput Autumnus maturis extulit uvis,
Poma fatigatis carpo pendentia ramis,
Ebriaque aggestis spumant mihi prala racemis,
Quos tibi, Bacche pater, tibi vel, Sylvane, sacramus.
Fessus in umbrosis depono membra salictis,
Vel viridi recubans patulæ sub tegmine buxi
Naturæ contemplor opus, Divûmque labores,
Quæque fluant in nos mutato sidere causæ.
Hæc inter celsis labentes montibus undæ
Lene strepunt, captæque avium concentibus aures
Invitant placidos ad dura cubilia somnos.
Cum glacialis hyemis imbres noctesque nivesque
Comparat, & mundi facies ignava colono est,
Retia rara plagas venienti tendimus urso,

Auritos

Auritos sequimur lepores, damasque fugaces,
Aut capreas pavidas, aut altum in cornua cervum.
Tunc candent silvæ, tunc formosissima tellus
Albicat, & niveâ canent arbusta pruinâ.
Tunc epulæ cellaque dapes promuntur inemptæ,
Et nostras recreant innoxia fercula mensas,
Nunc patuli caules, nunc tuta à frigore rapa,
Nunc raphani & variis ovum tractabile formis.
Non magis Eoo collectis littore conchis,
Aut Afrâ delector avi. nil picta murana est,
Nil fastiditi Damonis gutture mulli,
Et scarus atque alio venientes æquore rhombi.
Est aliquid, fateor, Regi placuisse. sed ille
Quàm præceps fluxusque favor! vicinior ostro,
Proximior tumulo est. magnæ sunt regibus iræ.
Difficile est lenire graves. sine sanguine nescit
Placari vindex animus. saturabitur hoste,
Quem necat. & pœnas repetit vindicta feroces.
Tu tibi rex sis, Cyre, tibi prosperrima currant
Secula, perpetuisque fluant applausibus anni,
Damoni sua rura placent. nihil amplius opto.
Voti summa mei est, cultura feracis agelli,
Et pecus & pleno turgentes ubere vaccæ.
His studiis beor. haud alium me rustica mater
Edidit, atque istas genitor produxit in artes.
Deliciæ, luxus, Rex, purpura, sceptra valete.
Hæc postquam Damon fuit opportuna locutus,
Quæ quondam docuit senio venerandus Amyntas,
Deserit Aspasiam. faciesque augusta theatri
In juvenem conversa fuit. Rex ipse severas
Horruit ad voces & acuti verba bubulci.
Ante fores pilenta sonant, curruque superbo
Ad patrios vehitur Medo comitante penates
Magnanimus pastor. cui munera congrua Princeps
Adiicit, in media signatos fronte caballos,
Iugeraque & villas & prædia. quicquid amari

Agrico-

Agricolis solet & studiis agrestibus aptum est.
Diditur in terras rumor, nupsisse potenti
Aspasiam, & stivam impositâ regnare coronâ,
Reginas à rure peti, cum falce tiaras,
Cum stabulo mitram, cum vomere sceptra coisse,
Immensumque regi socia sub Phyllide mundum.
Ringitur impatiens Livor, per regna, per urbes
Mussitat, & sorti nimis invidiosa secundæ
Improba garrulitas, celeris mendacia famæ
In partes vocat, & rapti scelerata pudoris
Arguit Aspasiam. thalamis regalibus, inquit,
Rustica subrepsit pellex, pro virgine lenam
Cyrus habet, recubatque istis nova Thais in ulnis.
Hæc iterat, vocesque suas exaggerat audax,
Nec sibi ficta timet cunctas deferre per oras,
Spargere per vulgus querulum, cœtusque loquaces,
Patricias implere domos. assibilat aula
Ocyus. ingentem percellunt murmura Regem,
Credulaque admittit mendacem regia culpam.
Quid faciat? nec enim famæ temerarius audet
Rector habere fidem; & potuit modò tale vereri
Suspicio, dubioque hæsit sub judice causa.
Ad Superos itum est occultaque numina. summos
Sollicitat mens cæca Deos, verumque reposcit
Ex adytis. Nam lucus erat, quà maxima spectat
Icarios fluctus Ephesus, lucoque propinquus
Mons sacer, Oceanus cujus latus alluit unum,
Præcingunt aliud frondes. hic pendula celso
Canna loco, & servata diu vocalis arundo
Edebat vel acuta suos vel rauca susurros.
Si foret insontis nulli temerata puellæ
Virginitas, suaves reddebat tibia cantus,
Absolvitque Deus culpâ. si mollior illa
Succubuisse viro potuit; ceu conscia pravi,
Tibia funestum ructabat arundine carmen.
Hanc isto Deus Arcadiæ suspenderat antro,

Pan

Pan ovium custos. hæc læsi signa pudoris,
Hac voluit castam miracula prodere nuptam.
Huc abiit, magnâ matrum stipante catervâ,
Nil metuens Regina. Duces comitantur euntem,
Spesque suas frangunt mixta formidine Persæ.
Interea dum carpit iter, velocior antrum
Occupat impostor, cannasque & arundinis omnes
Sordibus & crassa ductus uligine complet;
Mutaque jam poterat vocalis canna videri.
Vt venere viri, propiusque in limine rupis
Constitit Aspasia, & jam conscia numina supplex
Et testes vocat ore Deos. patuere cavernæ
Ilicet, & streperi, laxato cardine, postes
Monstravere viam; latebrisque admissa profundis
Fare, ait, atque meæ fatalis fistula causæ
Accine. si nostis Superi & mortalia facta
Adspicitis, virtusque Deo rectumque probantur;
Rumpe tuam, jubeo, gracili modulamine vocem.
Dixerat: extemplo modulis cœlestibus omne
Insonuit latè specus, & vocalis arundo
Facta fuit, vomuitque ingestas tibia sordes,
Virginis illæsam cunctis confessa pudorem.
Non alios cantus udis in vallibus Hæmi,
Strymona vel propter, vates Rhodopeius olim
Threicia lusit cithara, non clarus Arion,
Non Linus, & plenis inflans pulmonibus utre
Marsya. concurrunt captæ dulcedine tigres.
Et rabiem posuere feræ. stetit unda canenti,
Ripaque oloriferi stupuit vicina Caystri.
Mitior adspirat Zephyrus. circum omnia fœtu
Pubescunt virgulta novo. quin pollice nunquam
Attactæ cecidere rosæ, violæque decentes
Aspasiæ cinxere comas. quacumque modesto
Incedit generosa gradu, grex castus Amorum
Advolat, & calathis fundit violaria plenis,
Innocuos testata sinus. hic candida spargit

Lilia,

Lilia, narcissos alius floremque ligustri.
Sic Cyro dilecta redit. tot testibus orbi
Extulit inculpata caput. diadema resumit:
Scandit ebur regina: suis se gentibus unam
Consiliis factisque probat: cum Rege marito
Ius loquitur populus: in partem femina regni
Accipitur. solus conspectu læditur isto
Livor, & injecto constricta Calumnia freno
Mutescit, mordetque suas irata catenas.

CYNISMVS,

Sive Cratis Thebani, Cynici Philosophi, & Hipparchiæ Thebanæ, Cynicam Philosophiam amplexæ,

NVPTIÆ.

QVid septemgeminas miraris, Græcia, Thebas?
Sidoniique stupes bellacia mœnia Cadmi,
Et natos tellure Duces? dirisque recentes
Cædibus immaduisse viros? quid regna profanis
Decertata odiis fraternaque jurgia jactas
Oedipodæ confusa domus? nec Tydea famæ
Eximiis, Argiaque thoros, multisque misellam
Cladibus Antigonen? quid mixtam conjuge magno
Alcmenam, Thebane, crepas, & fulmina molli
Fracta manu tenerisque Iovem latuisse sub ulnis?
Creta, sile; quamvis fœdi solentur amores
Pasiphaen, fallatque suum regalis amantem
Femina. non ultrà Stygio nuptura Tonanti
Persephone formosa timet; disparque cubile
Cyclopis Galatea fugit. confundere sus est
Corporaque & thalamos; nec vult jam forma pacisci,
Sed ratio; lectumque sibi Sapientia sternit,
Dum sponsum cupit esse Craten. Quæ monstra jocantes
Portendunt

Portendunt populis Superi! quis devius error
Naturæ pervertit opus? quonam omine ludit
Cæca Venus? poscitque sibi deforme cadaver
Virgo decens, rigidisque optat complexibus abdi?
Des quemcunque virum, nullo discrimine Cypris
Æstuat. in tetricis inventa est gratia membris,
Et splendor suus in turpi est; maculasque notasque
Laudat amor, distorta probat, vilissima constans
Diligit; & forti spernens mortalia risu,
Indecori sub pelle Deos Hipparchia prudens
Repperit, ac laceræ trito sub tegmine vestis
Non hominem, sed numen amat; secretaque Divûm
Consilia & Cynicæ scrutatur dogmata sectæ.
Dicite sublimes Thebæ, quibus arserit illa
Ignibus, & quali sapiens flagraverit æstu,
In solum conversa Craten. Tuque optima mundi
Diva, procellosi soboles clarissima Nerei,
Da fontes, Citherea, novos; portentaque rerum
Concubitusque truces aperi. ne balsama nuptis
Aut flores adsperge meis, myrtumque crocumque
Pallentesque feras violas. non ante penates
Pompa sonet, vel cincta suis pilenta ministris
Præradient ductura nurus. non turba coruscas
Attollat festiva faces, madeantque Lyæo
Atria, non opibus preciosa cubilia surgant.
Barbaricis dubiisque errent opsonia mensis.
Paupertas de fonte bibet, dapibúsque fruetur
Simplicibus generosa fames; quin pera, bacilli
Dos omnis Sapientis erunt, tenuisque severi
Vmbra supercilii nostros abscondet amantes.
Postquam parta quies Grajis, summumque cacumen
Nacta fuit magnis Sapientia nixa magistris,
In partes abiêre scholæ; verumque videri
Non simplex potuit. solvit discordia mundum,
Autoresque suos rixans doctrina diremit.
Namque aliis errare animas per corpora menti
Immo-

Immotum fixumque sedet, nec viscera condi
Visceribus lenes cupiunt. pars omnia nasci
Credit aquis, rerumque uni primordia debet
Oceano. terræ potius natalibus alter
Incubat, aut mundi deducit semina flammis.
Huic placitum fortuna facit; nec gnara Deorum
Relligio incerto volvi vult omnia casu.
Alligat hic fato causas, hominumque labores
Subdit sideribus melior. quæ cura beatos
Reddat, an humanas tranquillet gloria mentes,
An luxus populator opum, vel sæva cupido
Indomiti census, vel plausus nescia Virtus,
Quæritur. ille Cleanthea subsellia portæ
Et Stoam tonat. ille sui præcepta Lycæi
Colligit. ancipites triplex Academia voces
Ventilat. ingenti se judice quisque tuetur,
Quodque tenet, doctore probat. Distinguitur ordo
Porticibus, limenque suum divisa sequuntur
Agmina, Socraticâ quotquot fluxere cathedrâ.
Nec solum sors ista viros & mascula torsit
Pectora; se tantis illustris fœmina miscet
Partibus, & Cynico præstans Hipparchia tandem
Annuit, ac duri thalamosque ac sensa mariti
Occupat, & miseri felix fit conjugis uxor.
Illa Cupidineos inter pulcherrima cœtus,
Centum adamata procis, centum prælata puellis,
Tot potuit sprevisse procos. despecta potentum
Fœdera patritiæque preces. non fulgida vestis,
Implicitumque comis aurum, non dives Hydaspes,
Magnificæque trabes picturatæque columnæ,
Imperii decus & consors promissa potestas,
Spem fecêre thori. non illi ducere doctâ
Fila manu, aut tenues peccurrere pectine telas,
Aut saturata croco velamina texere pernox
Cura fuit. monitis animum cœlestibus implet,
Socraticosque bibit mores. non volvere libros

Desinit,

Desinit, antiquis vestigat prodita seclis,
Cunctaque Cecropiæ relegens arcana senectæ,
Naturæ rimatur opes, cœlumque Deosque
Et vitæ melioris iter, cur fleverit orbis
Fata senex, nostros alius deriserit actus,
Chrysippos, Stilponas, inexplicitosque Platonas,
Italicique soli patres. sordescit amator,
Hæc cum virgo legit. patitur Cadmæa repulsam
Nobilitas, nec grata ferunt responsa curules.
Sic præfracta stetit, solers cum sperneret uxor
Dulichios Samiosque & quos tulit alta Zacynthos,
Antinoique minas. tales Atalanta Pelasgos
Noluit. & quamvis Phœbus donaret Amyclas,
Mars Rhodopen, geminos renuit Proserpina Divos.
Fortè pater, dum læta parat convivia, longo
Ordine disponit proceres, quos inter honorum
Contemptor sedet ipse Crates, nec dogmate dispar
Filia, & arrectas præbet sermonibus aures,
Vni intenta Crati. patrii primordia regni
Dixerat Archidamus, structasque Amphione Thebas,
Et fratrum crudele nefas ac nescia sceptra
Ferre parem. veteres Alcon reminiscitur ignes,
Exstinctasque faces Herus, adversaque flammis
Æquora. lascivas Ephyrææ Laidis ædes,
Venalemque levi preciosam Thaida Grajo
Inter pocla refert Lasius. mox Isthmia Chalcon
Præmia & Eleæ recitat certamina palmæ,
Fumantesque rotas attritaque littora cursu,
Et rapidos Hieronis equos. Tum docta resolvit
Ora Crates, quantumque aliis deformior exstat,
Hæc loquitur melius: quæ nos, quæ causa crearit
Sidera, quæ medio terras librarit inani
Abdita vis: quam se spatiis immanibus æther
Explicet: ut vastos mens exporrecta per artus
Molem agitet: cur discretis cœlestia currant
Corpora corporibus; varios Latonia vultus

Induat,

Induat, & fratri mediis concurrere signis
Horreat; unde maris, quos hora reciprocat, æstus;
Quæ tempestatem rabies Caurosque furentes
Præcipitet, cur flexa ruant devexaque ripis
Flumina, & illimes scandant fastigia fontes.
Hinc aperit, quam sint aurai simplicis illæ
Rectrices factorum animæ; cur sola seipsam
Norit & aspectet ratio, per regna vagetur,
Circumscripta domi; parvaque recondat in aula
Rerum mille notas, quas mox depromere possit,
Cum volet: an membris hærens mortalibus unâ
Involvat se clade ream, num funeris expers
Ætherea felix cœli statione locetur.
Nec non & mores hominum, deliraque falso
Secula & immersum vitiorum gurgite vulgus
Perfricat, utilibusque monet præponere rectum,
Pauperiemque bonos doctor commendat in usus.
His Sapiens cunctos dictis erexit, & omnis
Postquam exempta fames epulis, Hipparchia totum
Possedit commota virum. mens omnis inerrat
Vultibus, & quamvis posset timuisse docentem,
Ardet amans. hærent infixæ pectore voces,
Verbaque, & egregii gliscunt occultius ignes.
Sæpius absentem memorat velletque loquenti
Ire comes, magnos altis persæpe medullis
Eructat gemitus, & primi ignara caloris
Diffidit malesana sibi. nunc damnat amorem,
Nunc probat. invisa est sperati forma mariti,
Sed potior doctrina placet. contraria votis
Expetit, atque animum nunc huc, nunc dividit illuc;
Quemque odit refugitque, cupit; culpamque fatetur
Confessus secreta rubor. nox ægra quietem
Surripit, & nullum miseræ dat flamma soporem.
Abrumpat festina moras; sed saucia castus
Corda pudor revocat. jam victa modestia sexus
Succubet imperio Veneris; sed jussa retractat

Virginea

Virgineæ gravitatis honos. Ergo, Ibimus, inquit,
Amplectarque Cratem, & tumidis audacia labris
Basia defigam supplex? non talia mater,
Non velit hoc charus genitor. quonam usque, verende,
Cunctaris mea vota, pater? quid differo jungi
Nobilibus? tantasque preces implere recuso?
Ecquid Agenoreæ lectissima nomina gentis
Seligis infelix virgo? moremque secuta,
Eximium forma juvenem & florentibus annis
Toscis, & augusta frueris jactantior aula?
Heu! quid agam? num luxuriam fastumque jocosque
Divitiasque leves, irritamenta malorum
Experiar? rursusne procos contemta priores
Admittam facilis? non hoc calcator honorum
Suaserit hic animus; tugurique habitator & hospes
Magnarum securus opum; non doctor Hymetti,
Quem dira insontem dudum rapuere cicutæ.
Te sequimur, gibbose Crates. tu pulcher haberis,
Tu dives, qua parte sapis. te judice parvo
Vivitur, & vili concedit purpura panno.
Tu nobis uno minor es Iove. præsidet orbi,
Qui docet. Eois se latius explicat agris
Cuncta sciens. etiam subigunt hæc sceptra rebelles,
Quæ motus ratione domant. te teste triumphat,
Qui poterit rex esse sui; non indigus auri est,
Qui caruisse volet. claro supereminet ortu,
Simplicitas cui stemma facit; nescitque dolere,
Cui modicè gaudere satis. præceptor honesti,
Me cape consortem thalami, me posthuma dicat
Fama tuam, atque uno tecum jacuisse cubili,
Et socias junxisse manus, fovisse lacertos,
Teque sinus tetigisse meos. Hac sæpius illa
Ingeminat taciturna domi, lentique videntur
Ire dies, currusque suos non flectere Thœbe.
Cum sedet, & tabulis quiddam consignat, aberrans
Pingit dextra Cratem; dictis improvida miscet

Lingua Cratem. fallax objectat inania Morpheus
Somnia; dumque silent homines, fugientibus illam
Ludit imaginibus; visusque est paupere amictu
Stare Crates, legesque suas recitare jacenti.
Tandem ait: Apta meis quaerenda est nuncia votis,
Ingenio tentanda via est. si prodere semet
Horret amor, scribique vetat mea vulnera chartis,
Muta loquar. laus est etiam prudentis, amare
Cautius, & sic ut possis celasse videri.
Est sua vox oculis, est risibus insitus ardor,
Nutus verba facit. discunt ab amantibus artem
Plurima. nos Cynico nostros testabimur ignes
Floribus, & pro me cupiet Pomona procari.
Hæc interpres erit taciti facunda doloris,
Arbitra conjugii. capta est Schœneïa pomo,
Et pia Cydippe. quin inter florida rura
Melliferosque thymi campos & gramina veris,
Sicaniam teter sponsam Summane coronas,
Ignaramque rapis. Vix dixerat; ocyus omnes
Colligit Aoniis fragrantes montibus herbas,
Delitias, Aurora, tuas, quos Phocis odores,
Quos Parnassus alit, quæ pinguis Achaïa mittit
Munera, vel Sicula pubescunt latius Hybla.
Colligit in calathis violas, casiamque rosasque,
Quales ipsa tibi Cypris donasset, Adoni.
Colligit hic niveos, hic luteolos hyacinthos,
Pomaque lecta manu, quæ vel Phæacia vincant.
Omnia quæ docta format solertia dextra,
Vt Veneri placuisse queant. sua brachia nectunt
Implicitæ sertis hederæ, promittit amores
Myrtus, & humidulis vaccinia mixta ligustris,
Et quæ flammeolæ connivent vertice caltha.
Fortè alibi è pomo sculptam circumdabat Ægon
Phyllida, vel pulchram tangebat Tityrus Æglen.
Forsan vimineo Martem cum Cypride loro
Strinxerat, aut timidam Daphnen prendebat Apollo.

Tum Cydnen vocat, & nitidis digesta canistris
Mittit dona Crati; quo se cognoscat amari,
Vel donis illectus amet. Stat torvus Alexis,
Et tantas fastidit opes & dona ferentem.
Dumque apinas hominum, dum Divûm cogitat iras,
Aut Superûm mediis mentem penetralibus infert:
Nec dominæ secreta capit, nec munera curat,
Aut, quæ Dædaleis vafra occultaverat herbis
Sedulitas commenta, notat. Cythereia risit,
Riserunt unà Charites. hæc molle severis
Esse jecur negat. hæc succo meliore creatum
Dicit Aristippum. frigent subsellia, clamat
Euphrosyne, sævumque refert Polyphemon amasse.
Ipsa suis fertur risisse Hipparchia cœptis,
Invenitque stupor veniam. non congrua sentit
Se misisse Crati. nec enim vel pectine Mavors,
Aut Iuno frameis, vel diro fulmine Pallas
Debeat, aut viridi placari Stoa ligustro.
Quid faciat? quæ lenta prius celaverat æstum,
Iam decepta furit. Superest, ut cominus (inquit)
Bœotum Paphiis cor impenetrabile telis
Adspectu propiore domem. flagravit Iason,
Vt vidit. Telamona oculi traxere procaces
Hesiones, Paridemque Helenes, & Castora Phœbes.
Surgit, & extemplo patriæ pro moribus urbis
Eligit ornatus, quales venerabilis olim
Sestia, Cecropidûmque nurus gessere superbæ.
Stringit honoratos in nodum fascia crines,
Et Tyria velat candentia tempora vitta.
Inserit hîc gemmas, & eburnea colla monili
Circuit, & fulvâ subnectit jaspide pectus,
Sic forsan placitura Crati. non dignior aula
Frontis honos; roseo depictis sanguine malis
Candida temperies inerat, laxataque palla
Indignam verrebat humum, non improba gestu,
Non tremulo lasciva gradu. Thaumantia nunquam

Pulchrius explicuit lætis mortalibus ora,
Aut Thetis Æmonii vadens ad limina Pelei.
Talis adit quæritque Craten. occursat eunti,
Per fora, per vicos graditur; modo lumina coram
Obiicit, & modo transversis aspectat ocellis.
Itque reditque viam toties, sequiturque præitque,
Si qua trucem mollire queat, visuque severum
Leniat. ut prudens stabuli pecorisque magister
Excitat armentis rabiem, cum primus amoris
Afflat odor nares propius penitusque medullas
Vrit. At ille suis monitis immota gerebat
Pectora, non aliter, quam si Marpesia tundat
Saxa vel Ionii latus implacabile dorsi
Adria. non unquam adspectu dignatus euntem est,
Non caput obstipum flexit, non obvius ire
Gestiit aut placida gradientem voce salutat.
Ter conata fuit facti recludere causas,
Ter timuit. ter limen adit, ter deserit excors.
Vix aberat, quin illepido sua brachia collo
Iniiceret prior, & sic instigaret inertem.
Lingua, manus titubant, nondum rationis & æqui
Immemores; coramque viro peccare verentur.
Deficiunt in amore doli, fraudesque pudicæ
Destituunt dominam. geminis depulsa virago
Præsidiis, per tecta, domos lymphata vagatur,
Responsatque sibi: Quæ me dementia cepit?
Quæ me Manas agit? quo nos discrimine raptas,
Diva Paphi, miseramque trahis? quænam ista jocandi
Sævitia est? semperne meis bacchabere rebus,
Avertesque Craten? cur non uxorius ardet,
Aut flammis calet ille meis? sine sanguine, nervis,
Totus hebet, languet sapiens, vitatque sequentem,
Sarmatica nive vel gelida Mæotidis unda
Frigidior, placitoque mihi dissentit amori.
Ah, nimium, Cadmæa, times, furtivaque sensus
Flectere nequicquam duros, Hipparchia, tentas.

Eloquar?

Eloquar? an ſi'eam? veniam ſi cuncta rogandi
Conceſsit Citherea viris, qua lege tacendum
Virginibus? cur diſsimiles, cur diſpare nati
Conditione ſumus? titulo ſi vivere certant
Nobiliore mares, ſi major gloria ſexus,
Debebat magis ille coli, debebat amare
Virgo prior. dominis fas eſt occurrere matres,
Quas voluit lex priſca pati. num Colchis amavit
Æſonidem? num ſe profugo pulcherrima quondam
Confeſſa eſt Phœniſſa duci? num prima Phaonem
Lesbia deperiit Sappho? tot teſtibus avi
Pandar tota Crati, exemplis peccabimus iſtis.
I pudor. occultis, duriſsima Numina, fatis
Cogimur. heu, quantis lecti conſortia conſtant
Motibus, & quam non una eſt fortuna cubilis.
Diligo, quem quavis Diris ultricibus uxor
Devovet, & ſponſum timeat male nubilis Ate.
Diligo, quem generum fugiunt materque paterque,
Affinem cognata domus, proavuſque nepotem.
Diligo conjugii pœnam, cui nubere nollet
Rancida, turpis anus. Vivum mihi poſtulo funus.
Inviſamque meis inferre penatibus umbram
Molior. hoc dignam ſperamus conjuge prolem.
Huic ridere libet. chari, precor, ite parentes,
Compellate Cratem, & veſtræ miſereſcere natæ
Si vacat, hunc ſociate mihi. ſit fœdera pridem
Diſſuaſiſſe ſatis. non nunc ambagibus ultra
Eſt locus. inſolito thalamos tentabimus auſu.
Aggrediar, cogamque virum, jurabit amanti
Dextra fidem; vel, fruſtrati grave pignus amoris
Vltrix dextera erit. reddar contempta tenebris,
Quamque ſuus decepit amor, ſolabitur ira.
Sic effata, manu rorantia lumina terſit,
Subſeditque furor lachrymis. velut horrida quando
Vis Borea ruit & fluctus ad ſidera tollit,
Ilicet imbrifera componunt flabra procellæ.

Nec mora. magnanimæ præsens ante ora puellæ
Adfuit ipse Crates, quem tum penetralibus imis
Abdiderat genitor, dictis ut flectat amicis
Pectora & insano moneat desistere cœpto.
Adspicit Abscondi sobolem spectata Maronis
Filia, spesque suas inter gaudensque dolensque
Constitit, attonitæ similis. nunc præripit illi
Verba pudor, nunc reddit amor. fiducia linguæ
Fracta metu titubat. quæ mox collecta recepit
Robur, & has orsa est pulsa formidine voces:
Si mea cum priscis componam fata puellis,
Magne Crates, thalamum diversa sorte meremur.
Partes mutat Hymen. quam Dî voluere rogari,
Conjugium rogat, & leges invertit amandi.
Non mihi Persarum gaza, Pelopumque petuntur
Scrinia, non epulis volupe est accumbere Divûm,
Aut Tyrio recubarè thoro. non dedita vivo
Corporis arbitriis, aut suadens prava libido
Virgineos hebetat sensus; nec amicta dolosis
Illecebris, altaque tumens cervice juventus
Diligitur. doctis juvat impallescere chartis,
Et vulgo distare rudi, lucesque legendo
Fallere. discordes Grajorum expendere sensus
Cura laborque mihi est. per tot suffragia judex
Æqua mente feror. dixi: Stagira, superbis,
Virtutemque cupis plausu clarescere vulgi,
Atque opibus splendere magis. nec mollia nobis
Persuasit præcepta senex, cui sola voluptas
Dogma facit, dignosque viris effœminat actus.
Nec dubium Pyrrhona probo; jurataque cuivis
Vero verba sequor; non delassata silendo
Atria, non Phariis pulsata vocabula sistris,
Non vates, Chaldæe, tuos. non quicquid aruspex
Garriit aut mediis Tuscus quæsivit in extis,
Invenere fidem. Stoa placuere recessus,
Tuque Crates. nullo constricta licentia nodo,

Exulat

Exulat hoc animo, figendaque ſenſibus hauſi
Acrius; & cœpi, te præceptore, ſerenum
Læta ſequi virtutis iter. Poſtquam omnia magno
Plena Deo didici, puduit peccare Deorum
Ante oculos, pravumque ſequi. laſciva procantum
Ceſſit turba procul. recto poſtponimus, orbis
Quicquid grande putat. quicquid miſerabile, pulchrum
Cenſet inops probitas. erecta ſcientia cordi eſt,
Ignaros odiſſe. levi mutabile ſorte
Diſplicet ingenium, & ſuetum popularibus auris
Veſcier, & latam ſpeciem prætendere fraudi.
Quo natura caret, modico ſaturata, repellam
Omne ſupervacuum. tenerum patientia corpus
Inſtruet, & nulli diſcet ceſſiſſe labori.
Fortunam quamcunque feram, nec læta ſecundis,
Nec dejecta malis. placet oblatrare profanis,
Et verbis mordere malos, mulcere benignos.
Nil in morte mali eſt, quia præſens deſinit eſſe,
Abſolvitque reos. ideò nec buſta rogique,
Non pœnæ inſontes, non flagra minacia terrent.
In genibus ſors iſta Deûm eſt. ſuprema malorum
Grata ſuperveniet, ſi non optabitur, hora.
Diſcendum reor, ut juvenes mens ſana gubernet,
Soleturque ſenes; eadem locupletet egentem,
Et dites ornet doctrinæ opulentia cenſus.
Neſcia adulari, nullis preciove metuve
Ad nutum loquar. hæc vita liberrima nobis
Sors erit. at populus quoties me ſibilat, ipſum
Sibilo. & humanum nihil eſt, quod ſeria mirer.
Hoc ſi dogma placet, cur non placuiſſe magiſtro
Virgo ſequax poterit? cur non cum dogmate poſſit
Arridere tibi jam plenis nubilis annis
Virginitas? in me nihil amplexabere, quod non
Sit conforme Crati. me, dilectiſſime, me me
Sume thori ſociam, & propria dotabere ſecta.
Tota forem Cynica, hoc unum ſi fœmina poſſem,

Non adamare Craten. uni huic succumbere culpa
Cogimur. hunc unum liceat sperare dolorem.
Talibus orabat, tales Hipparchia voces
Edidit. ast olli gelidus per dura cucurrit
Ossa tremor, sensitque sibi prafracta moveri
Corda Crates, tetricum magno si pectore possit
Excussisse Deum. Quid me, nitidissima, quid me,
Inquit, amas? vivis cur jungi mortua poscis
Corpora corporibus, studiisque illudis amantum?
Nubendum, sed sorte pari. tam dispare teda
Iurgia lectus alet. similis concordia forma
Nectit amicitias; invisaque gaudia discors
Vultus habet. semper deformis vile mariti
Est precium. jus omne sibi formosior uxor
Vendicat, hac metui cupit, hac patrimonia cultu
Lancinat, hac aliò peccantem flectit ocellum.
Hunc petit, huic petitur. complectitur Amphitrite
Nerea, sed pulchrum. juveni resonabilis Echo
Commoritur. cur? pulcher erat. formosa Lacana
Formoso nupsit Paridi. me territa mater
Horruit, ut vidit genitum. risere propinqui
Has in fronte notas, hoc pandi dedecus oris,
Informesque manus. defluxit gratia simis
Naribus. hac turpi facies larvata colore est.
Prodigium est, quodcunque vides. En, adspice nudum,
(Et simul à fœdis projecit pallia membris)
Hic tuus est, insana, Crates. quocunque tueris,
Portentum ferale traho. qua pagina talis
Ulla viri meminit? quibus unquam secula terris
Conjugio junxere parem? quid? ne qua vacaret
Pars ignominia, scapulis intexuit error
Hoc onus. hunc pressa validè cervice revinctum
Vix humeris portamus Athon. sic rideor, alter
Enceladus Briareusque vocor. sum sarcina partim et
Bajulus ipse mei; &, qualis Berecynthia mater,
Turriger incedo, gibbo prostante, per urbes,

Pragre-

Pragrediorque mihi. videor de parte renasci,
Et prodire novus. spectа distorta meorum
Crura pedum, curtumque femur; nec vergit in æquas,
Cum librare volo, corpus damnabile lances.
Non mihi Acidaliis fibræ caluere favillis,
Non Veneris lusus, Veneris nec præmia novi.
Conjugis officio fungi, res proxima valde
Servitio est; nomenque patris, me judice, vox est
Mancipii, crescunt pariter cum prole labores
Ærumnaque novique metus. si femina mundi,
Si rerum studiosa studes cognoscere causas,
Cælibe nil melius vita; nec, conjugis illa
Ingenium nescire, nefas. Mihi ducitur ætas
Inconcussa malis; tu mollis, compta, venusta es,
Apta jocis. tibi post fœcunda tot oscula matri
Esse licet; mihi nunc in rugas fluxit aniles
Annorum series. Cynico plausisse docenti
Res facilis; sed jussa sequi rigidissima, grandis
Est opera. sunt farra meis data fercula mensis,
Sunt picta lugubre fabæ, fatuique saporis
Beta. domus mihi nulla. vagor per rura, per agros.
Advena sum, quocunque feror. calcare pruinas
Hybernasque nives, sulcis committere plantas,
Sunt studii documenta mei. mihi culcitra saxum,
Aut cunctis commune solum. pars una peculi
Palliolum est, pera est, pars altera, tertia stipes.
Quod reliquum, Tethys habet; omne à fluctibus aurum
Tunditur, abstrusis effossa pecunia terris,
Ne noceat, rursum cæca occultatur arena.
Vis turpem, vis virgo, inopem? vis pauperis hæres
Esse fabæ? aut, mea quem circumfert dextra, bacilli?
Ne, mulier, tam dura tua præscribe juventæ
Imperia. auspiciis, reor, & Iunone secundâ
Deberis procerum thalamis. hoc vota parentum,
Hoc audet spondere Crates. his annue, meque
Desine teque tuis incendere, Diva, querelis.

Illa refert. mihi nudus, inops arisque larisque
Diligeris peterisque, Crates. si forma laborat,
Forma bonum fragile est. si vultu credimur esse
Dissimiles, hac culpa Deûm est. si turpis haberis,
Nil ego turpe puto, quicquid splendescit honesto.
Non ego formoso quicquam debere marito
Sponsa velim. quæ forma negat, doctrina resarcit
Pulchrior. incomptum certe dilexit Vlyssem
Icaris, & nitidam torvus Minoida Theseus,
Loripedem regina Paphi. pro conjuge nonne
Bella Pelethronii Lapithæ gessere, trucesque
Semiviri? & rutilos capulis radiantibus enses
Pro sexu strinxere meo? cur vincula lecti
Displiceant? non fas sapientem spernere, quicquid
Cælicolæ sanxere graves. si fœda voluptas
Crimen habet, sine crimine ama. si tempora somni
Deploras periisse tibi, vigilabimus ambo,
Aut noctes partire mihi. quid fercla, fabasque
Obiicis? hæc mea sunt bellaria. porrige lentem,
Ambrosia est. da fontis aquas, venerabile labris
Nectar erit. natis malim, quàm vivere factis
A lixa dapibus. latices si vola ministrat,
Natura famulante bibis. sic publica mensam
Sternit sponte parens, ciceremque apponit inemptum,
Et porrum & mixtâ cichorea salubria malvâ.
Si domus, hospitiumque tibi, si tecta negantur,
At cæli convexa patent. quæ fabrica magnum
Clausit Alexandrum, nos fornice claudit eodem,
Nec dedignatur socios. Te pallia velant
Sordida, sed docta radiantia lumina mentis
Illustrant alta pressas caligine gentes.
Si sorpsit Neptunus opes, si gurgite mersas
Fluctus habet, non te gurges corruptior ævi
Transversum in fraudes rapiet. communia Divis
Omnia solus habet sapiens, quos fecit amicos,
Custodesque suos. qui summus regna gubernat

Iuppiter,

Iuppiter, hic tuus est. paribus distamus ab illo
Passibus. agnatus Superûm est, & proximus hæres
Iustitiæ cultor. baculo quo niteris, æquat
Sceptra Ducum, & regum trabeis securior audit.
Macte Crates, nec te pigeat pepigisse jugales,
Thebano plaudente, manus. miserere puellæ,
Quam neque luxuries vitiis, nec gloria fregit
Improba flagitiis, odiisque audacia vertit.
Tres sumus imbelles numero. sine conjuge virgo,
Hinc pater, hinc genitrix. tres solus perdere in unâ,
Tres servare potes. per conscia numina juro,
Socraticumque Deum & Cynicæ subsellia turbæ,
Conjugio me, magne Crates, dignare superbo,
Vt dicar vixisse tibi. sin flectere nondum
Vota precesque valent, tedas misera inter & ensem
Abrumpam cum morte preces. sejungar amanti,
Cui jungi me, sæve, vetas. amplectere sponsam,
Aut si, quam vivam voluisti spernere, perges
Post obitus odisse meos, age, barbare, calca
Exuvias, pedibusque exosum trude cadaver.
Sic moriens merear veniam, facinusque cadentis
Excusabit amor. pro me despecta loquetur
Infelix Dido, & sociâ circumdabit umbrâ
Tyramus, & Thisbe, tumulataque fluctibus Hero.
Dixit, & impatiens gladium, qui veste latebat,
Arripuit. tum membra Crati formidine solvit,
Arrectæque stetêre comæ. pater obvius unum
Exorare Cratem, genitrix lenire precando
Nititur, & rigidis extorquent fœdera pactis.
Omnes, triste per augurium, quid femina possit
Sollicitis volvunt animis. gens mollis Amorum
Advolat, & celerem, quâ pars est læva, sagittam
Torsit, & admissa labefecit cuspide gibbum.
Cessit Sponsa Crati. Cynico matrona paratu
Ambulat, & tali gaudet comes ire marito.
Ilicet impexi fluitant per colla capilli.

Frons austera minis, horrescit dextera fuste.
Sordida rugosam constringit fascia vestem.
Explet fonte sitim. nudis per compita plantis
Ingreditur. non invisa mala frigora bruma,
Solstitiumque timet. designat tempora cœna
Sola fames. patulo placidè condormit uterque
Sub Iove, & humana subsannant crimina scena.
Iam rident Criticos, genus implacabile nugis,
Grammaticasque tribus; qua dum scrutantur Vlyssis
Fataque fortunasque, sua discrimina vita,
Et casus nescire volunt. jam murmure mordent,
Queis sua compositos modulatur tibia cantus,
Vita modos violat; qui cœlo tempora donant
Sideribusque vacant toti, nec proxima curant,
Qua sunt ante pedes. etiam facundia fallax
Vapulat, & quicunque palam declamat honestum,
Nec facit. agnoscunt Cynicum palatia dentem,
Privatique lares. his currit moribus atas
Ambobus, vivunt hac paupertate beati,
Pallioloque Crates recubat conjuxque sub uno.

RHADAMANTHVS Mollior,

Sive de Raptore duarum Virginum Melitensium, Tryphosæ & Iocastæ,

IVDICIVM.

Æace, cui rigida radiant antè ora secures,
Nec peccant impunè mali; qui tristibus Vmbris
Fata legis, vitasque animarum & crimina discis:
Da veniam, Iudex, miseris, causasque nocentum,
Et formidata differ suffragia vocis.
Laxent terribiles immania Tartara pœnas.

Non

Non jecur abreptas Tityi sibi crescere fibras
Sentiat. æternis fessum dissolve catenis
Thesea. Tantalicis cessa subducere labris
Pocula, nec præceps Ixiona torqueat orbis.
Eumenidum compesce faces, crebrique parumper
Sedentur gemitus, nulloque frementia luctu
Condonent sonti Furiarum verbera turbæ.
Mitius ingenium est violata Virginis. omnes
Pro rostris absolvet Amor. si fœmina litem
Advocet, effrenis poterit jam raptor amari,
Et sua reddentur sceleratis præmia flammis.
Quid laqueos, Rhadamanthe, paras? quid vincla, cata-
Flagra, cruces? quid terribiles pallentibus angues (stas,
Manibus intentas, Hecate? mœstamque Eriphylem,
Aut Phædram damnas tenebris? Procrinque, feramq;
Pasiphaën, sua vel lacerantem viscera Prognen?
Iam minus est, peccasse viros. jam lenius audit
Flagitium, rapuisse duas. connubia stupris
Succedunt, duplexque nefas facundia mollis
Diluit, & pulso tandem lictore triumphat.
Non jam rapta velit Phrygias exscindere matres,
Argolicas armare rates, evertere ferro
Pergama & iratas odiis implere Mycenas
Virginitas, oblita mali. non arma reposcat
Calcatus funesta pudor. placabilis ipsum
Exorat Minoa Venus, tetricumque tribunal
Flectitur, & peccans Sponsa donatur amator.
Aurea, virtutum genitrix, effluxerat ætas;
Sanctaque simplicitas, recti reverentia terris
Cesserat. horrebant sub duro secula ferro,
Et scelerum totis surgebant castra maniplis.
Quos inter vitium rebus solenne secundis
Luxuries, priscos corruperat improba mores,
Exemplis animosa suis. tunc undique legum
Incubuere minæ populis. hic jura Lycurgus
Spartano veneranda dedit, gemuitque ligata

Arctius improbitas. illic tremuere Solonas
Cecropidæ, & rigidi Locris edicta Zaleuci
Officii scripsere modum. se Creta tuetur
Iudicibus terretque malos. rubet ipsa Draconis
Littera, sanguineisque riget conspersa lituris.
Tunc Gallum Druidæ, Pœnorum regna Charondas,
Chaldæos docuere magi, strinxitque Zamolxis
Lege Scytham, Siculisque suis præcepit Eleusis.
Cernitur Ionio circumvallata profundo
Insula, quam Meliten dicunt, vicina Pachyno,
Adversos spectans altis è fluctibus Afros.
Cui citharæ segnesque joci & genialia cordi
Orgia, lascivique sales audaxque voluptas,
Pigraque mollities & inertia parca laboris.
Vtque fuit petulans & nil non ausa juventus,
Et sceleri patuere viæ, visque effera fraudes
Iuvit, & invitos rabies extorsit amores,
Succensere Themis potuit. dumque altera lances
Librat & appendit culpas, manus altera ferro
In sontes armata suo est: raptoribus ensis,
Aut thalami facit arbitrium. judexque puella est,
An gladio cadi cupiat, vel nubat amanti.
Hærent ancipites raptæ, dubiasque fatigat
Pœna duplex. nunc ira ferox condemnat amorem,
Nunc iram condemnat amor. nunc lictor amatur,
Nunc Hymen. exercet legis sententia partes,
Et sequitur diversa dolor. Non illa Menandrum
Terruit impavidosque viri compescuit ausus
Horrida lex. laxat Veneri vesanus habenas,
Et suadet pejora furor. Tryphosa ruenti,
Mox rapitur Iocasta, duas perversus amator
Polluit alternoque reus fit crimine raptor.
Litem causa facit. geminata injuria pœnas
Implicat. adversis dissentit Curia votis,
Dum raptis diversa placent, nec nubere poscat
Vtraque raptori, merito nec destinet ensi

Vtraque

Vtraque; sed legis partem sibi vendicet una,
Partem alia; una thori speret solatia, mortis
Altera, confundantque suas clementia voces
Infractusque rigor. Tu, quæ mortalia vindex
Facta notas, Astræa, & per tot crimina justos
Circumfers pernox oculos, mitique severum
Edulcas, mihi Diva refer, qua voce Menander
Induerit sceleri speciem; qua fronte timentem
Terruerit Tryphosa reum; quo numine sævas
Contuderit Iocasta minas. conscende tribunal
Arbitra, disponant grandes subsellia Patres,
Atraque ferales attollant limina fasces.

Ecce, venit raptor, manibus post terga revinctis.
Pallor in ore sedet, facti mens conscia vultum
Verberat, ut possit populo peccasse videri.
Quà graditur despectat humum, non lumina tollit,
Cuncta timet pavidus, magni pars ipsa doloris
Est metus, & pœnæ gradus expectatio pœnæ.
Detergit mœrens lachrymas, trepidansque labansque
Flebile suspirat, formidantesque capilli
Canitiem terrore bibunt. deformat amictum
Luctus, & ante oculos lethi præsentis imago
Hoc unum sperare sinit. cum rostra tuetur,
Genua tremunt; turbam cum circumspectat & agmen,
Se contra mussare videt, nutuque furorem
Præcipit. iratæ lugubris scena puellæ
Nuncia supplicii est. metuit, ne lætior iras
Dissimulet Iocasta suas. sic squallidus, excors,
Exanimis stetit Albanus, cum, judice Tullo,
Vltrices raperent Metium in diversa quadrigæ.
Talis erat facies, cum cultros inter & aras
Pallida spectaret Græcorum castra Mycenis,
Aut coram immiti jugulanda Polyxena Pyrrho.

At postquam timidæ rediit fiducia linguæ,
Discussitque metum: Non me rapuisse negabo,
Raptor ait, nec si misero sors obtigit ista,

Mendax

Mendax esse velim aut vanus periuria fingam.
Si vitiis blanditur amor, si nescia recti
Est Venus, & juvenum subvertit subdola mentes,
Peccavi minus, & culpam imperiosa libido
Elevat, & quicquid feci, sum passus amando.
Non meus in jugulos insontum sæviit ensis,
Non crudæ maduere manus, non ære nefando
Vendidimus patriam, aut cœlo jurata fefelli
Fœdera; non trabeæ, non hic violata curulis,
Turpiaque incestant alienas ausa maritas.
Me, fateor, pravi pellax lascivia secli,
Subruit, & calidæ subnascens flamma juventæ,
Cogitur omnis amans, & duro crimen amori
Imputat, aut fatis. rapitur seducta voluntas,
Quo trudit natura procax. delinquimus ipsis,
Quæ Superi tribuere, bonis, cur lumina nobis,
Virginibus cur forma data est? cur gratia vultu
Picta nitet? cur membra decor nativus honorat?
Cur rubuere genæ? frons exporrecta jocatur?
Illicibusque oculis tot fraudum arcana Prometheus
Occuluit? si quisquis amat, sceleratus habetur.
Si rapui, dos rapta viri est. ut amabilis esset,
Obiicitur maribus mulier. plus munera Divûm
Æstimat, hanc ipsam quisquis furiosius ardet.
Si pudor est, adamasse duas; bis dona Deorum,
Bis dicam placuisse Deas. sum raptus & ipse,
Et sensi me posse trahi; velut abdita saxo
Invitat cupidum virtus magnetica ferrum,
Aut levibus paleis se succina pulchra maritant.
Hinc Tryphosa gravis sopitos suscitat ignes,
Accenditque faces; hinc se Iocasta medullis
Insinuat formosa meis. hæc frangit ocello
Pectora, & accensos conspectu ventilat æstus;
Illa verecundis sapiens præcordia verbis
Fascinat, & quoties facundo differit ore,
Post se corda trahit. non vult Iocasta timeri,

Blan-

Blandiloquis arguta jocis. Tryphosa modestis
Alligat imperiis animum; moresque decusque
Ipsaque virtutum, causa est erroris, imago.
Quod si homini sit fas exemplis ire Deorum,
Quæ feci, fecere Dii. qui fulmina torquet
Iupiter abducta Tyrio de littore quondam
Mugiit Europa, & teneros immanior artus
Libravit pandis humeris. quin tertius hæres
Saturni, dum Sicaniam ferus insilit Hyblam
Fumantesque rotas caligantesque relaxat
Acer equos, magnæ Cereri venerabile pignus
Eripuit; tantique Iovi arrisere tumultus,
Nec Parcæ vetuere malum. Sic maximus ille
Incaluit princeps Erebi, mundique potentes
Audaces sumsere animos, Acheronque polusque
Semideûmque patres me peccavere priores.
Nec, si rapta mihi fuit utraque, desiit esse
Vtraque casta sibi. mansit sine crimine mentis
Pars melior, liberque animus divortia mecum
Fecit, & in solo deliqui corpore raptor.
Quod si jura reum faciunt, patriisque refellor
Legibus, & pœnam suffragia vestra reposcunt;
Excedit jam pœna modum, pravique colorem
Lex crudelis habet. num gaudia fluxa cruentâ
Morte luam? an Paphias ferro temerabimus aras?
Basiaque invitis aliquot pressisse labellis
Nomen erit fatale mihi? quæ femina philtro
Extinxit juvenem, vos absolvistis, Athenæ,
Incolumisque evasit amans. deprensus adulter
Mars fuit, & toto jactata est fabula cœlo.
Attamen hoc risu facinus, non ense, piavit.
Gaudent pulchra rapi. secat obvia gramina messor,
Invitasque licet ferro detondet aristas
Triptolemus. rapidis spumans vindemia dextris
Diripitur; plenisque legit decussa canistris,
Nec matura satis Cerealia poma colonus.

Pabula

Tabula flamma rapit, facibusque sequacibus urit
Proxima. vim passim patitur natura, facitque,
Inque vices solers cogique & cogere gestit.
Incubat Oceanus terræ, sed laxior aër
Oceanum premit. immensis complexibus ignis
Aëra circumdat propior, servatque fovetque,
Ingentesque sinus mundi secundat Olympus.
O, quoties lactante gemens à matre juvenca
Abripitur, tenera cui nondum cornua ludunt
Fronte; vel imbelli lupus insidiatus ovili est.
O, quoties cultos dum virgo perambulat hortos,
Hic violam rapit, hic fragrans avellit amomum,
Aut metit excelsis argentea lilia cannis,
Necdum facta nocens. totus raptoribus orbis
Fervet, & haud una rapiuntur cæde tiaræ.
Virginitas intacta diu, nec rapta, fatiscit,
Et senio marcescit honos, despecta senilis
Gratia deformesque joci. speciosa venustas
Quo nos cunque vocat; sequimur, velut impete, turba
Luxuriosa proci. Vos vitæ lubrica, Patres,
Condonate meæ. leni plus voce tribunal,
Quam terrore valet. Melite, bis me hospita servas,
Si superesse sinas civem & resipiscere vivum.
Sin me vis, Tryphosa, mori; moriare Menander,
Abscissumque humeris caput atque exangue cadaver
Tryphosæ mitte inferias. tunc forsan amabit,
Raptoris cum frusta leget. Sin vivere me vis,
Et pateris, Iocasta, virum; venerabor amores
Prona mente tuos. thalamo sacrabo pudoris
Damna tui, & mecum exemplum memorabile seræ
Posteritatis eris. facinus prudentia clemens
Corriget, & cupient nobis plausisse nepotes.
Hæc ubi dicta dedit, compressa voce quievit,
Seque pavor damnavit iners, pulsoque timore
Arrecta sedere coma. Nec distulit inde
In juvenem Tryphosa loqui, sed squallida luctu,

Fune-

Funereosque induta habitus. non prisca decentem
Mordebat medio succinctam corpore pallam
Fibula, neglecta pendebant vertice vitta,
Torva minis facies, gladio truculenta rigebat
Dextera, magnanimaque agrum cor bile tumebat.
Iam memor ingenio rabiem, feritate dolorem
Auxerat. haud alio Phrygium conspexit Elisa
Ore ducem, Libycis aliquem cum posceret amens
Ossibus ultorem. similis Cassandra Choroebo
Restitit, & Phadra Hippolyto, cum pectore forti
Sperneret incesta temeraria vota noverca.
Vt stetit, & totam sese collegit in iras,
Talibus illa modis ora indignantia solvit:
Improbe, seve, nocens, genitrix si lena fuisset,
Si Circe Laisque mihi, si fœda Calypso
Ipsa forem, aut quovis mercabilis are Philænis,
Largirer facilis veniam. nunc læsa querelas
Orditur probitas & casta filia matris
Heu, polluta dolet. centum dignissime pœnis,
Me pereunte, peri. non una est culpa nocentis.
Bis, scelerate, rapis. crevit successibus ardor
Efferus, & gemina de pubertate triumphas.
Nil juvat errorem, spreta virtute, fateri,
Nil gemitus commissa levant. cum raptor abires,
Tunc decuit sentire nefas. ceu navita ventos
Prospicit, & scopulo deflectit vela latenti
Incolumis. non te fatorum sanctior ordo
Impulit in scelus, aut forma quæsita venustas,
Eloquii decus & quicquid mortalibus æther
Optimus indulsit. Superos absolvimus omnes.
Tu, tu causa mali es. fingat mentita vetustas
Furta Iovis raptusque Deûm; num fabula vitæ est
Regula, justitiæque modus? quid inania fundis
Verba? vel exemplis audes pugnare sinistris
Infelix? pœnaque studes differre rigorem?
Omne tuis levius, quod jam decernitur, ausis

Suppli-

Supplicium est. non vipereo metuenda flagello
Eumenis atque novis acuens incendia flammis
Sit satis in pœnam. laquei, nervique rotæque
Verberaque & tracti loris crudelibus artus,
Et virgæ lenes fuerint. Te stupra parantem
Attoniti fugere Dii, perculsa Dione
Horruit, exclamavit Hymen, Sol palluit orbi
Defecitque sibi. turpis quin conscia facti
Terra suos circum maculis adspersit honores,
Et noxam afflavit foliis. marcescere flores
Vidimus, expirare rosas, decrescere rivos,
Et retrò cum fonte trahi. Quò jura Deorum,
Quò leges cecidere hominum? quid vivere nobis
Proderit? an mixta sociis raptoribus usque
Ibimus expertes thalami? nec tuta puellis
Sors erit aut nostri stabilis reverentia sexus?
Quid latuisse juvat, custodivisse parentes?
Tarquiniis si præda sumus? si vecta quadrigis
Sum spolium & nullo sese secura tuetur
Vindice simplicitas. cur cœli dicimur esse
Nobile depositum, terrarum gloria, mundi
Sidera, spes & cura virûm? si qualibet in nos
Obvia grassatur rabies furtoque patemus.
Stupravit geminas audax, unamque caloris
Esse sui voluit solamen, ut altera præstet
Virgo patrocinium, & defendat rapta clientem.
Ne pereat, bis audet idem. rident ur honesti
Custodes tabulæ, vitioque obducitur ipsi
Per vitium color & judex eluditur astu.
Una dies ambas rapuit. jam tertia forsan
Rapta foret, nisi nox melior rapuisset Olympum.
Ploravere domus geminæ, genitrixque paterque.
Et meus &, Iocasta, tuus. tabescit uterque
Flebilis. in quantum servaris, nata, dolorem,
Mater ait, cui te genui miseranda furori?
Poscite vindictam patres, ne filia vobis

Sorte

Sorte pari pereat. vindictam poscite fratres,
Ne vitiata soror generi stirpique superstit
Opprobrium. cunctos animet vindicta maritos,
Ne pavidos admissa thoros audacia scandat.
Talia sæpe gemens dixit Lucretia Bruto,
Talia, Collatine, tibi, soceroque patrique.
I lictor, constringe manus, obnube scelestum
Veste caput, gladioque vices ulciscere nostras.
Cæde, feri. luat ense malus, quo concidit hoste
Fama pudicitiæ. saturet se sanguine, quem non
Flectere virgineæque preces lachrymæque dolorque
Non pietas potuit. dic, post tua fata, Menander,
Dic Paridi, sceleri quoque succensere nepotes.
Phœbe pater, quo me rapuit furibundus amator,
E fastis expunge diem. ne busta rogumque
Irradia, æternis lateat stuprator in umbris,
Abscondat caligo reum. ne posthuma norit,
Peccari sic posse, Venus. Quid parcere demens
Raptori, Iocasta, cupis? sperasque maritum
Improba? quem leges, quem damnavere curules.
Hoc violentus amor precium, dirumque cubile
Emeruit? tali infamis scortator honore
Sepositus cristas corrupta virgine tollet?
Apponetque nefas lucro? Vah, prodiga famæ es
Ipsa tuæ. nec enim crederis passa, quod optas,
Quod lasciva petis. te consensisse loquetur
Quilibet, & raptam magna ratione negabit.
Publica sic fies ridentis nænia vulgi,
Atque iterum nutabit honos. meretricis inuret
Nomina suspicio, pellexque vocabere genti
Vel prostans Erycina tuæ. quæ læsa putatur
Virgo, dolet; nolensque truci quæ cessit amanti,
Hæc speciem plorantis habet. tu florida Sponso
Serta paras, plaudisque tuis improvida damnis.
Compta salis, lepidisque infamas rostra susurris,
Et Sponsæ spem cæca foves. miracula narro.

Omnia

Ornabat distincta caput. non pulchrior astris
Vultus erat, plus labra rosis arguta rubebant.
Ignea vis oculis inerat, poteratque videri
Divorum nurus aut Tithono nubilis Eos.
Rubra pererranti fulgebant serica bysso:
Queis precium donabat acus. prænuncia lectis
Flammea gestabat manibus. redimita coronis
Frons erat. hic cunctos quos tellus dædala flores
Parturit, & vernas filo distinxerat herbas.
Has nardum & grata pingebat amaracus umbra,
Coryciumque frequens & olentis vimen acanthi,
Et casia halantes immortalesque amaranthi.
Vix fuerant strepera mandata silentia turba,
Arrectumque stetit compresso murmure vulgus,
Cum sic orsa fuit felix Iocasta profari:
Non ego cum socia Melitensem exscindere gentem
Virgine juravi, subjectaque colla securi
Nobilium feriisse velim. non funus acerbum
Molior, aut tristes duri Busiridis aras
Imbuet impatiens animus, lethique repertrix
Verba meo quæram nimis immansueta dolori.
Non me Penthesilea furens, non barbara Colchis
Horribilem genuit, nec quæ regalia quondam
Ora cruentatos Thomyris demersit in utres.
Fœmina sum. lenis misero & placabilis adsum.
Sæviat in tauro Phalaris, in carcere Sciron,
Occulta sub rupe Scinis, dirusque Procustes.
Nascitur ad fructum mulier, prolisque futura
Argumenta capit. saturari sanguine nolo,
Quem cupiam genuisse mihi. non præfica, verum
Pronuba sum. thalamosque mihi mansuetior opto,
Non tumulos, Tryphosa, tuos. Libitina facesse,
Collige per crudos mortis spectacula Thracas,
Aut annis effata neca. mihi læta juventus
Serviat, & famæ reparet dispendia lectus
Innocuaque faces. stuprum lanugine prima

Dilui-

Diluimus. venis saliens juvenilibus ignis
Bulliit & stimulos peccanti subdidit ætas.
At rapuit. fateor. raptu peccamus & ipsa,
Quemque prior toties virgo clam deperit, aufert
Consilio, votisque rapit. medicina malorum,
Et quærenda mali correctrix flamma caloris.
Cui placeam temerata? thoro secludor ab omni.
Indignam fugiunt comites, innoxia quamvis
Rideor à populo, generis fortuna domusque
Mecum tota labat. mœstorum causa parentum
Juncta meæ est. liceat fato meliore mereri
Conjugium, & raptum titulis expungere nuptæ.
Tyndaris Idæo quamvis pastore Lacæna
Rapta foret, tamen huic ipsi consuevit amanti,
Solverat Oebalio postquam de littore classem
Dardanus, & magnæ quererentur furta Mycenæ.
Hesionem Telamon, Briseida cepit Achilles,
Eurytus Hippodamem, Boreas ferus Orithyiam,
Ægides Gnosin, facilem Tirynthius Augen,
Victoremque suum tepidumque cubile secuta est
Qualibet, officiisque procans injuria victa est.
Nec quæ Pyrenes transcripsit nomina monti,
Hospitis Alcidæ raptum fuit ulta virago.
Flectitur obsequiis, omnisque ferocia languet,
Cum placida nostros solantur voce dolores,
Qui nocuere, mares. Stygii prædonis habenas,
Et dotale Chaos Plutonia possidet uxor,
Ac ferrugineis Erebi complexibus hæret.
Pone minas, compesce tuum, Tryphosa, furorem.
Si plecti vis lege reum, non semper iniquos
Pœna vocat. patitur molli se interprete flecti,
Æqua reo; sensusque sibi Clementia servat.
Hæc hominem superis æquat, facilisque moveri
Supplicibus, miseris nunquam implacabilis obstat.
Ignovisse cupit, flagrantes increpat iras,
Subducit fomenta odiis, & parca cruoris

Præ fra

Præfractum calcat terrarum Diva rigorem.
Quin potius nunc nostra virum Lex asserit anceps.
Cur? geminas rapuit. tuus est ex parte Menander,
Et meus est. debet nobis mortemve thorumve,
Anxia libertas contraria seligit. adsto
Blandula donatrix veniæ. Tu filia Martis,
In cædes irata ruis. nec nubere binas
Res finit, aut binis poterit bis ense feriri.
Si tibi vis reddi, quicquid subduxit honori,
Cur non & nostro vivat servatus honori?
Si tibi dissectus placeat, mihi totus amatur.
Si sperata paras tristes ad funera taxos,
Ipsa levem nectam geniali in vertice myrtum.
Si tibi barbaricus tumidæ distringitur ensis,
Ecce manu contra strictos amoliar enses.
Tu truculenta feri, ferienti mascula me me
Objiciam, & tanta servabitur obside raptor.
Sic dum distamus votis, & numine dextro
De geminis edicta silent, evadet amator.
Quid? magis in raptum tu consensisse videris,
Irarum quia plena furis, culpamque superstes
Exprobrare potest. motus compescuit insons
Causa meos, totoque mihi blanditur in actu.
Quæ nolens sum passa, volens admittere conjunx
Non renuam. melius posthac Melitaus amabit,
Oscula nec rapiet, quæ mox libabimus ultro.
I lictor, dissolve manus, obnubito frontem
Floribus, atque istam capiti suspende coronam.
Sponsa vocer. celebri si, Collatine, piasti
Exilio regale nefas, si ulciscitur ultor
Virginiam: plures bellatrix Roma Sabinas
Prædonum in gremium vidit descendere nuptas.
At vos raptori, Patres, ignoscite, si quid
Intumuit Cypris; si quid flagrantius actum,
Quam decuit. vestris supplex atque innuba virgo
Advolvor genibus. Sit fas sanctissima lecti

Iura sequi, & placido nunc consentire marito.
Fortunam, sim rapta, feram. cognomine pulchro
Involvam sceleris labem. cum nescia mentis
Ipsa sua lex est, judex clementior audit.
Hæc effata sinum lachrymis implebat obortis,
Mixtaque inerrabant solatia multa timori.
Nec minus ambiguum diverso judice vulgus
Scinditur, & vadunt odia interjuncta favori.
Ille ferox animi pro virginitatis honore
Verba facit, certaque probat suffragia mortis.
Mitior hic pœnis hominum vel sanguine pasci
Turpe ferumque putat. discordes Curia voces
Edit & infracto occursant responsa rigori.
Tandem legiferis subrepsit inertia segnis
Patribus, & stricta rostris cessere secures,
Iusque datum culpa est. incusat inania jura,
Et conculcatas in sonti corpore leges,
Et spretam Tryphosa Themin. Iocasta Menandro
Nubit, & (ô mores!) fruitur raptore marito.
Indoluit despectus Hymen, flammaque jugales
Defecere sibi. visa est Astræa moveri,
Et gladium vibrare manu. qua lance reatus
Ponderat, en, levibus subsidunt crimina pœnis.
Tunc medios inter Proceres miserescere cœpit
Constantis Tryphosa aliquis, sociamque poposcit
Consortemque thori. fulgent genialia passim
Limina, Sponsarumque habitus, epulaque facesque
Ocyus oblita irarum legisque severa.
Formosos religant crines, vultusque serenos
Obnubunt alium prævelatura pudorem
Flammea, compositisque minus jam lene canentes
Immergunt veteres in pocula plena dolores.
Gavisa est omnis Melite, propiusque procellis
Annuit, & toto sonuerunt festa profundo
Carmina Nereides. sed grandior Amphitrite,
Dum raptum legesque alternaque jurgia versat,
Increpuit tetrica malesanum voce tribunal. CHEI-

CHEIROMANTIS,

Sive Virginis cujusdam, ordinis mendicantium, quos Ægyptios quidam, vulgus Gentiles vocat, (Itali Cianos, Asiatici Sigaros appellant) & nobilis Hispani matrimonium. Vbi Physiognomicæ & Cheiromanticæ artis, cunctaque ordinis istius dogmata, ritus ac vivendi ratio explicantur.

IAm nova fatidicæ sumant exordia tedæ,
Et Pelusiacæ veniant in verba Sibyllæ,
Et terras obiens Manto, præsagaque sortis
Femina, & inspectis sapiens Ægyptia dextris.
Quas versas, Erycina, vices? quo crimine damnas
Nobilium malesana thoros? fœdisque potentes
Illaqueas thalamis, pulchroque illudis amori?
Quam turpes arsere faces, quam flammea tetrum
Velavere caput, quàm formidata virago
Ivit in amplexus, depictaque fecibus ora
Et passo discincta vagans per regna capillo
Tisiphone, dignum conscendit sponsa cubile,
Illustri dotata viro. mihi, maxime CATSI,
Sæpius attonitam veterum miracula mentem,
Et casus tenuere truces, celebrisque severis
Exemplis mulier: seu strictas sæva secures
Penthesilea quatit, mediosque effusa per hostes
Agmen agit; ruptis seu fortis Clœlia vinclis
Enatat, & socias ducit per castra sorores,
Et vallos, Porsenna, tuos: seu Tullia demens
Improba per patrium raptat carpenta cadaver;
Aut toto solers Tanaquil involvitur ostro,
Sublimis matrona animi. canit antra Calypsus
Mæonides Scyllaque canes faucesque Charybdis
Sirenasque leves & iniquæ pocula Circes,

Atque agamemnonio maculatam sanguine mœcham.
Quale audes, Rosimunda, nefas. ultrixque pudoris
Et visi regina sinus; quaque æmula fasces
Eripis incauto conjux Babylonia Nino.
Ismenis irrubuit Lernao sanguine Dirce,
Sæva viro. Oenomao belli deterrima causa
Hippodamia fuit. Thebanum irata maritum
Prodidit Eryphile, Pterelamque insana parentem
Polydice. furiis adversa Volumnia mater
Ivit, Coriolane, tuis. quacunque revolvas
Secula scrutator, magnum & memorabile nomen
Femineo in sexu est. nescit mediocribus ille
Consiliis fatisque regi. virtutibus omnis
Aut vitio præcellit amans. hic omne Cupido
Explicat ingenium & gaudet statuisse trophæum,
Huic gravis, huic facilis. stupuit natura furores
Ipsa suos turpique infames fœdere nexus
Difformesque thoros. Tu tantis addere, Virgo,
Ordinibus famaque patens conscende theatrum,
Et personato trepident subsellia vultu;
Seu Preciosa velis dici, seu pristina servas
Nomina, & arcanas aperis Constantia fraudes
Fortunaque vices, & quicquid corpore nostro
Scripsit adorandis Divûm prudentia signis.
Ibat Barbaricâ matrum comitante catervâ,
Pallarum diffusa sinus, Gordonna; peruncti
Dux gregis & tetricam ductabat pravia turbam.
Sordida subfuscum velabant pallia corpus,
Et circum fluidis squallebant crinibus ora.
Huic suus è mammis pendebat putribus infans,
Aut matri incumbens humeris surgebat ab ipsis.
Huic olidus trita pendebat cantharus ansa,
Huic panda hesternam lambebant labra polentam.
Illi ruga cavam crispabat pendula frontem.
Mucidus immundis stillabat naribus illi
Humor & oppleta turgebant sordibus aures.

Pars

Pars nudas duro firmabat frigore plantas,
Pars laceras, pars villosas incompta trahebat
Exuvias. non hic nitidis holoserica membris
Tegmina suspendi videas, vestesque superbas
Murice vel Tyrio velamina splendida cocco.
Hac annis pannisque rigens vestigia ligno
Fulcit anus. vix hac tunica paupercula mater
Molle tegit gremium, custosque pudoris egestas
Parca fuit. tales quondam Rhodopeius Orpheus
Traxit Threicias, furiarumque agmina ducit
Per Phlegethontaas conjux Plutonia sedes.
Sic Bacchas ivisse putem, cum Mænala circum
Flexa Mimalloniis implebant cornua bombis.
Omnibus hic labor est, anceps prædicere verum,
Et cuivis sua fata loqui. quacunque viator
Ambulat, horrendas præsago numine voces
Eructant, rapidaque rotant oracula lingua,
Eventusque hominum varios, casusque futuros,
Quæ sunt, quæ fuerant, quæ mox ventura trahentur.
Vt rabie fera corda tument & pectus anhelum
Excussit totum lymphato turbine Phœbum;
Hæc grandes promittit opes, Pelopumque talenta,
Et faciles in vota Deos, securaque vitæ
Otia. crudeles alia Rhamnusidos iras
Adversumque Iovem recitant, sterilesque hymenæos,
Aut querulam aut multa fecundam prole maritam.
Tu Sejanus eris, tu terra paupere (dicunt)
Ibis in imperium magnum, figuloque parente
Iura dabis latè populis. Te gemma beato
Æquabit miranda Gygi. tu Sylla triumphis
Transcendes abavûm titulos. tibi basia figet
Regis amor, tibi fullo gravis. tu sordida Thais
Ad coitum allicies alienos fœda maritos,
Et cœlebs bis mater eris, legesque cubilis
Calcabis matrona salax. Te justa Superbum
Excutiet solio Nemesis. te canna palustris

Abscondet Marium. Tu, dux Pompeje, Photini
Ense cades. tibi, Crœse, rogi flammaque parantur.
Fatalis te furca manet. te gurgite vasto
Æolus & tumidis mergent irata procellis
Æquora. quin propius vultus cum femina lustrat,
Invenit ex altis lapsurum Elpenora scalis,
Invenit Andromachen, raptumque à matre misellum
Astyanacta. videt mulier vestigia fatis
Prava, & ambigui prædicit damna veneni.
Quos ensis fodiet jugulos, quæ sica tyrannum
Expectet, quæ pœna reum, quique Hectora currus
Hippolytumque rota rapient. quo sidere quisquam
Ausurus sit quodque nefas. quem sera senectus
Spectatorem operum multorum reddet, & annis
Sufficiens vix vita suis. Tithonia narrat
Secula Nestoreosque dies. huic contrahit ævi
Curriculum, terris quem solum ostendere Parcæ
Immites cupient, nec spes implere suorum.
Ambulat has inter chara Virguncula matris
Depositum, quam dum centum vaga permeat urbes
Dux turbæ Gordonna, choro permiscuit isti,
Et patriis audax tectis avertit euntem.
Illa nova patiens sectæ, docilisque, furores
Hausit & ingentes artes; potuitque juventus
Magna loqui & veris rimari singula causis,
Ingenio monstrante viam. non forma decusque
Deerat, in humidulis vernabat gratia labris,
Et lepor in verbis inerat, blandumque loquendi
Pondus & attonitas aliquid quod flecteret aures.
Os humerosque Deæ similis venerabilis ibat
Terribiles inter matres; & lurida quamvis
Egregiam pingui faciem turpasset amurca,
Emicuit gradientis honos, frontisque venustas
Ardua & amoto generosa modestia fuco.
Quin omnis secura thori, fraudisque dolique
Nescia, non vera fruitur sermone parentis,

Et rerum secreta capit, quacunque sub antris
Mugit & Phœbi quondam cortina reclusit,
Euboicusque pater; quicquid Cassandra sciensque
Carmentis Latium docuit, vel filia grandis
Tiresiæ, vitreoque furens sub gurgite Protheus.
Noverat & quicquid Thuscus scrutatur aruspex,
Interpresque Tages Superûm; venasque calentes
Fibrarumque edocta situs, aviumque volatus,
Signabat motus volitantis in aëre pennæ.
Quicquid in humanis Superûm sapientia membris
Abdiderat, potuitque loqui pars quæque tacendo,
Gnara aperit; sortesque notat facunda futuras
Garrulitas. dictant graciles portenta figuræ,
Inque suos corpus mores astuta resolvit.
Principio septem radiantia sidera lustrat
Orbibus, errantesque Deos, Solemque Iovemque,
Saturnumque patrem durique habitacula Martis,
Infaustasque domos Lunæ, celebrataque mille
Tecta dolis, quæ mercator Cyllenius altè
Incolit; & qua se cœli statione tuetur
Vecta Dionæis petulans Cytherea columbis.
Hæc astris supposita videt, coëuntia fixis
Lumina luminibus; nunc occursantia rursum,
Adversasque faces facibus. conspectibus istis
Gaudet & immensos distinguit vultibus orbes.
Morbos Cancer alit, trux asperat ira Leonem,
Emicat in Tauro probitas; & dedita sacris
Relligio veneranda suis. felicia prolis
Signa, favens cauda, portendit matribus ardens
Scorpius, atque ipso fecundi frigore Pisces.
Sub Geminis pulchro donat nos corpore Titan,
Tyndaridisque facit similes. sub Virgine docti
Nascimur, & crispo prudentia multa capillo
Tuta latet. fidos Aries largitur amicos
Proscribitque malos: appendit Libra labores
Ærumnasque graves: acuunt studiosa sagittæ

Pectora, & egregiis victuros artibus implent.
At Caper impuros animis instillat amores
Co niger, & vetitis urit pracordia flammis,
Emollitque viros. irrorat Aquarius annum,
Et faciles primis mores natalibus infert.
Hac ait, hac didicit vafra praeunte magistra,
Sic recitat Preciosa Deos, totusque puellam
Zodiaci labor exercet. Mox nostra pererrans
Corpora, formarumque modos, habitusque sonosque,
Hac probat, hac damnat. pars nostri qualibet illi
Fit schola, & articulis mysteria carpit ab ipsis,
Et summo pracepta ferunt à vertice tali.
Frons angusta cui est, & plus contracta, Corœbi
De genere est, fatuique satus de gente Meneni.
Longa sapit; sublata nimis vel turgida, fallit.
Sed rugosa gravem curis vafrumque rotunda
Arguit; & latis donantem vocibus, ampla.
Grande supercilium tumidos, pilosaque balbos,
Immundos protenta notant. cui tristia torvum
Ora vident, animam tacitis servare videtur
Consiliis; fraudesque suas macilentior abdit.
Plana cui multum facies, certamina, rixas
Litigiosus amat. cui plus carnosa, venustus
Esse cupit faciliśque puer. quadrata disertis
Auricula est, stultis parva, imprudentibus ingens,
Flaccida degeneri, nitide purgata peritis.
Nec patula servant audita fideliter aures.
Plurima vis oculis. dixit Preciosa, probari
Humidulos hilaresque sibi, fixosque doloso,
Fallaci glaucos, pragrandes esse voraci,
Attentis ad rem modicos. tremulosque vagosque
Arentes, altè mersos, caligine septos
Vult non esse bonis. laudat sublime tuentes,
Nictantes in amore, truces ad bella paratos.
Omen habet nasus. bilem demonstrat acutus,
Crassus depressusque malos; vicinior ori

Magna-

Magnanimum, simus Venerem; sed nare rotundâ
Attonitum, diductâ alacrem, solidâque ferocem.
Os latum bellacis erit, vastumque loquacis,
Melleaque è parvis manat facundia labris.
At quoties dentes attollunt labra canini,
Illa parum fidos memorat; cumque aspera vox est,
Hic, inquit, nugator erit; cum blandula, terris
Altera Messalina redit; cum tarda, remissus
Cunctator; cum dura, ferox. cervicibus altis
Adspectat pavidos, crassis bardosque rudesque
Difficilesque sibi. curtâ temerarius audis,
Sordidus incurvâ. lævum cum pendula vergit
In latus, es petulans; dextrorsum flexa, modestus.
Laudabat pectus magnum, mammasque fluentes
Leniter, & stricti sub pectore ventris honorem.
Longaque dum præfert succinctis brachia, narrat
Pingues esse manus furum, vafrique pusillas.
Cum pedibus suræ turgent, invisa notatur
Asperitas; cum subtilem se tibia versat,
Mens hebet. in pando generosum tergore robur
Hæret, avarities curvo. Tu Zoile, toto
Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luscus
Haud bonus es. parvos humiles, rufosque fideles
Esse negat. nitidis ubi surgit densior ordo
Dentibus & spisso manducant agmine fratres,
Nestora designat. cum rarius adspicit agmen,
Lanificas perhibet præcidere fila sorores.
Iupiter humanos, genus intractabile format
Falciger, audaces Mavors, mollesque Dione,
Infelix Phœbo est. sapiens natura caveri
Signatos monet. Hæc parvo Virguncula vendit
Ære viris. hæc femineis præsagia turbis
Ingeminat repetitque iterum. narrantis ab ore
Dependent passim pueri innuptæque puellæ.
Inde artem Manus una facit, conspectaque gignit
Dogmata, fatidicasque legit Memphitica sortes.

Supplicium est. non vipereo metuenda flagello
Eumenis atque novis acuens incendia flammis
Sit satis in pœnam. laquei, nervique rotæque
Verberaque & tracti loris crudelibus artus,
Et virgæ lenes fuerint. Te stupra parantem
Attoniti fugere Dii, perculsa Dione
Horruit, exclamavit Hymen, Sol palluit orbi
Defecitque sibi. turpis quin conscia facti
Terra suos circum maculis adspersit honores,
Et noxam afflavit foliis. marcescere flores
Vidimus, expirare rosas, decrescere rivos,
Et retrò cum fonte trahi. Quò jura Deorum,
Quò leges cecidere hominum? quid vivere nobis
Proderit? an mixta sociis raptoribus usque
Ibimus expertes thalami? nec tuta puellis
Sors erit aut nostri stabilis reverentia sexus?
Quid latuisse juvat, custodivisse parentes?
Tarquiniis si præda sumus? si vecta quadrigis
Sum spolium & nullo sese secura tuetur
Vindice simplicitas. cur cœli dicimur esse
Nobile depositum, terrarum gloria, mundi
Sidera, spes & cura virûm? si qualibet in nos
Obvia grassatur rabies furtoque patemus.
Stupravit geminas audax, unamque caloris
Esse sui voluit solamen, ut altera præstet
Virgo patrocinium, & defendat rapta clientem.
Ne pereat, bis audet idem. rident ur honesti
Custodes tabulæ, vitioque obducitur ipsi
Per vitium color & judex eluditur astu.
Una dies ambas rapuit. jam tertia forsan
Rapta foret, nisi nox melior rapuisset Olympum.
Ploravere domus geminæ, genitrixque paterque
Et meus &, Iocasta, tuus. tabescit uterque
Flebilis. in quantum servaris, nata, dolorem,
Mater ait, cui te genui miseranda furori?
Poscite vindictam patres, ne filia vobis

Sorte pari pereat. vindictam poscite fratres,
Ne vitiata soror generi stirpique superstit
Opprobrium. cunctos animet vindicta maritos,
Ne pavidos admissa thoros audacia scandat.
Talia sæpe gemens dixit Lucretia Bruto,
Talia, Collatine, tibi, soceroque patrique.
I lictor, constringe manus, obnube scelestum
Veste caput, gladioque vices ulciscere nostras.
Cade, feri. luat ense malus, quo concidit hoste
Fama pudicitiæ. saturet se sanguine, quem non
Flectere virgineæque preces lachrymæque dolorque
Non pietas potuit. dic, post tua fata, Menander,
Dic Paridi, sceleri quoque succensere nepotes.
Phœbe pater, quo me rapuit furibundus amator,
E fastis expunge diem. ne busta rogumque
Irradia, æternis lateat stuprator in umbris,
Abscondat caligo reum. ne posthuma norit,
Peccari sic posse, Venus. Quid parcere demens
Raptori, Iocasta, cupis? sperasque maritum
Improba? quem leges, quem damnavere curules.
Hoc violentus amor precium, dirumque cubile
Emeruit? tali infamis scortator honori
Sepositus cristas corrupta virgine tollet?
Apponetque nefas lucro? Vah, prodiga famæ es
Ipsa tuæ. nec enim crederis passa, quod optas,
Quod lasciva petis. te consensisse loquetur
Quilibet, & raptam magna ratione negabit.
Publica sic fies ridentis nænia vulgi,
Atque iterum nutabit honos. meretricis inuret
Nomina suspicio, pellexque vocabere genti
Vel prostans Erycina tua. quæ læsa putatur
Virgo, dolet; nolensque truci quæ cessit amanti,
Hæc speciem plorantis habet. tu florida Sponso
Serta paras, plaudisque tuis improvida damnis.
Compta salis, lepidisque infamas rostra susurris,
Et Sponsæ spem cæca foves. miracula narro.

Omnia

Ornabat distincta caput. non pulchrior astris
Vultus erat, plus labra rosis arguta rubebant.
Ignea vis oculis inerat, poteratque videri
Divorum nurus aut Tithono nubilis Eos.
Rubra pererranti fulgebant serica bysso:
Queis precium donabat acus. prænuncia lecti
Flammea gestabat manibus. redimita coronis
Frons erat. hic cunctos quos tellus dædala flores
Parturit, & vernas filo distinxerat herbas.
Has nardum & grata pingebat amaracus umbra,
Coryciumque frequens & olentis vimen acanthi,
Et casia halantes immortalesque amaranthi.
Vix fuerant strepera mandata silentia turba,
Arrectumque stetit compresso murmure vulgus,
Cum sic orsa fuit felix Iocasta profari:
Non ego cum socia Melitensem exscindere gentem
Virgine juravi, subjectaque colla securi
Nobilium feriisse velim. non funus acerbum
Molior, aut tristes duri Busiridis aras
Imbuet impatiens animus, lethique repertrix
Verba meo quæram nimis immansueta dolori.
Non me Penthesilea furens, non barbara Colchis
Horribilem genuit, nec quæ regalia quondam
Ora cruentatos Thomyris demersit in utres.
Fœmina sum. lenis misero & placabilis adsum.
Sæviat in tauro Phalaris, in carcere Sciron,
Occulta sub rupe Scinis, dirusque Procustes.
Nascitur ad fructum mulier, prolisque futuræ
Argumenta capit. saturari sanguine nolo,
Quem cupiam genuisse mihi. non præfica, verum
Pronuba sum. thalamosque mihi mansuetior opto,
Non tumulos, Tryphosa, tuos. Libitina facesse,
Collige per crudos mortis spectacula Thracas,
Aut annis effæta neca. mihi læta juventus
Serviat, & fama reparet dispendia lectus
Innocuaque faces. stuprum lanugine prima

Dilui-

Diluimus. venis saliens juvenilibus ignis
Bulliit & stimulos peccanti subdidit ætas.
At rapuit. fateor. raptu peccamus & ipsa,
Quemque prior toties virgo clam deperit, aufert
Consilio, votisque rapit. medicina malorum,
Et quærenda mali correctrix flamma caloris.
Cui placeam temerata? thoro secludor ab omni.
Indignam fugiunt comites, innoxia quamvis
Rideor à populo, generis fortuna domusque
Mecum tota labat. mœstorum causa parentum
Iuncta mea est. liceat fato meliore mereri
Conjugium, & raptum titulis expungere nuptæ.
Tyndaris Idæo quamvis pastore Lacæna
Rapta foret, tamen huic ipsi consuevit amanti,
Solverat Oebalio postquam de littore classem
Dardanus, & magnæ quererentur furta Mycenæ.
Hesionem Telamon, Briseida cepit Achilles,
Eurytus Hippodamem, Boreas ferus Orithyiam,
Ægides Gnosin, facilem Tirynthius Augen,
Victoremque suum tepidumque cubile secuta est
Qualibet, officiisque procans injuria victa est.
Nec quæ Tyrenes transcripsit nomina monti,
Hospitis Alcidæ raptum fuit ulta virago.
Flectitur obsequiis, omnisque ferocia languet,
Cum placida nostros solantur voce dolores,
Qui nocuere, mares. Stygii prædonis habenas,
Et dotale Chaos Plutonia possidet uxor,
Ac ferrugineis Erebi complexibus hæret.
Pone minas, compesce tuum, Tryphosa, furorem.
Si plecti vis lege reum, non semper iniquos
Pœna vocat. patitur molli se interprete flecti,
Æqua reo; sensusque sibi Clementia servat.
Hæc hominem superis æquat, facilisque moveri
Supplicibus, miseris nunquam implacabilis obstat.
Ignovisse cupit, flagrantes increpat iras,
Subducit fomenta odiis, & parca cruoris

Præfra

Præfractum calcat terrarum Diva rigorem.
Quin potius nunc nostra virum Lex asserit anceps.
Cur ? geminas rapuit. tuus est ex parte Menander,
Et meus est. debet nobis mortemve thorumve,
Anxia libertas contraria seligit. adsto
Blandula donatrix veniæ. Tu filia Martis,
In cædes irata ruis. nec nubere binas
Res sinit, aut binis poterit bis ense feriri.
Si tibi vis reddi, quicquid subduxit honori,
Cur non & nostro vivat servatus honori ?
Si tibi dissectus placeat, mihi totus amatur.
Si sperata paras tristes ad funera taxos,
Ipsa levem nectam geniali in vertice myrtum.
Si tibi barbaricus tumidæ distringitur ensis,
Ecce manu contra strictos amoliar enses.
Tu truculenta feri, ferienti mascula me me
Objiciam, & tanta servabitur obside raptor.
Sic dum distamus votis, & numine dextro
De geminis edicta silent, evadet amator.
Quid ? magis in raptum tu consensisse videris,
Irarum quia plena furis, culpamque superstes
Exprobrare potest. motus compescuit insons
Causa meos, totoque mihi blanditur in actu.
Qua nolens sum passa, volens admittere conjunx
Non renuam. melius posthac Melitæus amabit,
Oscula nec rapiet, quæ mox libabimus ultro.
I lictor, dissolve manus, obnubito frontem
Floribus, atque istam capiti suspende coronam.
Sponsa vocer. celebri si, Collatine, piasti
Exilio regale nefas, si ulciscitur ultor
Virginiam : plures bellatrix Roma Sabinas
Pradonum in gremium vidit descendere nuptas.
At vos raptori, Patres, ignoscite, si quid
Intumuit Cypris ; si quid flagrantius actum,
Quam decuit. vestris supplex atque innuba virgo
Advolvor genibus. Sit fas sanctissima lecti

Iura sequi, & placido nunc consentire marito.
Fortunam, sim rapta, feram. cognomine pulchro
Involvam sceleris labem. cum nescia mentis
Ipsa sua lex est, judex clementior audit.
Hæc effata sinum lachrymis implebat obortis,
Mixtaque inerrabant solatia multa timori.
Nec minus ambiguum diverso judice vulgus
Scinditur, & vadunt odia interjuncta favori.
Ille ferox animi pro virginitatis honore
Verba facit, certaque probat suffragia mortis.
Mitior hic pœnis hominum vel sanguine pasci
Turpe ferumque putat. discordes Curia voces
Edit & infracto occursant responsa rigori.
Tandem legiferis subrepsit inertia segnis
Patribus, & stricta rostris cessere secures,
Iusque datum culpæ est. incusat inania jura,
Et conculcatas in sonti corpore leges,
Et spretam Tryphosa Themin. Iocasta Menandro
Nubit, & (ô mores!) fruitur raptore marito.
Indoluit despectus Hymen, flammæque jugales
Defecere sibi. visa est Astræa moveri,
Et gladium vibrare manu. qua lance reatus
Ponderat, en, levibus subsidunt crimina pœnis.
Tunc medios inter Proceres miserescere cœpit
Constantis Tryphosæ aliquis, sociamque poposcit
Consortemque thori. fulgent genialia passim
Limina, Sponsarumque habitus, epulæque facesque
Ocyus oblita irarum legisque severa.
Formosos religant crines, vultusque serenos
Obnubunt alium prævelatura pudorem
Flammea, compositisque minis jam lene canentes
Immergunt veteres in pocula plena dolores.
Gavisa est omnis Melite, propiusque procellis
Annuit, & toto sonuerunt festa profundo
Carmina Nereides. sed grandior Amphitrite,
Dum raptum legesque alternaque jurgia versat,
Increpuit tetrica malesanum voce tribunal. CHEI-

CHEIROMANTIS,

Sive Virginis cujusdam, ordinis mendicantium, quos Ægyptios quidam, vulgus Gentiles vocat, (Itali Cianos, Asiatici Sigaros appellant) & nobilis Hispani matrimonium. Vbi Physiognomicæ & Cheiromanticæ artis, cunctaque ordinis istius dogmata, ritus ac vivendi ratio explicantur.

IAm nova fatidicæ sumant exordia tedæ,
Et Pelusiaca veniant in verba Sibyllæ,
Et terras obiens Manto, præsagaque sortis
Femina, & inspectis sapiens Ægyptia dextris.
Quas versas, Erycina, vices? quo crimine damnas
Nobilium malesana thoros? fœdisque potentes
Illaqueas thalamis, pulchroque illudis amori?
Quàm turpes arsere faces, quàm flammea tetrum
Velavere caput, quàm formidata virago
Ivit in amplexus, depictaque fecibus ora
Et passo discincta vagans per regna capillo
Tisiphone, dignum conscendit sponsa cubile,
Illustri dotata viro. mihi, maxime CATSI,
Sæpius attonitam veterum miracula mentem,
Et casus tenuere truces, celebrisque severis
Exemplis mulier: seu strictas sæva secures
Penthesilea quatit, mediosque effusa per hostes
Agmen agit; ruptis seu fortis Clœlia vinclis
Enatat, & socias ducit per castra sorores,
Et vallos, Porsenna, tuos: seu Tullia demens
Improba per patrium raptat carpenta cadaver;
Aut toto solers Tanaquil involvitur ostro,
Sublimis matrona animi. canit antra Calypsus
Mæonides Scyllaque canes faucesque Charybdis
Sirenasque leves & iniqua pocula Circes,

Atque agamemnonio maculatam sanguine mœcham.
Quale audes, Rosimunda, nefas. ultrixque pudoris
Et visi regina sinus; quæque æmula fasces
Eripis incauto conjux Babylonia Nino.
Ismenis irrubuit Lernæo sanguine Dirce,
Sæva viro. Oenomao belli deterrima causa
Hippodamia fuit. Thebanum irata maritum
Prodidit Eryphile, Pterelamque insana parentem
Polydice. furiis adversa Volumnia mater
Ivit, Coriolane, tuis. quacunque revolvas
Secula scrutator, magnum & memorabile nomen
Femineo in sexu est. nescit mediocribus ille
Consiliis fatisque regi. virtutibus omnis
Aut vitio præcellit amans. hic omne Cupido
Explicat ingenium & gaudet statuisse trophæum,
Huic gravis, huic facilis. stupuit natura furores
Ipsa suos turpique infames fœdere nexus
Difformesque thorôs. Tu tantis addere, Virgo,
Ordinibus famæque patens conscende theatrum,
Et personato trepident subsellia vultu;
Seu Preciosa velis dici, seu pristina servas
Nomina, & arcanas aperis Constantia fraudes
Fortunæque vices, & quicquid corpore nostro
Scripsit adorandis Divûm prudentia signis.
Ibat Barbaricâ matrum comitante catervâ,
Pallarum diffusa sinus, Gordonna; perunćti
Dux gregis & tetricam ducćtabat prævia turbam.
Sordida subfuscum velabant pallia corpus,
Et circum fluidis squallebant crinibus ora.
Huic suus è mammis pendebat putribus infans,
Aut matri incumbens humeris surgebat ab ipsis.
Huic olidus trita pendebat cantharus ansa,
Huic panda hesternam lambebant labra polentam.
Illi ruga cavam crispabat pendula frontem.
Mucidus immundis stillabat naribus illi
Humor & oppleta turgebant sordibus aures.

Pars

Pars nudas duro firmabat frigore plantas,
Pars laceras, pars villosas incompta trahebat
Exuvias. non hic nitidis holoserica membris
Tegmina suspendi videas, vestesque superbas
Murice vel Tyrio velamina splendida cocco.
Hæc annis pannisque rigens vestigia ligno
Fulcit anus. vix hæc tunica paupercula mater
Molle tegit gremium, custosque pudoris egestas
Parca fuit. tales quondam Rhodopeius Orpheus
Traxit Threicias, furiarumque agmina ducit
Per Phlegethontæas conjux Plutonia sedes.
Sic Bacchas ivisse putem, cum Mænala circum
Flexa Mimalloniis implebant cornua bombis.
Omnibus hic labor est, anceps prædicere verum,
Et cuivis sua fata loqui. quacunque viator
Ambulat, horrendas præsago numine voces
Eructant, rapidaque rotant oracula lingua,
Eventusque hominum varios, casusque futuros,
Quæ sunt, quæ fuerant, quæ mox ventura trahentur.
Vt rabie fera corda tument & pectus anhelum
Excussit totum lymphato turbine Phœbum;
Hæc grandes promittit opes, Pelopumque talenta,
Et faciles in vota Deos, securaque vitæ
Otia. crudeles aliæ Rhamnusidos iras
Adversumque Iovem recitant, sterilesque hymenæos,
Aut querulam aut multa fecundam prole maritam.
Tu Sejanus eris, tu terra paupere (dicunt)
Ibis in imperium magnum, figuloque parente
Iura dabis latè populis. Te gemma beato
Æquabit miranda Gygi. tu Sylla triumphis
Transcendes abavûm titulos. tibi basia figet
Regis amor, tibi fullo gravis. tu sordida Thais
Ad coitum allicies alienos fœda maritos,
Et cœlebs bis mater eris, legesque cubilis
Calcabis matrona salax. Te justa Superbum
Excutiet solio Nemesis. te canna palustris

 Abscon-

Abscondet Marium. Tu, dux Pompeje, Photini
Ense cades. tibi, Crœse, rogi flammæque parantur.
Fatalis te furca manet. te gurgite vasto
Æolus & tumidis mergent irata procellis
Æquora. quin propius vultus cum femina lustrat,
Invenit ex altis lapsurum Elpenora scalis,
Invenit Andromachen, raptumque à matre misellum
Astyanacta. videt mulier vestigia fatis
Prævia, & ambigui prædicit damna veneni.
Quos ensis fodiet jugulos, quæ sica tyrannum
Expectet, quæ pœna reum, quique Hectora currus
Hippolytumque rotæ rapient. quo sidere quisquam
Ausurus sit quodque nefas. quem sera senectus
Spectatorem operum multorum reddet, & annis
Sufficiens vix vita suis. Tithonia narrat
Secula Nestoreosque dies. huic contrahit ævi
Curriculum, terris quem solum ostendere Parcæ
Immites cupient, nec spes implere suorum.
Ambulat has inter chara Virguncula matris
Depositum, quam dum centum vaga permeat urbes
Dux turbæ Gordonna, choro permiscuit isti,
Et patriis audax tectis avertit euntem.
Illa novæ patiens sectæ, docilisque, furores
Hausit & ingentes artes; potuitque juventus
Magna loqui & veris rimari singula causis,
Ingenio monstrante viam. non forma decusque
Deerat, in humidulis vernabat gratia labris,
Et lepor in verbis inerat, blandumque loquendi
Pondus & attonitas aliquid quod flecteret aures.
Os humerosque Deæ similis venerabilis ibat
Terribiles inter matres; & lurida quamvis
Egregiam pingui faciem turpasset amurca,
Emicuit gradientis honos, frontisque venustas
Ardua & amoto generosa modestia fuco.
Quin omnis secura thori, fraudisque dolique
Nescia, non vera fruitur sermone parentis,

Et rerum secreta capit, quacunque sub antris
Mugiit & Phœbi quondam cortina reclusit,
Euboicusque pater; quicquid Cassandra scienſque
Carmentis Latium docuit, vel filia grandis
Tiresia, vitreoque furens sub gurgite Protheus.
Noverat & quicquid Thuſcus ſcrutatur aruſpex,
Interpreſque Tages Superûm; venaſque calentes
Fibrarumque edocta ſitus, aviumque volatus,
Signabat motus volitantis in aëre pennæ.
Quicquid in humanis Superûm ſapientia membris
Abdiderat, potuitque loqui pars quaque tacendo,
Gnara aperit; ſorteſque notat facunda futuras
Garrulitas. dictant graciles portenta figura,
Inque ſuos corpus mores aſtuta reſolvit.
Principio ſeptem radiantia ſidera luſtrat
Orbibus, erranteſque Deos, Solemque Iovemque,
Saturnumque patrem durique habitacula Martis,
Infauſtaſque domos Lunæ, celebrataque mille
Tecta dolis, qua mercator Cyllenius altè
Incolit; & qua ſe cœli ſtatione tuetur
Vecta Dionæis petulans Cithærea columbis.
Hæc aſtris ſuppoſta videt, coëuntia fixis
Lumina luminibus; nunc occurſantia rurſum,
Adverſaſque faces facibus. conſpectibus iſtis
Gaudet & immenſos diſtinguit vultibus orbes.
Morbos Cancer alit, trux aſperat ira Leonem,
Emicat in Tauro probitas; & dedita ſacris
Relligio veneranda ſuis. felicia prolis
Signa, favens cauda, portendit matribus ardens
Scorpius, atque ipſo fecundi frigore Piſces.
Sub Geminis pulchro donat nos corpore Titan,
Tyndaridiſque facit ſimiles. ſub Virgine docti
Naſcimur, & criſpo prudentia multa capillo
Tuta latet. fidos Aries largitur amicos
Proſcribitque malos: appendit Libra labores
Ærumnaſque graves: acuunt ſtudioſa ſagitta

Pectora, & egregiis victuros artibus implent.
At Caper impuros animis instillat amores
Co niger, & vetitis urit præcordia flammis,
Emollitque viros. irrorat Aquarius annum,
Et faciles primis mores natalibus infert.
Hæc ait, hæc didicit vafra praeunte magistra,
Sic recitat Preciosa Deos, totusque puellam
Zodiaci labor exercet. Mox nostra pererrans
Corpora, formarumque modos, habitusque sonosque,
Hæc probat, hæc damnat. pars nostri qualibet illi
Fit schola, & articulis mysteria carpit ab ipsis,
Et summo præcepta ferunt à vertice tali.
Frons angusta cui est, & plus contracta, Corœbi
De genere est, fatuique satus de gente Meneni.
Longa sapit; sublata nimis vel turgida, fallit.
Sed rugosa gravem curis vafrumque rotunda
Arguit; & latis donantem vocibus, ampla.
Grande supercilium tumidos, pilosaque balbos,
Immundos protenta notant. cui tristia torvum
Ora vident, animam tacitis servare videtur
Consiliis; fraudesque suas macilentior abdit.
Plana cui multum facies, certamina, rixas
Litigiosus amat. cui plus carnosa, venustus
Esse cupit facilisque puer. quadrata disertis
Auricula est, stultis parva, imprudentibus ingens,
Flaccida degeneri, nitide purgata peritis.
Nec patula servant audita fideliter aures.
Plurima vis oculis. dixit Preciosa, probari
Humidulos hilaresque sibi, fixosque doloso,
Fallaci glaucos, prægrandes esse voraci,
Attentis ad rem modicos. tremulosque vagosque
Arentes, altè mersos, caligine septos
Vult non esse bonis. laudat sublime tuentes,
Nictantes in amore, truces ad bella paratos.
Omen habet nasus. bilem demonstrat acutus,
Crassus depressusque malos; vicinior ori

Magna-

Magnanimum, simus Venerem; sed nare rotundâ
Attonitum, diductâ alacrem, solidâque ferocem.
Os latum bellacis erit, vastumque loquacis,
Melleaque è parvis manat facundia labris.
At quoties dentes attollunt labra canini,
Illa parum fidos memorat; cumque aspera vox est,
Hic, inquit, nugator erit; cum blandula, terris
Altera Messalina redit; cum tarda, remissus
Cunctator; cum dura, ferox. cervicibus altis
Adspectat pavidos, crassis bardosque rudesque
Difficilesque sibi. curtâ temerarius audis,
Sordidus incurvâ. lævum cum pendula vergit
In latus, es petulans; dextrorsum flexa, modestus.
Laudabat pectus magnum, mammasque fluentes
Leniter, & stricti sub pectore ventris honorem.
Longaque dum præfert succinctis brachia, narrat
Pingues esse manus furum, vafrique pusillas.
Cum pedibus suræ turgent, invisa notatur
Asperitas; cum subtilem se tibia versat,
Mens hebet. in pando generosum tergore robur
Hæret, avarities curvo. Tu Zoile, toto
Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luscus
Haud bonus es. parvos humiles, rufosque fideles
Esse negat. nitidis ubi surgit densior ordo
Dentibus & spisso manducant agmine fratres,
Nestora designat. cum rarius adspicit agmen,
Lanificas perhibet præcidere fila sorores.
Iupiter humanos, genus intractabile format
Falciger, audaces Mavors, mollesque Dione,
Infelix Phœbo est. sapiens natura caveri
Signatos monet. Hæc parvo Virguncula vendit
Ære viris. hæc femineis præsagia turbis
Ingeminat repetitque iterum. narrantis ab ore
Dependent passim pueri innuptæque puellæ.
Inde artem Manus una facit, conspectaque gignit
Dogmata, fatidicasque legit Memphitica sortes.

Palma docet. dant signa volæ. sua munia pollex
Exequitur; legesque capit, qui proximus illi
Indicat. est mediis etiam connata potestas,
Est quarto minimoque fides. hos præscia veri
Cheiromantis amat. pugnus, junctura, manusque,
Monticuli tot pondus habent. hæc linea vitæ
Dicitur, hæc hepatis, Martisque triangulus illis
Clauditur. hæc est mensa manus. Si linea vitæ
Longa colorato ducat vestigia sulco,
It nobis longæva dies. Secat Atropos annos
Ocyus, atque acta per mille pericula luces
Incusant Superos, brevibus si linea gyris
Hic illic discissa fluat. si stricta vagetur
Inque sinus abeat medios, mens provida recti est.
Si pallens, si lata, dolet se gnava jacere
Sedulitas, totumque imbellis inertia corpus
Frangit & in stupido mens inconsulta cerebro est.
In misero ter secta via est. in Thaide crux est.
At quæ per mediam naturæ linea palmam
Tenditur, & nullis horret dissecta figuris,
Incolumes nos esse sinit. quæ parvula quando est,
Immemorem culpat. sunt quæ suspendia signant,
Quæ fluctus pelagique minas, quæ toxica, morbos,
Vulneraque & diro minitantes ense latrones.
Pessima nodosa est, sed cædibus horrida livet
Rubra manus. donec mensæ se linea pandat
Longius & robur membris juvenilibus addat,
Irarumque faces. eadem rubicunda maligni
Delatoris erit. sed rectis prædita ramis
Regum apices titulosque Ducum trepidasque secures
Et fasces humili spondet. cum linea triplex
Permeat hanc, læta dictat præconia mentis,
Et justi studiosum animum, pectusque pudicum,
Vestitusque graves & factum corpus ad unguem.
At quibus illa deest, dura inclementia mortis
Portendit turpes obitus, gladioque secandum

Terribili

Terribili lictore caput. forte illa Cethego
Defuit & Gracchis inconsultoque Philotæ.
Has inter variis servit successibus anceps
Linea Fortunæ, miscetque adversa secundis,
Opprobrium decori, fera, desultoria, fallax,
Noxia, nec cœptum constans servare tenorem.
Nec minus & Restricta valet, vicinaque carpo
Pars devexa, triplex quam pingens stella labantis
Ostendit famæ precium. progressa sub ipsum
Grande Iovis tuber, dominum discrimine grandi
Mactat, & infelix casus, Germanice, monstrat,
Vel, Dolabella, tuos. cum Solis linea montem
Bis transversa meat, Restrictæ ab origine, rerum
Magnarum gestator adest, qui pondera regni
Sustineat prudens & tanta negotia solus.
Obstupuere viri conclusum in pollice fatum,
Et ventura loqui digitos, nexasque potenter
Sideribus cœloque manus. namque ordine nullo
Cum fissura frequens celso se pollicis effert
Calle, salax Cleopatra venit, vel Iulia pejor
Adstat, & in quosvis ardescens Flora maritos.
Cum tumuli læves spectantur in Indice, virtus
Emicat ingeniique decus. cum sectio crassa
Lucidaque hunc dirimit, primi suspiria partus
Asperat & gratos tardat Lucina dolores.
Adde cruces, spes est ut sacros purpura honores
Nunciet, & triplicem merearis Papa coronam,
Ac supplex te Roma colat. Iovis ille voluptas
Et statio est digitus. medio stat sævus & acer
Falce senex, collesque suos crudelius orbi
Explicat, indiciisque riget; tuberque severum
Saturninus habet, pravaque sub indole trux est.
Ille beans thalamo digitus connubia Phœbo
Devovet, & sulcos pallentes odit; & ora
Facundis aperit, quoties hic lineæ Mensam
Radit, & haud longis pervadit proxima filis.

Denique qui minor auriculas & tempora scalpit
Mercurio sacer, à verrucis liber & expers
Squalloris fœdaque cutis, constantibus armat
Exemplis studiisque viros. Hac omnia Virgo,
Hac docuit Preciosa Tagum Batimque graves que
Astruas. has audis, felix Hispania, voces.
Illa laboranti causam persæpe puellæ,
Occultosque ignes, & quos Galatea furores
Dissimulat, sapiens aperit, juvenemque furentis
Advocat in gremium, & casto adblanditur amori.
Illa malas sociarum artes, fraudesque dolosque
Castigat, cæcisque alibi defossa recludit
Furta locis, raptisque frui formidat honesta.
Moribus ars precium, mores erectaque virtus
Addebant arti precium, sociataque pulchrè
Vis animi vitæque decor fulsere decenter.
Fortè pruinosas prases Gordonna per herbas
Et valles collesque inter consederat. altè
Dives ubi virides prospectat Murcia campos,
Et Seguram Staberumque bibit, pelagoque sonorum
Objectat secura latus. consederat una
Fessa via Preciosa, & dum pars magna sororum
Concipit ignavum per marcida membra soporem,
Pars tenui reficit confectum corpus oliva:
Illa per irriguo vestitas gramine terras
Mollia textilibus nectit violaria sertis,
Rorantesque rosas, floresque ignara maritat,
Præluditque thoro. mox tinnula sistra peritâ
Percutit ipsa manu, latrans quæ possit Anubis
Mirari, Isiaca quoties sacraria Diva
Pandit & erecta veneratur mente sacerdos.
Vox concinna sonans numeris difformibus aptat
Docta modos, propriisque attemperat organa mirè
Cantibus, & Superis venerandos accinit hymnos.
Conticuit nemus omne, & circum attenta stetere
Numina Hamadryades, Faunisque fugacibus hæsit
Impetus.

Impetus. adversis sonuit convallibus Echo,
Et redit reditura iterum. dulcedine captæ
Lentius ex altis salierunt fontibus undæ.
Non aliud melos Amphion, non suavius olim
Bistonius cecinit vates, cum redderet orbi
Conjugis Eurydicæ manes. non doctior illâ
Arte fuit, vel, quem vexit delphinus, Arion,
Vel cui multifori cecinit Pan tibia buxo.
Ipsa lyra citharaque potens per cymbala velox
Præcipites egit digitos; & gnara canoram
Ad choreas inflare tubam, nunc barbita pulsat,
Nunc modulos reddit media inter pocla monaulo.
Tympana nunc, variis modò surgens fistula cannis
Advocat agricolas. etiam crotalistria ludit,
Cum cupit. at potior cunctis argutula vox est,
Qualis non hominum, sed vox solet esse Dearum.
Audiit hæc veniens blandæ modulamina vocis
Nobilium de stirpe aliquis. quem collibus actum,
Dum cervos cursu sequitur venator anhelo,
Huc sua sors, vel trusit Amor. dumque adspicit omne
Agmen & intento perlustrat lumine cunctos, (hunc
Quod genus hoc hominũ est? inquit. quæ barbara morem
Produxit regio? matres puerosque vagari,
Neglectos errare viros, vix corpora pannis
Palliolоque tegi, vultus ferrugine tingi,
Impexas fluitare comas. sic ipse furentem
Fama fuit Cybelem, Phrygiasque per oppida matres,
Et rabidas duxisse nurus. non una Megæra est,
Plurima Tisiphone est. caput hoc crudele Medusa est.
Ille virum facie deformem Prothea reddit,
Thersiten magis ille. jacent, quos corpore claudos,
Quos genuit natura breves. hic lusca Philene est,
Gellia rufa, loquax Phryne, stat calva Marulla.
Gibbosum video Galbam, cervice recurva
Zeusippum, & parva Zenonem fronte reductum,
Chrysippum strictis digitis, laxisque Cleanthem.

Dum videt atque oculis Pharia agmina circumspectat,
Apparet Preciosa viro. vox faucibus hæsit,
Arrexitque comas stupor. admiratur euntis
Lene gradum, rara fulgur venerabile forma,
Flammantesque oculos & membra decentia, pondus
Eloquii nectarque merum, modulamina, lusus,
Ingenii vernantis opus. pulcherrima non jam
Antiope fuerit, Spartanaque laudibus infra est
Hermione & claris Candaulis nupta tiaris.
Vt vidit, jam totus amat. non retia cordi,
Non ultra phaleratus equus. mens prisca recessit.
Dat veniam jaculis, subitò mitescit amando,
Erectus lascivit apex, vitaque prioris
Horror abit. non cura canum est, non rura viasque
Scrutari, qua cerva abeat, qua spargat odores
Dama graves. totum juvenem regina Dione
Occupat, atque suo jam mox ductura triumpho,
Vulnerat & cordis telum penetralibus infert.
Sed postquam cœpit fari, & confessus amorem
Ore fuit, tantaque optat Iunone potiri:
Respondit Preciosa: Mihi vix nubilis ætas
Labitur, & Paphiis minus apta puertia curis.
Mater ero, matri quam fas parere? cubili
Ingerar, imperii patiens? & nata parentum
Obsequio, mandata loquar? ne tempora, quæso,
Ærumnis præverte suis. hæc fœdera adultas,
Illa nurus grandesque decent. quin sæva pudoris
Sum custos vindexque mei. tibi fortè voluptas,
Posthabita probitate, placet, surreptaque furtim
Basia. nobilitas quales effrenis amores,
Inferior virtute, probat. Te celsa potestas
Erigit atque attollit humo; me fata minorem,
Me vatem fecere Dii. tu sanguinis ortu,
Tu generis splendore potens illustrior exstas.
Est genitrix contempta mihi, contemptior ordo.
Has socias, has consortes veneror que coloque

Sordida,

Sordida. Tu molli vivis lascivior aula,
Tu spumantis equi exerces calcaribus armos,
Pulchraque magnanimi moderaris frena caballi,
Tu frameas hastasque quatis: mihi conficit avum
Fatiloquæ doctrina manus, & scripta figuris
Sors hominum. nunc lætum aliquid, nunc triste rogata
Eloquor, & gracili solor mercede laborem.
Sunt aliæ innuptæ & vitæ florentis Ibera,
Nobilitate pares. mihi fusca coloris imago est,
Coctaque sum Solis radiis & turpis olivo.
Tu niveo candore nites. ego Cynthia credor,
At tenebris oppressa suis. tu Cynthius ora,
Tu melior vultus aperis, quos nescia legis
Indulsit natura mea. tibi vita laborum
Plena, mihi tranquilla fluit. me damnat egestas,
Majestas te tollit opum. concordia lecti
Nulla foret, tam discordi sub judice rerum.
Ille verecundæ placidissima verba puellæ
Hausit, & ut dubiam vota in contraria mentem
Flexit, & hinc generis decus & præfulgida volvit
Stemmata, natalesque suos; hinc vincula gentis
Barbaricæ, ritusque truces, & pauperis Iri
Relliquias, Cynicæque affinia dogmata sectæ,
Tandem ait: Heu quò non mortalia pectora cogit
Imperiosus amor! quæ non connubia nectis,
Iupiter! hanc si vel cupiam non velle, juberes
Me, pharetrate, sequi. stringunt me lumina captum,
Stringit lingua, pudorque decens, frontisque decora
Cæsaries, vinctum pars pertrahit omnis amantem.
Estque aliquid, quod amare facit; quod sentit amator,
Nec, quid sit, memorare queat. Me respice, Virgo,
Non veni intactum famæ rapturus honorem,
Non sceleri involvam tedas. meliora petuntur
Federa, nec sævi flammas patiere mariti.
Conjuge dotari cupio, non virgine rapta,
Ne mihi displiceat vitio maculata feroci

Integri-

Integritas & iniquus Hymen. En, dextra fidesque
Conjugis, & nostri non lævum pignus amoris
Annulus, Eoa radians ab jaspide munus.
Nec minus apta thoro justis tibi vernat ab annis
Virginitas. tenerum tibi præcox flamma pudorem
Sollicitat, possitque virum perferre juventa
Succrescens vigor. his Thysbe nuptura sub annis,
His Sappho periere. senis despecta puellæ
Gratia. commendat novitas & nata recenter
Pubertas. Sic vere novo decerpitur insons
Flosculus; & prima ludunt cui cornua fronte,
In vitula se prodit amor. quid stemma genusque
Objicis? hæc tua sunt. nostro dotabere sponsa
Sanguine, nobiliumque tibi transcribet honores
Lex thalami. si pauper eges, me conjuge mecum
Dives eris. potuit mitratis rustica Phyllis
Arrisisse Deis, regumque cubilia scandit
Felix pauperies. imbelles inter Achilles
Nevit fila colos, magnoque adamata fuere
Rura Panomphæo. nulla est, in amantibus æquè,
Disparitas. fiunt similes, quos corpore junctos
Lectus habet. cunctos confundunt oscula mores,
Nec festiva suos Cypris distinguit amantes.
Hæc ubi fatus erat, primo suspirat amori,
Insolitasque suis sensit Preciosa medullis
Exarsisse faces, totoque incanduit ore,
Admista geniale fovens formidine votum.
Tum verò Gordonna gravis, cui credita cura
Virginis, accessit; passuque superbior adstans,
Infremit, invalidis anus enervata lacertis,
Callida, marcescens senio, rugosa, tremensque.
Utque pererrantes per squallida colla capillos
Disposuit, sic orsa loqui est: quid talia demens
Moliris, speciose virûm, cæcoque furori
Indulges? compone animum, propriusque voluta
Dura rudimenta & nostri decreta Senatus.

Si Preciosa placet, talis si poscitur uxor,
Talem te fieri fas est. hac regula vita
Amplexanda tibi, parendum legibus iisdem
Obsequioque pari. Solem, vaga sidera, noctes
Didicimus brumamque pati. per regna vagamur
Omnia, nec certa Nomades regione moramur.
Omne solum nobis patria est. non sufficit Afer,
Non Asiæ stamus spatiis. Europa colonos
Excipit ampla suos. toto discurrimus orbe,
Cum Phœbo mutamus iter. sunt oppida & urbes
Arcta nimis. norunt palantes Gallia cœtus,
Ausonius, potor Tamesis Rhenique bicornis,
Græciaque, & cunctis nostri celeberrima terris
Fama viget. nulla est nobis distincta peculi
Cura, bonis fruimur pariter communibus. omne
Quod lucramur, habet quisquis. lis nulla movetur,
Nam res nulla mea est, nulla est tua. credimus omnis
Injustè nobis natura dona negari.
Quicquid alit tellus, nobis alit. arbor agerque
Omnibus ex æquo concessa munere Divûm,
Publica sunt undæ, famulantur flumina cuivis,
Squamigerumque genus, nec solum publicus aër.
Carpimus injussi pendentia ab arbore poma,
Sunt etiam nostræ messes, quantum indiga victus
Turba sumus, cur non nobis bos fessus arando
Mugitat? aut lanas solis ac vellera sceptris
Donet ovis? mundi dominos Deus ille Deorum
Constituit, quoscunque creat. quod possidet alter
Est usu fructuque meum. qui primus avaras
Possessor divisit opes, in commoda raptor
Publica peccavit. damnamur crimine furti
Insontes. Sibi quisque petit, quæ pluribus æther
Concessit. quid enim? Rex Iupiter omnibus idem,
Et Iove non alio nati, nutrimur eodem.
Vita proba est, thalamique fides constanter amatur
Conjugibus. sparsas Veneres & pocula Circes

Odimus & quotquot venerandi fœdera lecti
Audaces violant. qui fecerit, hostia cunctis
Mactatur, juguloque luit. non vincla, catastæ,
Non vexat tortura reos, laqueique trabesque.
Virgo vices lictoris obit, sontemque trucidat
Ocyus & pœnas scelerato à sanguine sumit.
Nulla levat nostras vesana superbia mentes,
Luxus abest, livorque malus, parvoque potentes
Insidas ridemus opes. non bella, triumphos
Quærimus, aut diris læsi concurrimus armis.
Non dubios pelagi tractus fluctusque secamus
Lucripetæ. nulla est magni custodia census.
Non hîc antè diem tardantis busta senectæ
Praeveniat votis soboles. non quæritur hæres,
Non gravis est quæstura viris, non grande talentum
Poscitur, aut timidis congesta pecunia saccis.
Paucula sufficiunt, sordet quæsita supellex,
Et pompæ decor. hæc nobis velamina fulgent
Splendidius. laceras lampas Phœbeia vestes
Clarius illustrat. nullis æraria furtis
Nostra patent, vacua coram latronibus imus.
Non animos mœror, non spes incerta fatigat,
Non angunt metus, & semper sitibunda futuri
Vota sed ut tenui pascuntur rore cicadæ,
Flosque bibit pluviam, secura vivimus illis,
Quæ sors cunque dedit. non duram vomere glebam
Scindimus, aut rigido Vestam laceramus aratro,
Non occat manus. & tantorum ignara laborum
Gens, Cereris nunquam vel puri fontis egemus.
Dum diversa placent aliis, huic sanguine livet
Dextra ferox, salsam bibit horridus Amphitriten
Navita, venator silvas indagine cingit;
Dum suus agricolis labor est, terramque fatigant;
Nos cœlo cœlique plagis Superisque vacamus,
Pronaque spectamus nobis erronibus astra,
Et quid quodque ferat, membris scrutamur in hisce,

Ac

Ac circumducti vires venamur Olympi
Exigua statione manus. Si talia cordi
Dogmata sint, si prisca placet, securaque Christi
Relligio, centumque Ioves, cultusque Deorum,
Uxor erit Preciosa tibi; sed compare lecto,
Sed sacri sub lege thori. sin fallere mens est,
Raptaque virginitas possit placare furentem,
Dique Deaeque omnes & conscia numina perdant
Fedifragum, manibusque malus lacerabere nostris.
Toxica te Nessi tollent, vel tela sequentis
Herculis, aut propria satiabere prole Thyestes.
Nec veluti Phrygius penetrat Lacedæmona pastor,
Hanc patrias Helenam sospes vectabis ad arces.
Dixerat. at sublimis equo & conspectior Heros
Annuit. Hunc, Gordonna, tua jam gentis alumnum
Accipe, ait, vestris juvenem me ritibus omnes
Imbuite. ô domus, ô tellus, patriique valete
Dilectique Lares. tecum, Preciosa, vagari,
Tecum vivere amem. tecum per devia raptus
Sub Cancro cernam Meroen, sub Piscibus Istrum.
Quæ mihi relligio est, cupiat latuisse. priores
Dissimulet Cytherea Deos. tibi corpus, Olympo
Ah victam, sacrabo animam. violenta putanda est,
Sic præscripta fides. minimum peccabitur, acer
Cum leges extorquet amor, rectorque Cupido.
Hæc ubi fatus erat, nuptis clamore secundo
Applausit trux turba novis, fastuque remoto
Strinxit Acidaliis genialia corpora vinclis
Improvisus Hymen. non jam generosa frementis
Tergora scandit equi, pedibus per jugera nudis
Ambulat. Attalico non fulget Sponsus amictu,
Non pharetram gestare libet, non balthea pendent
Ex humeris, capulisque insculpta minacibus horret
Gorgonis effigies propriisque assibilat hydris.
Degeneres Iuvenem tunica, dissectaque velat
Ad talos demissa stola & malè pendula palla.

Vngitur,

Vngitur, & veteris proscripto nominis usu,
Andrea jam nomen habet. per rura, per urbes
It juxta socius, Furiarumque agmina ductans
Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis.
Dic mihi Calliope, quo numine reddita matri
Mox fuerit Preciosa sua, clausumque tenebris
Damnatumque, prius, patria, populoque suisque
Reddiderit fortuna virum; quo prodita fato
Facta fuit supplex rapta Gordonna puella,
Dicite Pierides, tantisque ostendite finem
Motibus, & fesso numeros pracidite vati.
Errabat mutatus Iber, quà fera profundo
Extollit Carthago caput, Balearica spectans
Æquora. cui lato occursans Virguncula gressu,
Dum dignos propius generoso sanguine vultus
Adspicit, occultam sub pectore gliscere flammam
Sensit, & ut sensit, culpam lasciva fatetur.
At fidei memor ille sua, lectique piaque
Conjugis, insanam dictis castigat amantem
Integer, invictaque preces probitate repellit.
Cum virgo spretos versans crudelis amores,
Hæc secum: Si non potui te blanda potiri,
Vlciscar mea probra dolis. convertar ad artes,
Et fiam Stenobaa ferox, terrisque redibit
Altera Phædra mei. Sic fata, monilia, baccas,
Sericaque & chlamydes per caca silentia noctis
Tollit, & Andrea (ut possent surrepta videri)
Ignara sub veste locat. simul acta per urbem
Bacchatur, civesque suis clamoribus excit,
Donec furta viri rigidè discussa supellex
Ostendit, visusque fuit peccasse viator.
Non tulit impatiens lasa dispendia fama
Insons nobilitas, infestaque militis arma
Dum patitur, stricto pracordia verberat ense,
Immemor imbellis secta. grassatur in omnes
Lictor atrox, duris constrictus brachia nodis

Ducitur

Ducitur Andreas. capitur dux femina cœtus
Gordonna & charo Preciosa avulsa marito.
Adspicit hanc, quæ mater erat, ferventius uxor
Iudicis, atque oculos nunc huc, nunc projicit illuc;
Quamque videt, timet esse suam. se sentit amare,
Nec tamen hoc audet. non vultus, non color unus,
Non eadem mansit vox interrupta parenti.
Vt cœpit Preciosa loqui, magis illa moveri,
Mirari & tacito percelli verbere pectus.
Nunc levis attonitæ subrepit opinio menti,
Spesque fovet repetitque suas. nunc pressa resedit
Credulitas. præbent iterum fomenta puellæ
Forma, decus, majorque ipso reverentia sexu.
Ambigit, ambiguaque gravis dubitatio matri est.
Nunc oculos, nunc illa genas, nunc brachia tractat,
Et veluti clausos inimico vimine pullos
Circumcursat avis, Preciosam nescia veri
Mater obit, grandique comes malefida stupori
Suspicio est. fugit ægra dapes, palatia, rarus
Sollicita invitat vigilantia lumina somnus.
Luctus acerbus adest, testantur verba dolorem,
Ora madent lachrymis, destillans ubere sanguis
Progeniem sobolemque notat. quam plurima pernox
Cogitat & veteres raptæ reminiscitur annos.
At Gordonna gravi jamdudum percita curâ
Hæret in ancipiti. nec quid faciatve vetetve
Invenit. hinc scelus & raptus audacia terrent
Exanimem. hinc tristis miseranda scena parentis,
Et natæ suspensus amor sperare fatentem
Et fraudes aperire monet. jamque ægra, fatiscens,
Et dubiæ supplex genibus projecta parentis,
Hæc soboles tua, Mater, ait. gavisa teneto
Progeniem. affirmo, genitrix; desiste vereri.
Da veniam culpam fassæ, miserere precantis,
Me me, adsum quæ feci. in me converte furoris
Tela tui. vel si precibus clementia flecti

Se sinet, hoc oro, extremæ placare senectæ.
Adspice detractam juvenili vertice baccam,
Adspice fulgentes per colla argentea gemmas,
Adspice, qua quondam religasti sindone crinem,
Cum raperem. sunt ista tuæ certissima prolis
Pignora, quæ monitis adolevit pronuba nostris,
Et thalami consors digno sociata cubili est.
Vt dixit, rerum facies mutata repentè est,
Non matris titubavit amor; complexibus hæsit
Filia: quas luctus lachrymas, nunc gaudia cunctis
Extundunt: dicta est vero Constantia passim
Nomine, nec Preciosa fuit: laxata marito
Vincula: nobiliumque domus patuere genusque
Et proavi: veniam meruit Gordonna; novisque
Latius auspiciis clari coiere penates.

Virgo Ἀνδροφόρος,

Sive EMMÆ, Caroli Magni filiæ, EGINARDUM Scriptorem, amasium suum, humeris portantis, fata & Nuptiæ.

Post domitas Alpes debellatosque potentis
Insubriæ Latiique Duces, pulsasque ferocis
Relliquias Totilæ; cum latè Sequana terris
Iura daret, fractumque suis compesceret armis
Saxona, Pannoniosque truces Istrumque Savumque,
Et victus Carolo fasces submitteret orbis:
Risit Amor Venerisque puer, quatiensque pharetram
Et mihi sunt fasces, inquit, mundique potestas
Francorum cum Rege mea est. hæc tela facesque
Sceptra domant, regumque mei penetralibus ignes
Luxuriant, tenerosque ruens bellator in annos,
Virgineos mihi subdo sinus; mitrataque cogo
Colla Cupidineæ leges perferre tiaræ.
Nos quoque, nos Caroli sumus, & non dispare fato

Regnamus, quacunque libet. si nomina Magni
Victores jactant populi, majora meremur,
Majus opus princeps moveo. si barbarus Hunnus,
Si Gothica cessere acies & Gallica gaesa
Vandalus, & Mysis timuit trepidantibus Albis;
Sentiet aula mea facinus memorabile dextra,
Sentiet Emma dolos, & fraudibus apta patebit
Virginitas augusta meis. generosa virago
Nubet & insani specimen se dicet amoris,
Veraque scribetur victuris fabula fastis.
Partiar illustres magno cum patre triumphos,
Dumque illi longo devicta ex ordine gentes
Obsequio se quaque probant; mihi regibus orta
Progenies regumque soror, celebrisque Pipini
Claraque Martelli neptis stipendia lecti
Solvet, & imperii majestatisque suorum
Immemor, exuto quaeret furtiva pudore
Oscula & indigni calamum scriptoris amabit.
Quàm risi, cum pulchra Craten Hipparchia conjux
Posceret, & foedi placuisset gratia gibbi,
Decrepitusque senex. quàm me moderante Menander
Evasit crudele forum, gladiosque severa
Discussit Tryphosa tuos. quàm bella coëgi
Corpora, cum rigidis Preciosam duceret Asiur
Legibus, & lacerâ erraret per compita pallâ,
Ignarus prisci decoris. Nunc regia Virgo
Concipiet flammas; nostrisque arsura favillis
Implebit terras famâ, documentaque mundo
Certa dabit, quàm nil timeat securus honorum
Et recti contemptor amor, centumque libido
Nixa dolis. hac fatidica ventura sorores,
Ista trahent tetrica fatali pollice Parcae.
Pax erat, & laeto regnatrix Gallia vultu
Se poterat dominoque frui; cum festa per aulam
Apparat ingenti Princeps convivia luxu,
Totaque nobilium resonant palatia plausu,

Ense rigens, raptaque miser Briseide Chryses,
Quæ postquam tenuere oculos spectacula, tandem
Prima leves Diana choros & ovantia duxit
Agmina venatrix, stricta quæ veste pharetram
Et curvos alte scapulis suspenderat arcus,
Sic imitata Deam: calamis & arundine crinem
Collaque frondiferâ redimiverat alba coronâ.
Hanc nexis docte manibus comitatur euntem
Turba puellarum, qualis solet esse sororum
Naïadum, vel Manalii gens innuba Fauni,
Aut procul amoto petulantes Pane Napææ.
Hæc Daphne fuit, hæc Crocale, lepidissima juxta
Ibat Callirhoe, Byblisque Hyaleque Rhanisque,
Et quondam in florem Clytie mutata. superbo
Mixta ibat Niobe gressu, natasque trahebat
Pone suas. hic Halcyonen, Syringa, Batillam,
Hic Dryopen videas. hic candida subsilit Iphis:
Leucothoësque habitum virgo mentita vel Inûs,
Ad strepitum citharæ summam pulsabat arenam.
Emicuere Deæ Charites, Aglaïa plantis
Mobilis, hinc tremula Euphrosyne, facundaque Pitho.
Virginibus totidem, pastorum vestibus omnes,
Occursant juvenes. quos prisco more sequentes
Pan Deus Arcadiæ duxit, cui cornua fronte
Surgebant, vultumque involverat horrida barba.
Montivagam rapuit Dictynnam semicaper Pan,
Iuncta fuit Phœbo Daphne, duroque Menalcæ
Callirhoe, Byblis Cauno, Niobenque trahebat
Thyrsis. at Alcidamas Hyalen, Clytienque Palæmon.
Læta Rhanis saltat Mopso comes, Halcyonenque
Agrestis flectit Corydon, Syringa Marullus.
Allevat Alcmæon Dryopen, capit Iphin Alexis,
Leucothoen Daphnis. sociantur Cycnus & Ino.
Silenus crasso ductabat ventre modestam
Euphrosynen, Melibœus amat concurrere Pitho,
Aglaïæ levipes Cephalus, Crocalæque Philamon.

Hæc insana furit, titubat paupercula Bauce,
Et saltu petulans Citherea notatur in ipso.
Dumque tacent, oculis, motu, gestuque loquuntur.
Hos inter miris flectebat corpora gyris
Spectantumque oculos aliquis converterat in se
Conspicuus forma juvenis. non pulchrior ulli
Vultus erat. pars quæque tenax & gnara decori
Emeruit laudis precium. despectior illo
Mæoniis toties celebratus versibus acer
Meriones fuit, & saltandi clarior olim
Arte Neoptolemus. poterat per summa volare
Atria saltator velox, & radere visus
Vix tactam feriebat humum. demissa modestè
Hinc manus atque illinc pedibus monstrabat in imis
Ingenii studiique notas. nec doctior alter
Scribere, & eximiis teneram signare papyrum
Lineolis, bibulæque animum concredere chartæ.
Hic Eginardus erat. quem capta cupidine formæ
Regia progenies, tunc, cum saltaret amavit,
Et sensit placuisse sibi; tacitumque sub alto
Igne facit votum & vehementius æstuat Emma.
Tunc cupiat peccare & basia figere membris
Mobilibus doctisque regi; circundare collo
Brachia, complectique virum. quin sanguinis odit
Nomina splendoremque sui, titulosque decusque
Ipsa suum metuit. vellet contemptior esse,
Nec regum prognata domo. fastigia regni
Demissus declinet amor, fastusque potentum
Negligat, ut tali fiat magis apta marito.
Spes tamen obscœnas inconcessosque hymenæos
Non audet pepulisse animo. resoluta quiete
Expetit absentem. non primo avellere amori
Noxque diesque queunt miseram. cum fusa per herbas
Mane suburbanos discincta perambulat hortos,
Saltantis versat speciem. cum clara pyropo
Limina conscendit, centum stipata puellis,

Spectat inexpleto gradientem pectore formam,
Conspicuasque genas, & mascula membra, decusque
Oris, & ingenuo gratum candore ruborem.
Omnia miratur, quæ viderat, omnia jactat
Et majora putat. fingit sibi somnia, fingit
Tangere se juvenem, visa est sibi jungere corpus
Corpori & erubuit. tandemque ita mente profatur:
Emma, quid est? cur grata viri saltantis imago est?
Nec concessa probas? cur hæc tibi fœdera demens
Promittis, gestisque frui tam dispare lecto?
Num par huic diadema thoro est? num tanta potestas
Contempti scriptoris erit? si filia magni
Non essem Caroli, possem non ægra potiri.
Nunc quia sum, juvenis non est meus, ipsaque damno
Est mihi majestas. plebeia beatior essem,
Et fruerer votis felix. quam nominà vellem
Mutari mea posse mihi! quam stemmata vellem
Esse minora mihi, aut lumen prælustrius illi!
Tunc, Eginarde, tuo poteram nurus esse parenti,
Tunc, Eginarde, meo poteras gener esse parenti.
Omnia tunc cuperem fieri communia nobis,
Oscula que & lusus & quæ sperantur amanti.
Non tamen hic nostro de corde fugabitur ignis.
Vror amore tui, causas circumfero mecum,
Et veluti candens Phœbo surgente pruina
Solvitur, ægra tuis sensim tabesco favillis,
Attenuorque, vigor solitus viresque fatiscunt,
Dum fecunda meo præbes alimenta furori.
Quid faciam? roger, anne rogem? si primus amares,
Possem casta sequi, flammasque rependere flammis,
Et votis æqua esse tuis. nil tale petentem
Aggrediar prior? & poscam, quæ poscere fas sit
Te potius? poterisne loqui, poterisne fateri,
Emma, faces? non illa placent. confunderet horrens
Ora pudor. potius, quæ nescit muta pudere,
Litera secreto fallax præcurrat amori.

Sic ubi Demophoon ventis promissa dedisset,
Per mare, per terras testatur epistola luctum
Phyllidis. absenti scripsit Briseis Achilli,
Pegasis Oenone Paridi, regalis Oresti
Hermione, & pulchro Sappho lasciva Phaoni.
Hac etiam nostra sedit sententia menti.
Arte nova prodendus amor. non eloquar audax
Sensa, per ambages ibo, fictisque dolosè
Fraudibus ignarum aggrediar. concessit amanti
Multa Venus, prudensque caret simulatio culpâ.
Quid liceat, spectare senum est. fas omne nefasque
Expendant, qui sceptra gerunt. temeraria dici
Cypris amat, nunquam timidi statuere trophaum,
Et toti trepidus populo ridetur amator.
Dixit: & hinc dextra calamum chartamque sinistra
Arripit. & jamjam cupiens meditata notare,
Scribere formidat, tremit, incipit, abiicit excors
Et rursum repetit tabulam, gaudetque doletque,
Et delet scribenda iterum; scribitque vicissim,
Qua deleta volet. sic fluctuat, ambigit anceps,
Sic animi pendet. donec secura pudoris
Audet verba novis inscribere talia ceris:
Quam tibi transmitto, referas, Eginarde, salutem,
Et jussis attende meis. nil poscimus ultra,
Huc, scriptor celebrate, veni. te cernere coram,
Te cupio scriptore frui. tibi dextera solers
Pingit adorandis absentum verba figuris,
Et manus in foliis ludit dexterrima summis,
Vt Druida mirentur opus, succosque notasque
Et volucris penna officium. mihi talia mens est
Discere, te ductore. velim virguncula magna
Artis & ingentis doctrina arcana doceri,
Te praeunte. piget vili percurrere telas
Pectine, vel torto deducere stamina fuso,
Aut vestem distinguere acu, vel Gallica latâ
Ad cithara cantus modulari carmina voce.

Claruit & Manto studiis, celebrata Sibylla est
Ominibus, viguit Latio facundia matris
Gracchorum, Pollaque decus. subtilis Arachnen
Extulit ars, doctam commendant fila Minervam,
Textaque magnificam stupuerunt serica Circen.
Me pulchrè scripsisse juvat. nil penna, sed usus
Proderit. O dignum mortali gente repertum,
O Superûm labor! exigua se cuspide terris
Explicat & tenui loquitur mens abdita rimâ,
Et procul extremis aperit mysteria Parthis,
Transque maris tumidos fluctus, Alpesque nivesque
Intrepidum molitur iter. si cernere cordis
Intima & abstrusos animi penetrare recessus
Vis divina valet, nos hac interprete penna
Dî sumus, & patuli motus cognoscimus orbis,
Et Tanain ultra, & Libyæ deserta, trucemque
Caucason, Hyrcanosque sinus, & Bactra vagamur.
O felix Cadmi studium! quàm, littera, multum
Vtilitatis habes! quàm prodes scripta decenter!
Te sine ploret amans, nec Sestos norit Abydum,
Non Grajum Medea ducem, non Cressa puella
Scribere Thesea posſit periuria lingua.
Tu vallos, tu castra latens, tu saxa ferasque
Perrumpis, clausasque subis validissima portas,
Et cæca vigiles fallis sub nocte phalanges,
Nec te Luna videt. tu fossas subter & undas
Tuta natas quærisque viam. te pendula celso
Aëre gestat avis, portant tua verba columbæ,
Et bellatorem deridet epistola Martem.
Te sine non fidus Pyladi scripsisset Orestes,
Te sine non fido Pylades scripsisset Oresti.
Te sine quis Nini rabiem, quis Iasona nosset,
Victoremque Asiæ Macetam, tria fulmina belli,
Scipiadem, Pyrrumque & parvo vivere suetum
Fabritium? fœdis jacuisses, Brute, tenebris,
Adversasque movens socero, Pompeje, cohortes,

Et tacitos premerent ingrata oblivia Paulos,
Marcellos, Crassósque & nomina digna Catones.
Annales, fastósque & quæ meminisse futuri
Tot monumenta valent, scribentis munere versas,
Posteritas; sive hæc foliis inscripserit olim
Cura patrum, & sicco steterit Sapientia grandis
Cortice, seu lenta legerentur prælia cera,
Aut niveæ caperent simulachra nigerrima chartæ.
Accedas, Eginarde, doce, quos linea ductus,
Et quales poscat scitissima litera flexus,
Laudatúsque sua incedat statione character.
Hæc jubet Emma, veni & facilis mandata capesse.
Talia scribentem tandem pudibunda reliquit
Penna manum. dubitat, num quæ jam scripta fuissent
Confodiat. dissuasit amor. signare tabellam
Incipit & pressa subsignat nomina cera.
Deque suis aliquam famulis accersit, & illas
Trade, ait, has abiens Eginardo trade tabellas.
Nec mora, Cæsarea scriptor spectatur in aula,
Emmam lætus adit. poteras cognoscere culpam,
Ut stetit ante oculos. non illi vultus & ora,
Non color unus erat. pallet, rubet: æstuat, horret:
Vox tremula est constansque iterum: vult discere, discit:
Scribere vult, scribit: rogat, errabunda rogatur,
Corrigiturque manus. laudat studiosa magistrum,
Miratur celeres ductus, vocumque mæandros,
Et per continuos remeantia brachia circos.
Ille verecundi mox observator amoris,
Et Veneris secreta notans, laudare laborum
Prima rudimenta & regalis cœpta puellæ
Incipit, & placida moderari exordia voce.
Dein propius verbis, propiúsque assibilat illi
Molle aliquid, festivum aliquid. paradigmata scribit
Callidus & totum chartis deducit amorem,
Quaque suo scripsit Byblis mœstissima Cauno,
Laodamia viro, aut charam Leander ad Herum,

Seligit argumenta, & sic accendit amantem,
Illecebrisque fovet. scribit sine mente virago,
Atque aliò manus, atque aliò mens læsa vagatur.
Dumque piget chartas prono nimis ore tueri,
Respicit adstantem juvenem, vultumque retorquet
Crebrius; atque errare cupit, quò sæpe monentem
Audiat & cupidos scriptori obvertat ocellos.
Discit amatque simul virgo. cum littera Cadmi
Prima foret scribenda, levem scribebat Amorem,
Cum B basiolum, cum C Citherea notatur,
Quinta Eginardus erat, fit littera quarta Dione.
Artem turbat amor comes, ars perturbat amorem,
Et male concurrunt ratio & vesana libido.
Ergò ubi se ostendit repetitis lucibus aulæ
Scriptor, & accensæ furor immansuetior Emmæ est;
Labitur è manibus calamus, lachrymisque papyrus
Mœsta madet, stillant oculis humentibus undæ,
Et dominæ crimen produnt. tandem incitus ardor
Litterulas inter furtim rapit oscula, jungit
Amplexus; rident ambo, mirantur amantum
Esse scholam. jam charta, stylus calamique recedunt
Longius. officium spernit vulgare docendi
Præceptor, majorque viro fiducia surgit,
Atque Emmam plus grata docet. non illa fateri
Rem timet. at caussas aperit, morbumque dolosque
Quæsitumque diu simulato fine magistrum.
Utque suis vitium gradibus seriesque malorum
Incrementa capit, post tot præludia miscent
Corpora, & audaci scriptor bellissimus Emmâ
Et lecto potitur. stupet exaltatus amator
Scribendi precium & pingentis præmia dextræ.
Nox erat & nigra tellurem involverat umbra
Demerso natura die. Sopor altus habebat
Mortales, & fessa suis se regia curis
Solverat. obscuris virtus crimenque latebat
Occultum tenebris, Paphiisque accommoda ludis

Tempe-

Tempestas illunis erat. non Hesperus ignes
Extulerat roseos, non pleno Cynthia vultu
Lucebat cœli medio. sua gaudia laxat
Filia victoris Caroli, fruiturque proterva
Præceptore suo. cui jam non littera segnis
Ducitur, aut totas metitur syllaba noctes,
Sed lasciva Venus. vellent caligine longa
Concubitus facinusque tegi, nocturna morari
Sidera, nec currus velocem volvere Phœben,
Auroramque suis fixam consistere bigis.
Interea gravidus fecundis imbribus æther
Labitur in terræ gremium, dispersaque sursum
Corpora cogit hyems, & quæ sine frigore possent
Esse graves pluviæ, permixtus distrahit aër,
Et candere facit; nivibusque adoperta caducis
Prata, urbes, montesque nitent. non ista duobus
Apta fuit mundi facies, non forma procanti
Tuta satis. surgunt ambo, sua limina pandit
Emma, procum tepido tum dimissura cubili.
Vtque vident niveo terras albescere vultu,
Stant ambo attoniti. metuunt, ne garrula crimen
Et thalami labem patri natura loquatur,
Certa viri monstrans vestigia. Vah, mala dixit
Nix, Eginardus, abi. crudelis amantibus obstas,
Indiciumque mei facis. ô si Dædalus alas
Commodet, & levibus raperer trans æquora pennis,
Bellerophonve ministret equum! ô si vertar in undas
Et fontes, Arethusa, tuos, vel marmore totus
Obrigeam fiamque lapis! mihi terra dehisce,
Absorbe tam immane nefas. me tollite vivum
Eumenides, Stygioque caput damnate profundo.
Quo fugiam, via nulla patet. si saxa nivesque
Affusas calcare velim, pes fallet amantem;
Sin maneam, offendet genitor. nunc fertile fraudum
Deficit ingenium, nec habent mea vela recursum.
Quam malefida meas exorsa est Cypria flammas!

 Quam

Quam nox hæc inimica fuit, quæ finiet illas,
Quas fuit orsa, faces! nihil est, quod fingere possit
Inconsultus amor. sim taurus, Iupiter, Emmam
Vt rapiam fluctus ultra. mea corpora torque,
Artusque attenua, ut colubri sub imagine parvus
Elabar, fac esse aquilam, nubesque secare,
Et vastum per inane vehi. sim vilis Arachne,
Aut blatta tineaque minor. Nec territa casu
Palluit Emma minus, trepidat, suspiria ducit
Anxia. nunc sua fata dolet; nunc condolet illi,
Et multum perculsa tepet. desævit æstus,
Et serò deprensa sapit. subit ira tremendi
Cæsaris, offensusque pater, generisque domusque
Splendor, & invictis aspersum dedecus armis.
Tandem ait: Invenêre viam mihi fata Deusque,
Nec me deseruere doli. magis advocat artes,
Cum formidat, amans, gliscitque industria, cum se
Angi credit amor. ne te gressusque viriles
Observent, Eginarde, nives, cervicibus hisce,
His humeris librabo virum. sublimior hac tu
Colla premes celsusque meis portabere in armis.
Magnus Atlas tremulo quondam suffectus Olympo est,
Sustinuitque Deos. ipsum Iove natus Atlantem
Fulsit, Anchisen Troja flagrante parentem
Sustulit Æneæ pietas. portata feroci
Nesso Deïanira fuit, se Pelion Ossæ
Altior imposuit. tot portavere maritæ
Obsessos cervice viros, charumque redemit
Quæque sibi pondus conjux. hoc audiat omnis
Posteritas, humeris magnum sublimibus Emma
Insedisse procum, & neptim potuisse Pipini
Ferre marem, & pedibus juvenem vexisse tenellis.
Cœpta placent. alacrem velox Eginardus in Emmam
Insilit, illa attollit onus spectabile, portis
Egreditur calcatque nives. amplectitur ille
Virgineum caput & collo trepidantia nectit

Brachia,

Brachia, dumque gravis vehitur, sibi pondera vellet
Diminui fierique levis. memorabile vidit
Et facinus Dictynna novum, nebulisque fugatis
Extulit os, risitque duos. plausere supernè
Plejades & raptæ sibi virginitatis honorem
Excusant grandi exemplo. spectabat ab astris
Sueta capistratis vectari in tigribus uxor
Thyrsigeri formosa Dei. cum conjuge Cepheus
Claraque Caßiope fortem videre puellam
Ire per hybernas noctes, onerique misellam
Ingemere & laxis hinc illinc pendula vittis
Crura tenere manu, nec fastidire laborem.
Atque ea fallaci geminis dum nocte geruntur,
Quamvis tranquillæ donaßet membra quieti
Rex Carolus, jacet insomnis. quin plurima versans
Regnorum expendit casus, discrimina belli,
Martis opus, quantis alibi se viribus Hunnus
Erigat, adversasque acies opponat Iberus,
Colligat Albis opes, quæ poscant fœdera Mauri,
Quas aras statuat, quæ surgant templa Tonanti
In Sorabis, quibus occultæ mansuescere gentes
Obsequiis jußisque queant. hæc corde volutans,
Dum fugat ignavum pernox vigilantia somnum,
Proripit è strato corpus, foribusque reclusis
Adspicit ignarus lepidæ spectacula scenæ,
Vt teneræ grandem libret cervice tenella
Virgo virum, noctis medio, ventosque geluque
Spernat & infestæ glacialia frigora brumæ.
Ilicet excubiis vigiles arcessit, & ambos
Stare jubet, nec ferre gradum. captiva tenetur
Infelix Emma, atque humeris decussus amicis
Incubus. obgannit deprenso miles amanti,
Indulgetque jocis. tunicâ velata recinctâ,
Collaque succiduo circum ludente capillo,
Adstitit ante oculos patris mœstißima virgo,
Oraque fixa solo retinens deplorat amores,

Consiliique inopes & stultos devovet ignes.
Stat juxta pavidus scriptor. prætendere nescit
Ipse sui judex animus, pallorque nocentem
Arguit, & versi commoto à Cæsare vultus.
At pater ingentem servans sub corde dolorem,
Attonitusque stupet, tantique in virgine casus
Sceptra loqui prohibent. nunc lumina torquet in illam,
Nunc illum torvus formidandusque tuetur.
Ter pede pulsat humum frendens, adspectat amantes,
Discinctas ab amore togas, velamina circum
Pendula, tot jamjam rapti argumenta pudoris;
Iratumque caput quassans, horrenda remugit
Murmura, murmuribusque minas regaliter addit.
Utque reos claudi tenebroso carcere jussit,
Tales sollicito depromsit pectore voces:
Heu, quam dura meas exercent fata tiaras!
Quæ Carolum fortuna manet! venerabilis orbi
Totque Ducum major titulis in prole fatiscit
Majestatis apex. regni fastigia nostri
Depreciat sceleratus Hymen. privata dolemus
Damna patres, vitiisque ruunt immanibus aulæ.
Inclinat regale decus, culmenque flagellat
Filia, & augusto scelus intertexit honori.
Prospera Gallorum currebant tempora rebus,
Concussusque meis jam mitescebat habenis
Mundus, & afflictis libertas reddita terris,
Et fuerat quoque, Roma, tibi. mihi signa genuque
Et Sclavus & Salæ potor, Rhenique Dravique
Accola, & indomitus pridem submiserat Astur.
Surgebant delubra Deo, meliorque vigebat
Relligio, cultique piis reverentia cœli.
Sed peccat, varioque domi se crimine quisque
Polluit. En, quanto soboles mea major habetur,
Majus crimen habet. patriis injuria sceptris
Dedidicit parere mihi, partisque triumphis
Obstrepit, & fulgens conspurcat sordibus ostrum.

Quam

Quam genui, minus illa mea est. scriptoris iniqui
Facta fuit pellex. rapuit vesanus amator
Virginitatis opes & castæ symbola famæ.
Gaudia sic socio vadunt permixta dolori,
Gloria dedecori. nihil omni ex parte beatum
Adspiciunt, qui cuncta regunt. sors mæsta secundam
Diluit, & celebres infamant stupra coronas.
Iam dignos natæ thalamos regumque parabam
Fœdera, sperabam nostræ connubia stirpi
Splendida, quique meis esset (proh tempora !) regnis
Par gener. imbelles pervertit perfidus annos
Civis, & illustres exstinxit ganeo tedas.
Quas, Eginarde, tibi pœnas, quæ justa rependam
Præmia flagitio ? non simia, culeus unus,
Non serpens satis unus erit. discerpta merentur
Membra trahi, laceræque rapi per compita partes.
Et tu, Nata, meâ mox exerceberis irâ,
Et jugulo moritura lues, quæ stemmata Patrum,
Quæ claros abavûm cineres petulantibus ausis
Conspuis & proprii subvertis jura parentis.
Pone modum victor Carole, & mansuetior audi,
Et differ punire reos. distingue duorum
Crimina. non peccant paribus vir, femina pœnis.
Huic sexus pro parte favet, facilisque moveri
Credulitas, mollisque levis lascivia vitæ.
Exeat aularum spatiis regumque penates
Despiciat pietas. non hac in sede morantur
Cum forma pudor, & mores sine labe pudici,
Aut tantos inter non tuta modestia luxus.
Fortè aliquid causæ dedimus, dum regia natam
Educat applausus inter lususque potentum
Obscœnasque ducum voces. bibit inscia ritus
Virgo malos, studiisque salax desuescit honestis.
Quin sua nascentem accendit Cytherea puellam,
Et crescit, placitura viro. se nubilis ætas
Erigit & seros audet sperare nepotes,

Ac tædet vixisse sibi. si dulce mariti
Poscitur officium, nimis est morosa parentum
Cura; placent pauci, queis fas sit nubere, reges.
Sic trahitur sperata dies, lectusque jugalis,
Et primos inter marcent matura calores
Tempora, nec metitur vernantis flosculus ævi.
Difficiles in amore sumus, decretaque matrum
Lenta nocent. donec se grandis filia prodat
Ignibus insanamque furor seducat amantem.
Expendam facti causas, quam quisque secutus,
Aut qua quemque prior fuerit. suffragia poscam,
Nostraque decident istos subsellia casus.
Cæsar ut attentis facinus mirabile rostris
Exposuit, quamvis celasset nomina prudens,
Damnant illa reos & dira morte piandum
Censetur tam grande nefas. pariterque togatos
Ante patres Eginardus adest, & filia regis
Demissum velata caput. nil tristius unquam
Post Phaëthonteos vidisti, Cynthie, currus,
Leucothoësque rogum aut crudelis fercla Thyestis.
Advolat ad nutum stricto mucrone minister,
Adstat spectator Carolus, trabeataque circum
Pulpita, & austero Nemesis metuenda paratu
Tota riget. Tunc cernere erat pietatis amantum
Flebile dissidium. memorandi testis amoris
Lis fuit, & meruit veniam discordia felix.
Namque ubi prima mali scelerisque rogatur origo,
Se vocat Emma ream. sed contradicit amator
Adversusque sibi est. pergit sua pandere ab ovo
Crimina, certa mori virgo. pro virgine fraudes
Ille suas variasque exaggerat ocyus artes.
Alteriusque alter facti, spectante theatro,
Diluit invidiam. gignit concordia rixas,
Et partes facit acer amor, diversaque suadet
Indivulsa fides, proprio de funere quisque
Litigat, & tanto gestit vehementior esse,

Quanto

Quanto amat uberius. ſimul indignantur, amantque.
Culpa mea eſt, ait Emma. mea eſt, Eginardus.& hoſtis
Quiſque ſui eſt, cauſaque ſua contrarius obſtat.
Mors geminis petitur. ſed quam ſibi poſcit amator,
Prævenit hæc; quamque illa cupit, cito prævenit ille.
Ecce, ſuos juvenis cervici intenderat ictus
Lictor atrox, cum colla enſi velocior Emma
Suppoſuit, dixitque, Feri. me percute ſontem,
Parce viro, genitor. quoties ferienda ſeorſim
Emma foret, totus collo ſuperirruit Emmæ,
Meque feri, dixit juvenis. complexibus hærent
Corpora, ſic moritura ſimul. dubiuſque ſatelles
Nec ſic juncta audet, nec ſingula colla ferire
Enſe queat. rigidam Nemeſin remorantur amores,
Alternuſque in morte furor. ſtupet omnis & hæret
Hæc inter multum dubius ſpectacula judex,
Et pœnam geminis animo vultuque remittit.
Haud aliter Tauros adiens Archivus Oreſtes,
Cum coram irato feralis victima ſtaret
Rege, ſuis vidit Pyladem intercurrere fatis,
Proque ſuis Pylades rurſum intercurrere Oreſtem,
Turbarique forum, languere ferocia Thracum
Pectora, barbaricumque iras poſuiſſe tribunal.
At Carolus, quanquam ancipitem præſentia mentem
In diverſa ferant, & jam plus parcere natæ
Exoptet, juvenemque mori: jam juſtior ultor
Eſſe velit, geminoſque mori: jam lubrica verſet
Corda hominum Veneremque levem, ſolumque beatos
Non peccare Deos: jam ſpretis maxima pœnis
Regna quati, ſperni leges, ſuccreſcere pravi
Semina & occultos ſtimulos peccantibus addi;
Miteſcit, veniæque favet, leniſque ſecures
Ire monet, placat fractum clementia regem,
Componitque truces vultus, patremque ſerenat
Virginis, & tumidos ſedat manſuetior æſtus.
Orcheſtram conſcendit Hymen, Libitina fugatur,

Et

Et tristis lethi facies. puer aliger alas
Concutit attollitque faces. Pater, Accipe, dixit,
Emma virum. si primus amor peccavit amando,
Nunc conjux, nunc uxor ama. cape nobilis Emmam
Et tabulas, Eginarde, tuas. adsuesce vocari
Progeniesque generque meus. tibi filia gignat
Martellos alios & nomina digna triumphis.
At malà venturi caveant exempla nepotes.
Vndique conveniunt Proceres, gratantur, & omnis
Effusis vacat aula jocis. connubia surgunt,
Concordesque ligant animos. se Gallia totam
Latius explicuit, seu quæ Braccata salutat
Massylûm populos, seu trans-Alpina Togatis
Tandit rura viris, seu quæ spaciosior exit,
Et sparsum nodo stringit Crinita capillum.
Subsiliit Liger, & famosis Sequana ripis
Plenior intumuit, sua sentiit Axona praceps
Gaudia, sensit Arar, Rhodanus rapidusque Garumna,
Et tumido terras tunc Matrona proluit alveo.
Plurimus arsit amans. Emmam comitatur Amorum
Turba frequens, cingunt herbis redolentibus Emmam,
Erucaque comas & myrto tempora velant.
Tunc Glaucus Spathalen fertur, pulchramque Palæmon
Dorida dilexisse magis, Neptunus inisse
Tethya, Leucothoën Thorbas, Triton Tanopæam,
Perque patens Emmæ fraudes cecinisse profundum,
Et calamum scriptoris. erat, qui carmine longo
Festivum recitaret opus. speremus amantes,
Exclamat Melicerta. potest regalia vilis
Auspiciis Divûm pulsare cubilia scriptor,
Et facili jam rege frui. sibi maxima spondens,
Fit Superis propior. quicquid mens imperat, audax
Impetrat. ignavo nunquam fortuna timori
It comes. erectas constans fiducia nobis
Spes fovet. haud paribus semper palatia flagrant
Ignibus. admittat quemvis regina maritum,

Basiolumque rudi cupiat libasse subulco.
Sic plausere Deæ, sic applausere Deabus
Lætantes passim Druidæ. sed celsior alta
Despectans res humanas de nube Menippus,
Dum regum luxus & stultas ventilat aulas,
Et naso patrem Carolum suspendit & Emmam.

AMPHITRVO Tholosanus,

Sive Pseudo-Martini Guerræ historia. Qui postquam sub specie veri Guerræ thalamo ac conjuge hujus esset potitus, & stupenda audacia ac vafritie sceleri suo obtendisset speciosum patrocinium; tandem detecto dolo agnitus ad restim & flammas à Senatu Tholosano damnatus est.

HActenus insanos juvenum cantavimus ignes,
Flagrantesque faces & amantis vota puellæ,
Discordesque thoros; quos mox, Iunone secunda,
Lætior adspexit vultu Citherea jugali,
Conjugiique fides vinclo meliore ligavit.
Si peccavit amor, sapuit post mollia tandem
Crimina, & ut primum rabies decessit amandi,
Sera verecundis venit Sapientia nuptis.
Iam mihi cernuntur Veneris delubra moveri
Sedibus, & fœdis horrescere numina tedis,
Et trepidare Paphos, scelerique infrendere juxta
Et Samos Idaliumque nemus, Cyprusque Gnidosque
Et totus tragico impleri clamore Cithæron.
Fugit Hymen, fugere Dii, cum scævus adulter
Polluit absentis thalamos & jura mariti,
Et constans in fraude sua est. Plutonia circum
Agmina vesanos inflammavere furores,

Et

Et suasere malo. violatæ stupra sororis
Tantaliden laudasse reor, facinusque nefandum
Commendasse viro. stimulos Ægysthus amanti
Subdidit, & patriis ardescens Myrrha favillis,
Quæque novum passa est genus Hippomeneia pœnæ.
Ne mihi Pantolabos Nomentanosque nepotes
Obiice, Roma salax. Paridem excusate Mycenæ,
Fallacesque Deos Thebæ, fictoque latentem
Amphitryone Iovem. minus est à Cæsare lædi
Posthumias Mutiasque semel; mœchoque vacare
Drusillam, aut pravi matrem peccare Neronis,
Ac Messalinæ socias. his grandius audet
Impostor Pansetta nefas. aliena scelestus
Tecta subit, scandit thalamos fruiturque tot annis
Non uxore sua; scelerique obtendit & ausis
Acre patrocinium, & dubio sub judice peccat,
Suspenditque forum. Vera erravere mariti
Nomina; complexus & basia mille labellis
Erravere suis. patrem decepta salutat
Progenies, cupiensque soror germana videri,
Non fuit. in falsis hæsit cognatio verbis,
Et placuit spurcus gener, & malè notus amatur.
Improbe Amor, quæ non humanis crimina suades
Mentibus! in gelidis arsit, pro virgine, saxis
Pygmalion, voluit qui frigida membra puellæ
Complecti, & calidis componere marmora membris.
Æstuat & certo cuivis mercabilis ære
Chloris amat, lassatque viros. lenonia fervent
Limina, & exili precio muliebris honestas
Venditur. ista domos Superûm pervertit & astra
Improbitas hominesque Deûm dignata cubili est.
Hæc furit, invitasque rapit, currusque ministrat
Et celeres ad stupra rotas. hæc impia miscet
Semina, nec propriam timet incestare novercam,
Aut matri gravis esse suæ, fratremque sorori
Conciliat jungitque duos. Hæc ipsa Güerram

Dum

Dum simulat, magnis animis mendacia rostris
Vendit, & eludit rigidas præfracta curules,
Et secura diu est, & perfida conjuge gratis
Alterius potitur. Vos ô clarissima mundi
Numina, quæ lento premitis mortalia gressu
Flagitia & justâ audaces contunditis irâ,
Sistite successus, dubiisque recludite verum
Porticibus. Tuque ô Nemesis, quam nocte silenti
Oceanoque ferunt natam de patre, verendum
Os aperi, & tantis obsta contraria cœptis,
Perque forum & Patrum rapta subsellia vatem,
Conatusque leva, donec fatalis iniquum
Fibula constringat jugulum, fictique Güerræ
Semineces flammæ rabies absumserit artus.
Vrbs jacet, immensos ubi dives Gallia campos
Pandit, & illustres animat, fecunda virorum,
Tectosages. Druidæ veteres dixere Tholosam.
Quæ frugum vinique ferax suffragia regnis
Dividit, & summi veneratur jura Senatus,
Æqua bonis, infesta malis. spatiosior undis
Oceanus refluum spargit per culta Garumnam,
Et Pyrenæo lapsum de vertice sorbet
Fluctibus. hîc teneris vixdum jam nubilis annis
Nec patiens Bertranda viri (voluêre parentes)
Nubit & infausti præcox fit sponsa Güerræ.
Non tamen hæc mater Iuno connubia sanxit.
Non sobolem geniturus Hymen. sua sacra duobus
Prostitui Lucina dolet, sterilesque fatigans
Ilithyia thoros. pereunt annique diesque,
Et languent nullo recreatæ fenore noctes.
Dumque maritales conjunx succrescit in ausus,
Fit sensim mulier; nec nomine digna maritæ
Basia carpit amans. sed basia, qualibus insons
Innocuisque vacat mellita puertia curis.
Lectus ludus erat; nec præmaturus amabat,
Vt debebat, amor. sed postquam firmior ætas

Subdi-

Subdidit in Venerem stimulos, artesque Dione
Persuasit grandæva suas, felicior infans
Nascitur, & genitrix facta est, quæ vixerat uxor.
At postquam primus furor est excussus amandi,
Lentius alter amat; querulis discordia gliscit
Vocibus, alternisque ciet mala jurgia dictis.
Vtque solet lætis comes ire protervia rebus,
Ipsaque flagrantes extinguunt ocia tedas,
Arma Tholosanus capit, & sub Principe miles
Ære meret parvo. lateri ferus alligat ensem,
Et fastiditum castris proscribit amorem,
Et mox pugnaturus abit. placet alea belli,
Et jove sub duro vigiles traducere noctes,
Alpinas potare nives, calcare pruinas,
Objectare animam letho, viduare colonos
Messibus, & pavidis flammas immittere villis,
Atrocesque manus sperata intendere præda.
Erigitur, cum Marte, ferox, discrimina nescit,
Spirat Guerra minas. non illi cura relicta
Conjugis aut chari dissuadent bella penates,
Pacatique lares. Sed dum vesania Martis
Se probat; en turmas inter, cuneosque globosque
Iungit se lateri socium Pansetta sodalis,
Et potuit meruisse fidem. mens una duobus,
Velle ac nolle ambobus idem, sociataque dudum
Officiis paribusque vigens concordia rebus.
In prædam pariter pariterque in bella ruebant
Consortes cunctorum operum vitæque laborum.
Tales Nisus & Euryalus; Theseusque fuere
Pirithousque comes; talis cum Castore Pollux
Ibat, cum Pythia Damon. pugnare, jocari,
Ludere, scortari, rapto gaudere, voluptas,
Et studium commune fuit, qum forma colorque,
Vox, habitus, similesque viris frons, ora, genæque,
Pesque gradusque fuit. faciles consortia voces
Extorquent propius, fandique licentia quidvis

Egerit,

Egerit, & tacitos secreti pectoris ignes
Simplicitas incauta aperit, nescitque silere
Garrulitas, ignara mali sortisque futuræ.
Guerra suos recitat, quibus exarsisset, amores,
Quàm formosa domi conjux, quàm filius esset
Pulchrior; enarrat stirpem, serieque vetustos
Sat longa deducit avos, matremque patremque,
Affines, fratresque; quibus connubia quondam
Auspiciis & prima fides lectusque coisset
Consiliis. qua deserta fortuna marita,
Qualis in amplexus olim descenderit ardens,
Miscuerat quos blanda jocos, festiva lepores.
Quid fugeret tristis, quid rursum læta probaret,
Quas servaret opes, quas non servaret ademptas,
Qua statione domus preciosa monilia prudens
Abdiderat: quas illa togas vittasque, peritâ
Distinxisset acu, quæ raris cingula baccis
Picta forent: quibus officiis mansuesceret, & queis
Indignata malis fureret. nil celat amicum,
Quæque aperire pudor prohibet, facundia demens
Effutit, scelerique novo fomenta ministrat.
Quippe dolos Pansetta animo fraudesque volutans
Cuncta notat memor, atque alto sub corde recondit.
Nec peccare timens (quid enim non militis audet
Luxuries sævusque furor?) scrutatur in omne
Arcanum, satagitque suum pernosse Guerram,
Natales, membrorum apices, nævosque latentes,
Verbaque vel matri vel reddita verba parenti,
Et detestandæ quærit prœludia scenæ,
Et vafrum meditatur opus, speciemque futuri
Flagitii expendit, tantique exordia motus.
Vt tuba terribili sonitu concussa coëgit
Castra Ducum, & permixta aquilis rubuere cruentis
Lilia, Cæsareisque frequens succumberet armis
Gallus & ingentes spectaret cædis acervos,
Inclinare acies, dispersaque signa vagari,

Et

Et laxis paßim ſpirare cadavera campis :
Vertit terga fugæ pavidus Panſetta, ſuiſque
Dum ſupereſſe malis geſtit, ſe pulvere belli
Expedit, & Guerram grandi quia ſtrage periſſe
Autumat, ingenium fœdus convertit ad artes,
Et Guerræ titulos & falſa vocabula ſumens
Bertrandam ſceleratus adit. quæ læta maritum
Poſt aliquot reducem videt & miratur ariſtas,
Et fruitur gaviſa viro. cum fluctuat anceps
Sollicituſque pudor, narrat novus hoſpes amorum
Prima rudimenta & veteris veſtigia flammæ,
Quæque ſuas ſecreta olim miſiſſet in aures.
Sic ceſſere metus & ſuſpitioſa videri
Vlterius Bertranda timet. fit adultera conjux,
Nec peccat tamen. & mœcha eſt, ſine crimine. cujus
Nunquam ſponſa fuit, vocat appellatque maritum,
Nulla duos promiſſa ligant. miſcentur amantes,
At contractus abeſt. formâ ſociantur honeſti,
Iuſque datur vitio. non huic nox pronuba lecto
Præluxit ſolitaque faces. agnoſcitur uxor
Nunquam ducta domum. non primos Heſperus ignes
Æquior adſpexit, lachrymaſque abſterſit ocellis
Phoſporus, erepta vel virginitatis honori
Condoluit. thalamos falſus non inchoat autor,
Continuat tamen. unanimes gratantur amici,
Ignarique mali, poſt tot diſcrimina rerum
Deſertam lecti gaudent conſorte potiri,
Nec vacuo recubare thoro. pro conjuge vero
Paßim audit non verus. amat, conſorſque bonorum eſt,
Guerra ſalutatur, fervent convivia Guerræ
Vocibus, has iterant omnes, repetuntque frequenter.
Naſcitur & ſoboles, ſed quam genitore Guerra
Se peperiſſe putat genitrix, ſibi vendicat alter,
Decipiturque parens. non hanc natura fefellit
Certa patris matriſque ſatis; ſed cæca cubile
Exercet fortuna, doluſque in conjuge matrem

Fallit

Fallit & in vero facit erravisse parente,
Oscula dat natus patri, nec fallitur. at cum
Oscula dat matris proles incauta marito,
Error agit puerum. thalami sine lege puellus
Nascitur, & patris est, cujus non credidit esse
Mater. at ut vero natus de patre Güerra
Aspectat fratrem frater, mala nomina miscent
Confunduntque duo. nec enim quos unica mater
Esse sinit fratres, fratres pater alter & alter
Esse sinunt, vel jure pares hæredis haberi.
Sic plures istis latus successibus annos
Exegit Pansetta, suis animosus & audax
Fraudibus; & toti licet ignotissimus urbi,
Se cunctis alium probat. unus stirpe Güerra,
Et consanguineo ducens de stemmate stemma
Fortè fuit, quo se veluti tutore tuetur
Bertrandæ domus. huic litem Pansetta bonorum
Impavidus movet, & dilectæ conjugis urget
Acer opes, expensa acceptaque postulat effrons
Signari tabulis, & rès agitare priores.
Incipit, & quicquid gestum se absente fuisset.
Ille sagax animi & fatis melioribus usus
Esse negat Guerram & cognata vocabula falli
Asserit, & similis Tillum sub imagine vultus
Ingeniique notis alieno illudere lecto.
It contra intrepidus Pansetta, redarguit ingens
Crimen, & insistit cœpto, partesque Güerræ
Totus agit, nescit Tillum, quæsita facessant
Nomina, ait. tu qui verbis mendacibus instas,
Et cives dubitare facis, rediisse Güerram
Non cupis, at sparsas inter cecidisse phalanges.
Contemptumque voles alibi jacuisse cadaver,
Distractosque lupis præbere voracibus artus.
Scilicet ut propria depulsus sorte domoque
Tutoris sim præda mei, nec furta recludant
Aut mala fallaces monstrent æraria census.

Nec minus ille viri fraudes astusque propinquis
Conatusque aperit, totque impostoris iniqui
Signa notat, recitatque palam. Iurata cubili
Relligio calcatur, ait. reverentia lecti
Spreta dolet. non hic conjux, non illius hæc est
Vxor, ab ignoto mulier deluditur hoste.
Tarquinii redeunt nobis, aliosque Phaones
Terra parit. rursum pastor dimissus ab Ida est,
Rursus mœchus amat. Tillo ne credite cives,
Hic aliquis latet error. habet jam Gallia culpam,
Famosumque reum. cœpit Bertranda moveri,
Diffiditque viro, atque iterum subnata labantem
Suspicio mentem flexit. fastidit amantem,
Negligit, aversatur. atrox discordia junctos
Dividit, & faciles detrectat femina noctes.
Sed celebres postquam tetigerunt rostra querelæ,
Et vaga concussam bacchata est fama per urbem,
Pansettam tenebris & cæco carcere claudunt
Custodes magnæ Themidis, momentaque rerum
Omnia & ancipites evolvit Curia casus.
Ille dolis centum subnixus & arte Pelasga,
Extendensque manus, & vulgi stante corona,
Non vos, ô Proceres, inquit, non lumina fallam,
Aut nova per magicas obtrudam corpora techmas.
Si furibunda patrem quondam Medea recoxit,
Si, qui virgo fuit, factus puer Iphis amavit,
Carmine si Circe socios mutavit Vlyssis;
Semper Guerra fui. non hic dubitare necesse est,
Aut verum admotâ Guerram explorare Sibyllâ,
Tum vitæ memorare suæ casusque vicesque
Incipit & totum populo describere Guerram.
Quo natus genitore foret, qua matre, domoque.
Vnde parens progressa, quibus majoribus ortus
Fluxisset Pater. ut generis fortuna vetusti
Iverit. hinc natale solum, patriamque laresque
Et cognatorum seriem deductaque longè

Nomina

Nomina nominibus dictat facundus ad unguem.
Illa, ait, inculta moderatrix prima juventæ,
Illa magistra fuit. pueris collusimus istis,
Illa palæstra fuit nobis, hæc area lusu
Ferbuit, his vixi puer inconsultior annis.
Vt tenera malas lanugine vestiit ætas,
Et calidus saliit circum præcordia sanguis,
Has, illas juvenis petiique adiique puellas,
Hæ juvenem crebro me tunc adiere puellæ.
Sed reliquas inter placuit Bertranda sorores,
Compos sola mei. lux hæc fuit, addit, & annus,
Quæ junxere duos. faciles expertus amicos
Difficilesque fui. lenis fuit ille, sed asper
Iste fuit durusque mihi. cognoscere sponsæ
Si comites vultis, fuit hæc, fuit ista. capillum
Strinxerat in tales nodos. hoc ibat amictu,
Candidaque admisto fulgebat murice vestis.
Has gemmas, hæc serta dedi. per strata viarum
Florigeris pueri calathis & frondibus ibant,
Spargebantque rosas læti. qui fœdera lecti
Nexuit, iste fuit non pexo crine sacerdos,
Nigra cui verrunt à tergo pallia terram.
Convivas ipsos memini, matresque patresque.
Sex cyathis Decius, septem tum Galba bibebat,
Burra tribus. nimioque Lyce temulenta Lyæo
Lapsa gradu mulier plenis ludibria mensis
Debuit. agrestem ducebat Lyda choream,
Qua saliente chelyn noster feriebat Iopas.
Verum furta Iovis tremulæ modulamine vocis
Festivus cecinit Thamiras. frendebat Aëdon
Horridius, Bacchique Theron Pæana canebat.
Inde cibos recitat digitis & fercla, dapumque
Condimenta. quibus variè distincta figuris
Saltarit larvata cohors, quibus horrida formis
Abdiderint proprios lamiarum tegmina vultus.
Quæ thalamum violis immortalique amarantho,

Quæ casia Veneris primas asperserit aras;
Quis sponsam male difficilem, nec sueta timentem
Duxerit in thalamum. quæ, cum processerat Eös,
Pulchra verecundam velarint flammea frontem.
Singula narrator memorat. quæ, quidque supellex,
Quæ tabulæ, cathedræque domus, quæ scamna, lavacra,
Quo biberit cratere, quibus carchesia vinis
Spumarint, quali peristromata tincta colore
Induerint circum muros. nunc pristina monstrat
Scrinia, quæque suo quondam cortina cubili
Fluxerit, & quali speculo Bertranda capillos
Strinxerit. hac umbella caput spaciosa tegebat,
Hac, ait, hinc illinc (memini) pendebat inautis.
Vtque in amore solet, pulchris virtutibus ibat
Juncta mali dispar facies. lascivior illa est,
Casta tamen. formosa licet, tamen illice fuco
Plus rubuere genæ. cum nos committeret iræ
Impetus, audaci jactebat fulmina lingua,
Succubuique miser. tunc quid facundia posset
Irarum gliscens stimulis & mobile plectrum
Eloquii sero didici, mutabile valde
Ingenium variumque fuit. motusque feroces
Frangebat lachrymis. rursum placata marito
Paruit officiosa suo. poppysmata amorum
Torquebat limis oculis blandaque susurrans
Voce procabatur. loculis instructior ô quam
Ridebas Bertranda mihi! quam torva fremebas,
Cum mea vix medicis tinniret capsula nummis.
Sera mihi venit soboles, tandemque roganti
Annuit æquus Hymen. & mox ignobilis oti
Impatiens, duris merui stipendia castris.
Ivimus ulterius. quin trans Alpina vagatus
Culmina mox Italos latè bellisque potentes
Hispanos adii. nos alta mœnia Romæ,
Tarpeiumque patrem, Capuam, Præneste, Tarentum
Vidimus. in medio lavi spumantia Bati

Frana, Tagumque bibi. & fontes turgentis Iberi,
Herculeaque via metam posuere columna.
Hinc redii, terraque diu jactatus & alto,
Verus Bertrandæ possessor conjugis adsum.
Audivere Patres, sensimque ferocia rostris
Languit, & captum timuit damnare Güerram.
Sed libet admota scrutari conjuge rerum
Dictorumque fidem. venit Bertranda, stupetque
Verba viri, & dubiam mentem per singula volvens,
Natales, thalamique vices, convivia, mores,
Annuit, & confessa palam est, nec dissidet illis.
Hæc tamen, hæc, dixit, propius didicisse Senatum
Expediet secreta thori. licet ipse silere
Me pudor & Lucina velint, incerta mariti,
Cogor cuncta loqui, & lecti renovare dolores.
Cum mihi vernantis fluerent primæva juventæ
Tempora, conjugiique dies, & sponsa Güerræ
Iungerer, illæsa conjux & inutilis uxor
Virginitate fui. jam tum seu sidere tactus,
Seu mala prolificas hebetassent fascina partes,
Nulla Cupidineis reddebat gaudia votis,
Nec miser in gremium mœsta descendit amator
Conjugis, aut gelidum tepefecit flammula corpus.
Nupta licet, nondum uxor eram; vanisque vocabar
Nominibus conjux. sic condormire sorori
Intemerata queat soror, aut bona filia matri.
Cuncta tuli patiens, quamvis divortia sæpe
Impatiens suaderet Amor, despectaque penè
Cessisset Veneri probitas. at reddita quando
Prisca salus rediit Guerræ, potuitque marita
Se præstare virum, veteremque expungere culpam,
Facta fui mater, sterilisque infamia lecti
Displicuit Superis. eadem Pansetta rogatus
Prodidit, & verbis præsens respondit iisdem,
Agnovitque suum frigus, multosque per annos
Extinctas jacuisse faces. dein vota precesque

 Phar-

Pharmacaque ignavum membris pepulisse soporem,
Quem dederat cantus magicaque potentia linguæ.
Hærent ambiguæ doctâ sub fraude curules,
Inque suas ivit vulgus mutabile partes.
Excussæ voces hominum, quis quemque tribulis
Nosset, & ex omni populo documenta petuntur.
Hic ait, ille negat. repetunt cunabula cives,
Et sic ora ferunt Guerram, vultusque tulisse,
Sic flexisse oculos, sic distorsisse lacertos,
Sic risisse, gradum sic suspendisse pedesque.
Hunc vocis meminisse sonum, moremque loquendi
Lentius; haud alio caput & sua tempora suetum
Contorquere modo. vel Guerræ lumina coram
Cernimus, exclamant: vel in hoc se corpore Protheus
Exhibet, aut Stygiis homines illudimur umbris,
Atque oculos malus error habet. pars altera Guerram
Esse negat; constansque sibi, non illa Güerræ
Forma colorque fuit, non hæc audacia, fatur,
Non illo incessu, non istis flexibus ibat,
Non tam torva illi facies, facundia nunquam
Tanta, nec in duris animi fiducia rebus.
Talis Tillus erat, tali se Tillus habebat
Ore, manu, motu, tali sermone solebat
Tardius affari socios. ipsissima Tilli
Hæc species, hæc nota viri præsentis imago est.
Hos inter nullo perculsus pectora luctu
Magnanimus Pansetta stetit. non ulla timoris
Signa dabat, nulla titubant formidine verba,
Nulla cataphractum terrent discrimina scurram.
Qualis in Arctoo rupes immota profundo
Tunditur, & tumidis quatitur secura procellis,
Impulsósque Notis fluctus undasque repellit;
Inconcussus agit causam veterator, & unus
Sufficit. ut leo, quem cinctum venabula circum
Densa premunt, jacula & contos & tela repellit
Solus, & in laxis impunè ferocit arenis.

At

At Bertranda metumque inter ſpemque anxia neſcit,
Num damnare virum velit, an ſuccumbere victa
Indictis. ſic pinifera frondator in Ida
Stat dubius, num quam caput exertare cupreſſum
Adſpicit, & duro ſurgentem robore quercum,
An velit excelſam ferro proſternere fagum.
At poſtquam jactus fatalis litera ſaxis
Horruit, & nigrum praſcripſit Curia Theta,
Damnavitque reum. ſpreto Panſetta minori
Majus adit limen; Supremaque verba Senatus
Invocat, atque alio renovat ſub judice rixam.
Quaſitum in minima eſt, ſapienſque induſtria quidvis
Cogitat, ut pateant tanta myſteria ſcena.
In tenebris lux eſt, redeunt à luce tenebra,
Obloquiturque dolus vero. cum parvula fraudum
Apparet ſcintilla, tamen ſuſpecta putatur,
Et ſuus in vero labor eſt. ait eſſe Güerram,
Vbera qua puero dederat mitiſſima nutrix,
Atque illos artus & talia membra fuiſſe.
Surgit ad hanc alius Guerra de ſanguine teſtis,
Objectatque nefas, & ficti nomina Guerra
Imputat. in pleno dicturus verba Senatu
Sutor adeſt, hominiſque pedem menſurus, iniquus
Clamitat hic pes eſt. non hac menſura Güerra eſt.
Pes fuit iſte viri. non hac mea pertica fallit.
Hinc ſervata diu producit cingula ſartor,
Quaque fuit corpus crebrò dimenſa Güerra
Faſcia, fallacis loquitur mendacia Tilli.
Non humeris ea forma fuit, non inter utrumque
Tanta obſervavi ſpatia, aut à vertice fluxit
Linea tam grandis. non hic femorique pedique
Ambitus, aut lumbis. diſpar dimenſio fraudem
Arguit. hoc Ithacum, Patres, ſub corpore claudi
Credite, verſutus ſpeciem mentitur Vlyſſes,
Diſſimulatque virum. miles venit unus & alter
Bellorum collega. refert, hunc talibus olim

 Con-

Consiliis implesse animum : superesse Güerram ;
Non tamen incolumem prorsus, sed vulnere læsum,
Et pede privatum dextro; per regna vagari,
Celtarum lustrare locos, moxque affore vivum.
Quattuor adversæ concordi voce sorores
Non dubitant, verus quin coram Guerra loquatur,
Germanique notas monstrant & stigmata fratris.
Verrucam in digitis triplicem, dentemque retortum
Turpius, & planis ungues crevisse figuris,
Sanguineamque oculo maculam livere sinistro,
Depilemque locum capitis, documenta Güerræ
Indubitata sui. veteres venere sodales,
Cum quibus aut primos juvenis distenderat arcus,
Reticuloque pilas vel dextra sueverat ictu
Reddere, vel jacto talos prosternere talo:
Est, qui testatur reducem post prælia quosvis
Nominibus vocitasse suis, dixisse salutem,
Et generis meminisse sui. tunc quemque Güerram
Agnovisse suum, cunctis placuisse Güerram.
At Pansetta sibi similis pro conjuge certat,
Pro se verba facit. quid prima nocte petulcum
Dixerit illa, aperit. quid, cum langueret amantis
Officium & torpor segnem importunus haberet,
Fecerit ; & quicquid solus novisse maritus,
Aut tentasse queat, rostris exponit apertè.
Illa silens multo verum confessa rubore est,
Inque solo fixis oculis hæsitque stetitque,
Facti gnara sui pergit Pansetta. reversus
Da, dixi, Bertranda manum, quà lucet iaspis,
Et dedit illa mihi. vestes mihi porrige, dixi,
Cæruleas, vestes jam tum porrexit easdem.
Pilea da, gemmis quæ fascia cingit Eöis,
Et data sunt. petii capulis difformibus enses,
Ocyus accepi. nec me mea cura fefellit.
Summa loquar, Proceres, &, cœlo teste, severum
Dicam aliquid, dubiæ nebulas quod dissipet aulæ,

Et

Et consanguinei convitia diluat hostis.
Non opus est Patrum votis, non judice multo,
Multiplici vel teste mei. sit sola Güerræ
Hac testis Bertranda sui. per numina juret,
Per Styga, per quicquid fuit inviolabile Divûs,
Me non esse suum. si fixit, adulter habebor
Perfidus & nectar trabe quadruplator ab alta.
Dic age, dic Bertranda. negas? ad funera, furcas
Tollite me. num victa virum Bertranda fateris?
Credere vos fas est. verbo servare, vel uno
Perdere me mulier poteris. sis arbitra vitæ
Et mortis tu sola meæ. stat femina dictis
Territa, &, incerta metuens perjuria linguæ,
Mœsta tacet, jurare timet. fiducia mœchi
Suspensam præfracta tenet. Tunc ille disertum
Explicat os, & devicto velut hoste triumphans,
Nunc rabiem tutoris & acres vellicat iras,
Vltricesque minas, & avari pectoris artes,
Suspectamque fidem. facili nunc mobile causa
Conjugis ingenium, tepidosque redarguit ignes.
Vos ego, vos, inquit, Patres appello Tholosæ,
Vestram poscit opem nullius conscia fraudis
Simplicitas. cur insonti mihi vincla, catenas
Injicitis? Bertranda mea est. cur carcere claudor?
Guerra loquor. cur clamosi mala fabula vulgi
Distrahor? haud alium spectas natura Güerram,
Non alium, Sol alme, foves. qui segnius æquo
Annuit, injusto par est. sunt vincula pœna
Pars quotacunque meæ. caveat peccare tribunal,
Et damnare bonos aut non absolvere culpa.
Res mea, res Superûm est. thalami pro fœdere certo,
Quod pepigere Dii. sic ille gravissima fatur,
Et totum spirat scelerato pectore Olympum.
Est Dea, quæ medio sublimis in aëre pendet,
Quam Nemesin dixere, cui pœnaque minaque
Et rigor immotus castigatrixque malorum

It vindicta comes, cœptis inimica superbis,
Elatosque domans. vigili sunt lumina fronti
Plurima. frana manu gestat pateramque. verendum
Ridet, & occultas peccantum prodere mentes
Gaudet & effrenes animi compescere motus.
Viderat hæc Tilli facinus, tumidoque nefandum
Vindice submixum scelus, & jam spernere Divos,
Atque ipsi audacem Pansettam illudere cœlo.
Mox fastus exosa graves, calcataque lecti
Sacra, per Ausoniam, Cimbros, Belgasque vagantem
Incitat absentem Guerram, magnisque suorum
Accendit desideriis; nunc prolis amorem,
Nunc patriæ studium, nunc conjugis objicit ignes.
Nec mora, spectatur media Martinus in urbe,
Et verus jam Guerra, cui promissa fluebat
Circum barba humeros; & molem corporis emptum,
Cortice fagineo, crus,non vitale,ferebat;
Præmia militiæ. quæ postquam fama Tholosam
Implevit, civesque suos, Tillumque forumque,
Bertrandam, testesque & junctos sanguine amicos,
Alter Iudicibus redit labor, altera rerum
Affulsit subito facies. Pansetta Güerram
Despectat dictisque ferox incessit amaris,
Quærit & astuta verborum indagine captum
Illaqueare studet. Guerræ contrarius obstat
Guerra. fidem ambobus simili sub imagine prabet
Spectator. non ulla facit discrimina vultus,
Labra, oculi, statura, coma mentumque genæque.
Mirantur trabea geminos. distare Güerram
A Guerra stupet omne forum, gradibusque locoque
Non alium discerni hominem. non credit eundem
Esse duos, tamen esse putat. contendere secum
Quemque videt, partesque reum confundere & unà
Actorem. sibimet se contradicere Guerra
Ambigit, aut simili se fallere Morphea vultu.
Nomina cum rogitat Iudex, utriusque Güerra

Nomen

Nomen idem est. quo patre sati: pater unus & idem
Dicitur ambobus, materque & frater iidem.
Cum natale solum: patria est mihi chara Tholosa
Hic ait, alter ait. nati quo tempore & anno;
Tempore conveniunt. cum conjux quaeritur; uxor
Bertranda est geminis. cum stirps arcessitur altè,
Nec tunc Guerra alios, alios Pansetta recenset.
Quaeritur: infelix cui fascia strinxerit inguen,
Aut magicae doctrina schola. se quisque fatetur
Iratam sensisse Cyprin. fortuna rogatur,
Et vitae genus & desertae conjugis olim
Causa, quibus quisquis meruit stipendia signis;
Causa eadem est, sunt signa eadẽ. Tun', inquit adulter,
Basia Bertrandae fixisti? basia fixi,
Alter ait. tun' verba illi solennia dixti
Ante aras oculosque Deûm? solennia dixi,
Promisique fidem. dic, quod tu pignus amoris
Vxori, scelerate, dabas? quae flammea, vestes,
Quae thalamo structura fuit? sat consona fatur
Guerra redux. stupuere Patres. Tunc Guerra locutus
Dic, ait, impostor, quotuplex occulta sinistram
Deturpat verruca manum? Pansetta sinistram
Exerit. hac triplex verum verruca Güerram
Arguit, ingeminat. mihi dens è dente renatus
Stat duplex Martinus ait. Pansetta retortis
Ostentat labiis similem. mihi planior unguis
Ludit in his digitis. digitis ostendit in ipsis
Esse sibi tales Pansetta. Güerra reductis
Paulisper ciliis, oculos nubecula dudum
Insedit tenebrosa meos, ait. ilicet illam
Esse sibi Pansetta oculo demonstrat eodem.
Talis in assumto lusit Thebaïda matrem
Iupiter Amphitruone, thorumque invasit & illa
Mentitus potitur. sic fabula prisca jocosum
Mercurio opposuit Sosiam. cum corpore bino
Esse negat Sosiam Sosias, pariterque misellus

Contundit Sosiam Sosias & tunditur idem.
Intima scrutatus Iudex secreta mariti,
Fanda, nefanda simul, vocesque & verba Güerræ
Omnia, quæ thalamis interspersisset amator ;
Observat discers aliquid. discitque loquacem
Singula versuto Guerram narrasse sodali,
Nec socium celasse suum. Venere sorores,
Amplexaque virum fixis hæsere lacertis,
Attonitaque stetere coma & vox mutuit illis.
Quin lachrymæ caruere dolo, planctusque dolorque
Ipsaque confessa est verum natura Güerram,
Quæque arcana movent cognatam semina gentem.
Tunc eadem affines, eadem dixere propinqui,
Dumque intenta ferunt per totum lumina Guerram,
Erravisse pudet. gavisa supervolat uxor,
Et pudibunda rigans guttis humentibus ora,
Hic meus est, inquit, non tu Pansetta, Güerra.
Talis erat, talis thalamum conscendit & illa
Voce fuit. tali nobis sermone solebat,
Et tali gravitate loqui. deliquimus omnes,
Perfidaque incautam tenuit fallacia mentem.
Non ego conjugii mulier promissa fefelli.
Non peccat, quæ se nescit peccare. nec ullum
Crimen habet, quæ non animo, sed corpore mœcha est.
Impolluta fui, quamvis Pansetta cubile
Polluerit, visusque mihi est jacuisse Güerra.
Arripui neglecta virum, dum longius erras.
Arripui, sed capta tua sub imagine formæ.
Si fuit errandum, causas habet error honestas.
Quodque caput rerum est, ex te proavosque genusque
Hausit, & illa tibi quæ quondam dixit in aurem
Noster amor. Paphios potuit recitare labores,
Fataque fortunasque thori. quæ vespere sero
Murmura, quæ prima venientis luce diei
Ediderim. norat, quicquid cœnacula clausum,
Quicquid honorati custodivere penates.

Sic

Sic tua garrulitas atque importuna loquendi
Libertas nocuit geminis. hinc subruta lecti
Majestas veneranda fuit, tantoque paratu
Causam mœchus agit. nec solum femina victa est
Astubus, hi mecum Proceres, hac tota Tholosa
Aula vacillavit, cunctaque hasere cathedra.
Hac effata fuit. cum dura voce supina
Conjugis immanem perstrinxit Guerra stuporem.
Qua, Bertranda, tuam cepit dementia mentem?
Qua rabies tanta oppressit caligine cacam?
Non caret hic error culpa. non illa meretur
Improba simplicitas veniam. qua secula credent
Vxorem in proprio falli potuisse marito?
Ignorasse sui certa argumenta mariti?
Aut proprios in amore jocos, aut corpore toto
Pulchrum aliquid, vel fœdum aliquid. maculaq; plica-
Hic lentigo levis, cacaque in parte marisca, (que,
Nævulus aut callus, vel non exstincta cicatrix
Discrevisse viros poterant. Sua novit Vlyssem
Penelope, quamvis tot lustra errasset & annos;
Antinoique dolis vafroque pudica Medonti
Restitit. errarint alii, fraterque sororque,
Aula, propinquorum quisquis fiet. unica tu me
Debueras novisse. nec ignorantia sexu
Diluitur. poterant verum ostendisse Güerram
Plurima. transacta poterant ostendere noctes,
Amplexusque mei & blandissima verba procantis.
Decessit thalamo probitas. insana libido
Lascivos tibi suggessit sub pectore motus,
Et nova materies turpi quasita furori est.
Illa virum lachrymis, gemitu, verbisque severum
Mulcet, & antiquos reduci commendat amores
Nequicquam. tetrica lachrymantem fronte repellit
Guerra ferox, & savus & implacabilis adstat.
At Themidis patribus tantos componere fluctus
Cura fuit, profugumque domo patriaque Güerram
Incusant,

Incusant, sociisque suis reticenda locutum.
Hinc fluxisse mali causas, primumque nocendi
Pansetta subiisse animum; vetere sque relicta
Vxoris tepuisse faces: nunc corpore læsum,
Nec totum rediisse suis: hoc conjugis esse
Afflicta commune malum: jam disceret esse
Cautior, & vanas lingua compescere voces:
Sollicitèque loqui, nec Sacrum prodere lecti.
Sic Procerum studiis, sic, applaudente Garumna,
Iuncta est loripedi rursum Bertranda Güerra.
Vnus tantarum fraudum scelerisque magister,
Fabula cui vario stetit admirabilis actu,
Hanc Tellus cervice luit, tragicoque tumultu
Obscœnum absolvit facinus. sua pœna secuta est
Artificem, celebrique reo trux fascia guttur
Alligat, & postquam jugulo spirare negatum
Et vitæ præclusa via est; Vulcanius ignis
Semineces ussit flammis ultricibus artus.

Ad Illustriss. Comitem

VLRICVM,

Frisiæ Orientalis Comitem, super lite cum Catthorum Principe.

MAgne Comes, si me Mavors genuisset Achillem,
Pelleret infestas hæc mea dextra manus.
Sin idem me bellacem genuisset Atriden,
Martia in Advaticis Hasta staret agris.
Non iras, Vlrice, meas, nec Eliza, mereris.
Femina Dux, Frisia Dux sine lite placent.
Omnibus innocuæ cupiunt prodesse Camœnæ.
Inter tanta Ducum nomina, neuter eo.

Quam

Quam vellem Hesperiis Catthos incumbere terris.
Quam nollem Frisios publica damna loqui.
Iuclite Chaucorum Princeps, tibi federe Belga
Iungimur, & nostræ sors tua mixta rei est.
Inclita Catthorum Princeps, tibi sanguine nostri,
Principis & Celsi jungimur Auriaci.
Quo vertet se Belga. vices hinc, inde dolemus,
Et vester mediis arbiter hæret aquis.
Composuere truces tot regum basia rixas,
Maximaque ad pacem pondera sanguis habet.
Hos motus, tantas animis desuescite lites.
Vnuat Auriacus regna ducesque pater.
Ille Tago Scaldique gravis jam totus Ibero
Instat & incœptum belliger urget opus.
Ne remoram tantis excelsi Principis ausis
Ponite, nec sociis finibus este graves.
Cernite nos, qui victores pugnamus, amicos.
Nec noceat Batavis rixa propinqua meis.
Si placare Duces nequeunt thalamique genusque
Et quæ pro patriis gessimus arma focis,
Nec Ducis Auriaci cura, nac chara Potentum
Nomina, nec vultu Pax veneranda suo:
Nec quæ sæpe Deos placarunt carmina: placet,
Qui jugulos vestros impetit, hostis Iber.

Epiſtola Eminentiſſimi CARDINALIS ARMANDI RICHELII.

Clariſſimo ac Eruditiſſimo viro Gaſpari Barlao, S. T.

HEroicum carmen tuum accepi, legi, perlegi. eo gratius fuit, quod veluti miraculo factum eſt, ut dum Panegyricum meum ad me miſeris, tuum à te acceperim. Laudantis ſaltem & laudati Panegyricus eſt libellus tuus. Dum, quæ nobis tribuuntur, geſta extollis, ingenii tui acumen & induſtriam exhibes, eruditionem tuam prodis. Sic tibi metipſi gratias debes, ſed non ſolus, referam pro utroque & merito. cum tuo factum ſit beneficio, ut majorem tui quam mei curam habere tenear. Religioſe id me præſtiturum agnoſces, ſi res locuſque dabunt.

Verſibus tuis qualis eſſe debeam Orbi Chriſtiano palam feciſti. Ectypum meum ad te mitto, ut te doceat, qualis ſim. Si in eo affectum erga te meum non cernis, agnoſces, ſi uſui unquam tibi eſſe poſſim.

Armandus Card. de Richelieu.

Datum Pariſiis 8.Kal. Feb.1642.



